THESES THEOLOGICÆ

DE

Cognoſcibilitate, Neceſſitate, & Fine

DOMINICÆ INCARNATIONIS.

QUAS

Cum annexis ex univerſa Theologia Scholaſtica Concluſionibus.

In Celeberrimo Archi-Epiſcopali Collegio Pragenſi ad Sanctum Adalbertum.

PRÆSIDE,

P. FRANCISCO SPEER

Sacri Ordinis Ciſtercienſis in Monaſterio B. V. M. de OSSECO Profeſſo, nec non in præfato Archi-Epiſcopali Collegio SS. Theologiæ Profeſſore ordinario & Seniore.

DEFENDENDAS SUSCEPIT

R.D. Wenceslaus Conſtantinus Potuczek, Patriâ Dobruſcenſis, Celeberrimi Archi-Epiſcopalis Collegij Alumnus Eccleſiaſticus.

Annô M. D. CC. VIII. Menſe Auguſto, Die [illegible]. horis ante meridiem conſuetis.

Vetero-Pragæ in Aula Regia apud Wolffgangum Wickhart Archi-Epiſcopalem Typographum.

SUB AUSPICIJS

Illustrissimi & Excellentissimi

DOMINI, DOMINI

HIERONYMI

DE & IN

COLLOREDO,

Sacri Romani Imperij Comitis

DE WALDSE,

Domini in Opotschno, Tloskow, Drach-
kow, Staaz, Sibenhirten & Vilmb,

Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis

CONSILIARIJ,

Ad supremum Judicium Provinciale in Regno Bohemiæ.

Eremi ASSESSORIS Insulæ

Vygrensis E T

SUPREMI

FEUDORUM JUDICIS.

Domini Domini & Mecænatis Gratiosissimi.

ILLUSTRISSIME
ET
EXCELLENTISSIME
Sacri Romani Imperij
COMES
Domine Domine, Mecœnas Gratiosissime.

HOmines (*inquit Philosophus 5. Eth.*) ad Judicem confugiunt, sicut ad quandam Justitiam animatam. *Nihil humanum à me alienum puto*, Te Illustrissime & Excellentissime Mecœnas, *Judicem appello, méque ad Tribunal Justitiæ Tuæ sisto. Justitiam nimirum, non tantùm* animatam, *sed &* animantem *Te mihi exhibuisti, quando eos superaddidisti animos, ut in*

hocce

hocce Amplissimo Controversiarum Scholasticarum foro, stare, audire, imò & audiri audiam audeámque. Gratiosissima nimirum manumissio Tua, sinè qua Christi in præsenti statu fieri nequiissem mancipium, me illam effecit Personam, *ut locum isthunc habeam* in judicio. *Liberalitas Tua* Illustrissime & Excellentissime Mecœnas, *mea est Libertas, sed devinctissimæ Gratitudinis Titulô Tibi obstrictissima. Hac Liberalitate, hac Libertate liber, libellum huncce defero reponendum inter supplices, vel (ùt passim dicimus) Memorialia Clientum Tuorum in æviternæ Gratitudinis monumentum. Gratia Tua* Illustrissime & Excellentissime Mecœnas, *ùt Te mihi exhibuit Gratiosum; ità Te mihi redhibuit gratum, beatúmque;* Miserum *nempe est:* (a) Ingratum esse hominem, *dum* (b) *ingratò terra nîl pejus creat.* Dixeris namque (c) maledicta cuncta, cùm ingratum hominem dixeris. *Absint & longè absint à me maledicta* hæc Illustrissime & Excellentissime Comes, *sed potiùs obliviscatur mei dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero Tui. Pro nunc autem:*

Parva

(a) Plaut. in epid. (b) Auson. in epid. (c) Pub. min.

Parva quidem *fateor* pro magnis munera reddi,
Cùm pro concessa, verba, salute damus;
Sed qui quàm potuit, *vult* maxima, gratus abunde est
Et finem pietas contigit ipsa suum (d).

Parva, inquam, *fateor pro maximis Tibi exhibeo, & non diffiteor, ùt parva parvos, ità magna decere Magnos, adeóque* Te Mecœnas Excellentissime. *Porro, quia attentâ imbecillitate meâ hæc, quæ à me offerri possunt, sunt* maxima; *Suscipe* Illustrissime & Excellentissime Mecœnas, *Inclyti Regni hujus Feudorum* Judex integerrime, *suscipe ceu vasallitium pro bello ingruente scholastico, Libellum istum minimè* inofficiosum; *quia* in officio sum, *imò in obsequio contestandæ per illum devinctissimæ Gratitudinis meæ. Ego, dum sub* Te Judice Lis est de Verbo eóque *increato, causæ meæ metuo nihil, est enim Luce meridianâ clarior; quid enim clarius sole, nisi Verbum incarnatum? Claritas hæc, Cynosura & sinè omni metu meta mea est. Cæcutiunt ad illam tenebræ & noctuæ illæ, quæ ipsam non comprehenderunt.*

(d) Ovid. de Pont.

runt. Cæcutit verò minimè imô perſpica-ciori, eóque irretorto intuitu diſcernit illam, ſacra Jovis Ales, biceps Aquila Tua veluti ſo-la capax Solis. Diſcerne & Tu Illuſtriſſime & Excellentiſſime Comes *cauſam meam, eam pro Juſtitia & æquitate intuere, méque in dubio ſcholaſtici prælij eventu gratiosè tueare. Ego interim ex obtutu Tuo, tutus pro gratioſa Epiecia Tua, illud Ovidij voveo & accino epinicion:*

Quòd Tibi, nunc *meritas grates ubicunque licebit,*
Pro tam manſueto pectore ſemper agam

Illuſtriſſimæ Excellentiæ Tuæ

Humillimus

Wenceslaus Conſtantinus Potuczek,
Alumnus Archi - Epiſcopalis.

CENSURA.

THeses Theologicas de *Cognoscibilitate, Necessitate & Fine* Dominicæ Incarnationis præclarè & solidè elaboratas, sanam Doctrinam continere ac proinde in lucem edi posse, censeo. Pragæ ad S. Nicolaum 30. Maji, 1708.

JOANNES STEINER, S. J.
Reverendissimi Archi-Episcopalis Consistorij Assessor.

Conceditur Facultas imprimendi.

DANIEL JOSEPHUS MAYER de MAYERN,
Sac: Metrop: Ecclesiæ Pragensis Præpositus, Vicarius Generalis & Officialis.

THESIS I.

De Cognoscibilitate Incarnationis Verbi Divini.

SIcut (I) impossibilitas Dominicæ Incarnationis nulla ratione potest certò cognosci, aut demonstrari, sic (II) ejus possibilitas ab ulla cognitione creata naturaliter, & positivè, etiam (III) probabiliter solùm, seclusâ revelatione Divina ostendi nequit. Prima, & secunda pars est omnium, tertia verò communior Theologorum.

Prob. Thesis prima, quoad primam partem: primò, Authoritate. Nam Luc. 1. v. 37. ait Archangelus Gabriel: non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Quibus verbis, ùt observavit Paulus Aresius Episcopus Dertonensis, Archangelus nuntiavit hoc Mysterium Dominicæ Incarnationis: *non esse impossibile. Ex quo sic argumentor:* Quod re ipsa non est impossibile, non potest demonstrari esse impossibile, sicut quod re ipsa est falsum, non potest demonstrari esse verum, cùm scientia non sit, nisi verorum, *atqui* Incarnatio per allegatam Authoritatem re ipsa non est impossibilis: *ergo* non potest demonstrari esse impossibilis; *ergo* impossibilitas Incarnationis nulla ratione potest certò cognosci, 1.

 & de-

& demonstrari. Et hoc est *argumentum Concil. Lateran. sub Leone X. Sess. 8. sic arguentis : cùm mysteria fidei sint summè vera, & summè certa, nulla proinde potest afferri ratio contra illa, quæ non sit Sophisma.*

2. *Prob. secundò ratione* ex eo : *quòd non possit ostendi ex qua parte se teneat hæc impossibilitas. Unde sic : Vel* hæc impossibilitas se teneret ex parte Personæ, quæ deberet assumere naturam humanam ; *vel* ex parte naturæ humanæ assumendæ, *sed* ex neutra parte se tenet : *ergo. Min.* quæ magìs ex solutione argumentorum patebit, interim sic probatur : Persona Divina, quæ deberet assumere naturam humanam, utpote actus purissimus, & perfectionis infinitæ, continet eminenter omnem perfectionem cujuscunque subsistentiæ creatæ, adeoque potest supplere defectum cujuscunque subsistentiæ creatæ ; ex alia verò parte natura humana distincta realiter à propria subsistentia, ipsáque prior prioritate naturæ, potest illâ privari, seu priùs assumi à Divina Persona, quam emanet propriam subsistentiam, ùt factum fuisse fide tenemus : *ergo* cùm ab actu ad potentiam valeat consequentia, Incarnatio Divina ex nulla parte est impossibilis, sed utrinque possibilis, adeoque ejus impossibilitas nequit demonstrari.

3. *Prob. tertiò* ex eo : *quòd hinc sequeretur duas contradictorias posse simul esse veras.* Duæ contradictoriæ non possunt simul esse veræ, nec falsæ, quia una pars contradictionis destruit aliam, *sed* si posset demonstrari impossibilitas Dominicæ Incarnationis, duæ contradictoriæ essent simul veræ, *ergo. Prob. Min.* ex *Philippo à Sanctissima Trinitate hìc dub. 2.* Quia cùm conclusio demonstrationis

debeat

debeat esse necessaria, & vera, jam haberetur: quòd sit Incarnatio *impossibilis* & non possibilis; adeoque una pars contradictionis esset vera. Ex alia verò parte habetur secundùm fidem divinam certissimè, & infallibiliter: quòd sit *possibilis*, adeoque etiam altera pars contradictionis esset vera: *ergo* simul essent hæ contradictoriæ veræ: Incarnatio *est possibilis*, *non est possibilis*, quod repugnat lumini naturæ, neganti idem posse esse & non esse: *ergo* non potest cognosci certò, aut demonstrari, impossibilitas Incarnationis Dominicæ; unde omnia argumenta, quæ adducuntur ad hanc impossibilitatem probandam, sunt fallacia.

Prob. nunc Thesis quoad secundam partem: *primò* 4.
Authoritate. Nam *prima ad Corinthios secundo* agens Apostolus de hoc mysterio vocat illud: *Sapientiam in mysterio absconditam*. *Et ad Ephesios 3. v. 9.* dicitur simpliciter *sacramentum absconditum à sæculis in Deo*, hoc est: ùt explicat glossa, *in notitia Dei*. Item: SS. PP. illud Isaiæ 53. *generationem ejus quis enarrabit?* teste S. Leone Papa Serm. 9. De Nativitate Domini, non solùm de generatione æterna, sed etiam de *temporali*, *&* *humana intelligunt*. Denique S. Augustinus Epist. 3. ad Volusianum de hoc mysterio ait: Si *ratio* quæritur non erit *mirabile*: si *exemplum*, non erit *singulare*. Demus ergo aliquid Deum posse, quod nos *fateamur investigare non posse*; nam his in rebus *tota ratio facti est potentia facientis*. *Ex quo sic argumentor*. Juxta has Authoritates: mysterium Incarnationis est à sæculis *absconditum*, *inenarrabile*, *mirabile*, *singulare*, *&* *ininvestigabile*. *Atqui*, quod potest, naturaliter & positivè, seclusâ revelatione divinâ, etiam secundùm possibilitatem tantùm ostendi, non dicitur:

 esse

esse absconditum, *inenarrabile*, *mirabile*, *singulare*, & *ininvestigabile* naturæ suis viribus relictæ; sic enim non dicuntur *abscondita oculis*, quæ videri possunt connaturaliter ab oculis; & *ininvestigabilia intellectui*, quæ connaturaliter cognosci possunt ab illo, ùt patet in possibilitate alterius mundi; *ergo* cùm mysterium Incarnationis sit ità absconditum, &c. non poterit ullâ ratione, & cognitione naturali, seclusâ revelatione divinâ positivè ostendi. *Aliqui* id ipsum evincere volunt *ratione experientiæ*: quia nempe defactò, per tot sæcula SS. PP. & Theologorum maxima ingenia, nullam ex solis naturalibus principijs eruere potuerunt rationem positivam, quæ gentiles convinceret. At hac *sola* ratione (nisi simul præter Authoritatem scripturæ, Canonum, & SS. PP. ad alias rationes, quas mox subjiciemus, recurrant) non convincunt. Licèt enim tanta præcesserint SS. PP. & Theologorum, defactò maxima ingenia, quæ Incarnationis possibilitatem positivè, & naturaliter demonstrare non potuerunt; quia tamen intellectus, tum Angelici, tum humani, naturali perfectione, in infinitum perfectiores sunt possibiles, non sequitur ex impotentia intellectuum modernorum circa aliquod objectum impotentia intellectuum possibilium, & modernis longè perfectiorum, circa idem objectum. Igitur eadem pars Thesis

5. *Prob. secundò ratione* ex eo: *quòd seclusâ revelatione divinâ, nullum supersit genus cognitionis, quo demonstrari possit naturaliter positivè possibilitas Incarnationis Divinæ.* Vel enim possibilitas Incarnationis illâ cognitione naturaliter, & positivè cognosceretur *immediatè in se*, vel in *aliquo medio*. Neutrum dici potest: *ergo*. *Prob. Min.* imprimìs quoad

pri-

primam partem. Sicuti incarnatio *in se, & entitate* sua quoad substantiam est maximè supernaturalis, ità etiam in veritate & *cognoscibilitate sua*, est maximè supernaturalis, hæc enim mutuò se consequuntur: *Sed* quia est in *entitate* sua supernaturalis, non potest naturaliter produci à causa naturali: *ergo* etiam quia est in *cognoscibilitate* sua supernaturalis, non potest cognosci *immediatè*, & connaturaliter in se ipsa, seclusâ elevatione, & revelatione ex parte potentiæ cognoscitivæ creatæ. *Probatur eadem Min.* quoad secundam partem. Nulla datur causa *naturalis*, neque *effectus*, neque *proprietas*, neque ullum signum naturale, quod esset intrinsecè connexum cum *possibilitate Incarnationis*; licèt enim nunquam existeret, nec possibilis esset Incarnatio, adhuc tamen res omnes naturales essent eo modo, quo sunt, & non perirent eô ipsô immediatè, & formaliter: *ergo* possibilitas Incarnationis propter supernaturalitatem suam in substantia, quæ excedit omnes vires *totius* naturæ creatæ, nullum habet medium, in quo naturaliter, & positivè cognosci possit. *Confirmatur*, ex Philippo à Sanctissima Trinitate. Si possibilitas Dominicæ Incarnationis posset demonstrari, aut evidenter positivè cognosci ratione naturali, vel posset *à priori*, vel *à posteriori*: non à priori, quia est mysterium omninò supernaturale, *maximè* si sit sermo non de Incarnatione DEI, sed de Incarnatione Filij DEI. *Primò*: quia supponit cognitionem mysterij Sanctissimæ Trinitatis, quæ naturaliter ab Intellectu creato nequaquam cognoscibilis est, ùt vidimus *De Deo uno, & Trino* Thesi XX. *Secundò*. Quia quod demonstratur naturaliter *à priori*, hoc debet demonstrari à causa ùt connaturaliter cognitâ à demonstrante, *sed*

Deus ùt *Author ſupernaturalium* in particulari, ſub qua formalitate eſt cauſa Incarnationis, ſeu unionis Hypoſtaticæ, non eſt ulli intellectui creato naturaliter *cognitus*; *ergo* non poteſt ab illo poſſibilitas Incarnationis naturaliter poſitivè demonſtrari à priori ſeclusâ revelatione divinâ. Nec etiam *à poſteriori*, ſcilicet per effectus ejus poteſt demonſtrari. Nam ante *executionem* Incarnationis nulli ſunt, aut ſaltèm *naturaliter* non cognoſcuntur eſſe. *Poſt executionem* verò, licèt omnia bona tam naturalis ordinis, quàm ſupernaturalis fiant intuitu ejus, tanquam finis, hoc tamen ſeclusâ revelatione hujus myſterij non cognoſcitur: *ergo* nec ante, nec poſt executionem myſterij Incarnationis ejus poſſibilitas poteſt naturali ratione poſitivè evidenter cognoſci.

6. *Prob. tertiò ratione* ex eo: *quòd Incarnatio ſit extra ſphæram proportionatam intellectus creati.* Unde ſic: Quod omninò eſt extra ſphæram proportionatam intellectûs creati, non poteſt ab ipſo naturaliter, & poſitivè cognoſci, aliàs potentia intellectiva præfixos *naturalis* virtutis ſuæ limites transgrederetur: *Sed* Incarnatio Verbi eſt plenè extra ſphæram proportionatam, ſeu naturalem potentiæ intellectivæ, tum quia eſt ſupernaturalis in ſubſtantia, tum quia nullam *habet connexionem* naturalem cum aliqua creatura connaturaliter ab intellectu creato cognoſcibili: *ergo* non poteſt naturaliter, & poſitivè cognoſci, cùm inter potentiam, & objectum connaturaliter attactum debeat eſſe proportio.

7. *Prob. quartò* ex eo: *quòd omnis cognitio naturalis debeat attingere Deum ùt Authorem naturæ.* Unde ſic: Omnis cognitio *naturalis* debet attingere Deum ùt Authorem naturæ, quia ùt talis, eſt *finis* omnis ope-

operationis purè naturalis; ficut omnis cognitio supernaturalis debet attingere Deum ùt Authorem supernaturalium, quia ùt talis, eft *finis* omnis operationis supernaturalis. *Atqui* cognitio attingens poffibilitatem Incarnationis, non attingit Deum ùt Authorem naturæ, fed ùt Authorem alicujus fupernaturalis, fcilicet unionis hypoftaticæ, *ergo* non eft *naturalis*, fed *fupernaturalis cognitio*, quæ attingit poffibilitatem Incarnationis; *ergo* &c.

Prob. quintò ex eo: *quòd nullæ dentur fpecies ad cognitionem naturalem Incarnationis eliciendam defervientes.* Intellectus creatus ut cognofcat pofitivè, & evidenter objectum extraneum, debet habere fpeciem talis objecti; vel fibi *congenitam*, vel à fe *acquifitam*; *atqui* intellectus creatus ex *proprijs* non habet fpeciem Incarnationis utpote *fupernaturalis in fubftantia* congenitam, aut *acquifitam*: *ergo*. *Prob. Min. Quoad primam partem.* Quia fpecies congenita eft fpecies ceu permodum proprietatis naturalis debita illi naturæ intellectuali cui eft congenita; *atqui* fpecies *entis fupernaturalis in fubftantia*, utì eft Incarnatio, non eft debita permodum proprietatis naturæ intellectuali creatæ, quia non defervit illi per fe ad finem fuum primarium, fcilicet ad intellectualem poffeffionem Dei ùt *Authoris naturæ*, fed ùt Authoris fupernaturalium: *ergo* non eft fpecies congenita. *Prob. nunc eadem Min. quoad fecundam partem, nempe quòd illa fpecies etiam non effet acquifita.* Si effet acquifita, effet abftracta ab ente purè naturali, nam intellectus connaturaliter non abftrahit, nisì à naturalibus; *Sed* ejusmodi fpecies fufficiens ad cognitionem naturalem Incarnationis fupernaturalis in fubftantia, nequit effe abftracta ab ente purè naturali: *ergo*. *Prob.* 8.

Min.

Min. ens purè naturale non continet propriam, & formalem perfectionem entis ſupernaturalis: *ergo* ab illo nequit abſtrahi ſufficiens ſpecies Incarnationis ſupernaturalis in ſubſtantia. *Confirmatur:* Illa ſpecies immediatè deſerviens intellectui creato ad eliciendam cognitionem *naturalem* de Incarnatione, ex hypotheſi, non eſſet *ſupernaturalis*, quia ad cognitionem *naturalem* non requiritur ſpecies *ſupernaturalis*. *Sed* nec eſſet etiam naturalis; *ergo* nulla, &c. *Prob. Min.* Illa ſpecies eſſet effectus adæquatus in genere *cauſæ ſecundæ* unionis hypoſtaticæ, quia objectum *exiſtens* eſt cauſa ſecunda adæquata ſpeciei impreſſæ ſui, quando autem non exiſtit, tunc Deus præſtat concurſum ſupernaturalem ſupplens impotentiam objecti, ùt bene obſervat *Petrus Hurtado De Mendoza hìc Diſput. 8. Sect. 4. §. 29. ergo* ejusmodi ſpecies non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis. *Anteced. conſtat. Prob. conſequ.* Effectus immediatè productus à cauſa efficiente ſupernaturali, quâ tali, eſt ſupernaturalis, ùt omni inductione patet; *ſed* ejusmodi ſpecies eſſet effectus immediatè productus ab unione hypoſtatica, quæ eſſet cauſa efficiens hujus ſpeciei, omninò ſupernaturalis: *ergo* ejusmodi ſpecies, utpote effectus proportionatus unioni hypoſtaticæ, etiam *eſſet ſupernaturalis*, & *non naturalis*; vel maximè cùm talis ſpecies eſſet principium *actûs ſupernaturalis:* quia ex illa *per ſe* oriretur cognitio ſupernaturalis, ex qua oritur *per ſe* effectus ſupernaturalis, qui *per ſe* utilis eſt ad augendam gratiam, & gloriam, aliunde autem effectus quâ effectus non poteſt eſſe perfectior ſuâ causâ, per ſe immediatè, & proximè in ejusmodi effectum influente: *ergo* non minùs *ſupernaturalis* erit ejusmodi ſpecies unionis hy-

hypostaticæ principians immediatè, & per se actum supernaturalem, quàm supernaturalis sit talis actus, & quàm supernaturales sint species, & apprehensiones de objectis fidei determinantes, & disponentes intellectum, & voluntatem credentis ad eliciendos actus *supernaturales* requisitos ad credendum; ut suppono ex *Tractatu De Fide*.

Prob. *sextò* ex eo: *quòd intellectui creato sibi relicto, si in ejus apprehensionem cadere posset potiùs videatur impossibilis, quàm possibilis Incarnatio, quia principijs lumine naturæ notis contraria.* 9. Nam intellectus creatus sibi relictus judicat *primò*: *totum est majus*, id est: *perfectiùs suo componente*; *secundò* componentia se invicem perficere, & hinc *tertiò* per Unionem, & compositionem intrinsecè mutari. *Quartò*. Ex duabus naturis inter se unitis invicem resultare tertiam naturam. *Quintò*, denique ex duobus realiter identificatis unitò immediatè unô, uniri etiam immediatè alterum; *atqui* in Incarnatione invenitur oppositum: Nam *primò*; Compositum Theandricum non est perfectius Personalitate Verbi illud componente. *Secundò*, Personalitas Verbi, licèt perficiat, non tamen perficitur intrinsecè à natura humana. *Tertiò*, Per Unionem Hypostaticam non *mutatur* intrinsecè Personalitas Verbi, sed natura humana. *Quartò*, ex duabus naturis, divina scilicet, & humana, non resultat aliqua tertia natura. *Quintò* denique Personalitas realiter identificata naturæ divinæ immediatè unitur naturæ humanæ, non *unitâ* immediatè naturâ divinâ: *ergo* intellectus creatus *sibi relictus*, si in apprehensionem ejus cadere posset Incarnatio, si judicium suum suspendere nollet, potiùs judicaret Incarnationem lumini naturali esse contrariam, & im-

possibilem, quàm esse possibilem; quia ex principijs lumine naturæ notis, sinè debitis à fide præscriptis limitibus intellectis; plura argumenta inveniret, quæ ipsum in hunc consensum erroneum possent inducere. Sicut si intellectui creato sibi relicto incideret Quæstio De Sanctissima Trinitate, naturalibus argumentis imbutus, illicò judicaret impossibilem esse Trinitatem Personarum in Unitate naturæ. *Confirmatur.* Intellectui creato ex proprijs evidens est, Deum non posse, supplere defectum quantitatis, figuræ, sessionis, & aliorum modorum: *ergo* non potest ei esse evidens connaturaliter, Deum posse supplere defectum unionis ad subsistentiam creatam, terminando in Christo humanitatem Personalitate Verbi.

10. *Prob. septimò* ex eo: *quòd intellectui creato naturaliter evidens sit, inter latitudinem operum à Deo factibilium aliqua esse, de quibus sibi naturaliter evidenter nihil constare potest.* Unde sic; *Omnipotentia* Dei in infinitum superat captum cujuscunque intellectûs creati adeoque inter latitudinem operum ejus sunt aliqua, de quibus naturaliter evidenter constare nequit intellectui creato, *esse possibilia*, si enim in humanis tanta sunt artificum opera, ut intellectus rudis nequeat judicare illa virtute humana esse possibilia? cur non intra latitudinem potentiæ divinæ, deberent esse talia opera, quæ creato intellectui naturaliter non constent esse *possibilia?* cùm *major* sit distantia potentiæ divinæ ab intellectu creato, quàm virtutis humani artificis ab intellectu rudis hominis. *Atqui* inter illa opera omnipotentiæ divinæ, de quibus naturaliter intellectui creato constare non potest commemorandum est præprimis mysterium Incarnationis, utpote

pote *summum opus possibile* omnipotentiæ divinæ, cùm post communicationem divinæ naturæ ad intra, non sit imaginabilis major communicatio: *ergo* naturaliter evidenter constare nequit intellectui creato illud esse possibile, &c.

Ex his, quæ de *possibilitate* hujus mysterij dicta sunt, sufficienter constat *existentiam* hujus mysterij non posse naturalibus viribus positivè evidenter independenter à revelatione divina cognosci, si enim *possibilitas* vim naturalis rationis transcendit, quantò magìs executio in qua rerum agendarum, difficultas præcipuè consistit, *inquit Contenson hìc Cap. 1. Speculat. 1mâ. §. ex his.* Ratio est: *tum*, quia hoc mysterium etiam ùt *patratum*, & *existens*, est omninò *supernaturale*, neque habet connexionem cum aliqua causa, vel effectu, vel parte, vel signo naturali, adeoque totaliter est extra sphæram objecti proportionati intellectûs naturalis. *Tum*, quia hoc mysterium est summum opus Omnipotentiæ. *Tum denique*, quia ad cognoscendum evidenter hoc mysterium fuisse jam patratum, necessarium esset evidenter cognoscere *Divinum Verbum*, in quo facta fuit unio hypostatica, ac proinde mysterium Sanctissimæ Trinitatis, hoc autem viribus naturæ cognosci nequit: *ergo.* 11.

Prob. denique Thesis quoad tertiam partem: primò Authoritate S. Chrysostomi Hom. 4. in primum Caput Epist. ad Corinth. dicentis: *Quæ exsuperant rationem, sola fide indigent; nam si velimus persvadere rationibus, quomodò Deus factus sit homo, & ingressus sit uterum Virginis, & non rem fidei permiserimus, Gentiles magìs irridebunt.* Ex quo sic argumentor: juxta hanc Authoritatem Incarnatio *sola fide* indiget, id est: *sola fide divina* est cognoscibilis; 12.

bilis; *atqui* quod lumine naturali probabiliter cognosci potest, non est *sola fide divinâ* cognoscibile; multa enim sunt in Philosophia, quæ non nisi probabiliter cognosci possunt à nobis, & tamen dicuntur naturaliter cognoscibilia, v. g. continuum non constitui punctis, astra esse paria, matrem diligere filium, &c. *ergo* cùm Incarnatio sit sola fide divinâ cognoscibilis, non erit lumine naturali probabiliter cognoscibilis. *Confirmatur.* Quod *solo* visu est perceptibile, nullo alio sensu est perceptibile: *ergo* etiam Incarnatio cùm *sola* fide sit cognoscibilis, nullâ aliâ ratione naturali, quantumvis probabili, erit cognoscibilis.

13. *Prob. secundò ratione* ex eo: *quòd in rerum natura nullum sit medium, vel probabiliter svadens possibilitatem Incarnationis*, nam Incarnatio consistit in hoc: quòd increata subsistentia, quæ est realiter idem cum natura divina, sic uniatur naturæ humanæ, ut huic non immediatè uniatur natura divina, neque ex his duabus naturis fiat unum per se, seu tertia natura, qui fuit error Evtichetis. *Atqui* in rerum natura, nullum medium est, vel probabiliter svadens, quòd ex duobus realiter inter se identificatis possit unum alteri tertio realiter distincto immediatè uniri, non unitô alterô: *&*, quòd ex duabus naturis inter se realiter unitis, non resultet una tertia natura: *ergo* in rerum natura secundùm se spectata, & sibi relicta, nullum est medium, vel probabiliter svadens possibilitatem Incarnationis. Unde vel nulli intellectui creato incideret cogitatio de possibilitate hujus mysterij, vel si incideret, & judicium suum non suspenderet, judicaret illud esse impossibile, ùt diximus Num. 9. quæ ibi dicta sunt, huc proportionaliter applicari possunt: Atque ex his probata manet

net Thesis nostra, quòd impossibilitas Dominicæ Incarnationis nullatenùs, ejus autem *possibilitas*, & *existentia*, seclusâ revelatione divinâ, nulla ratione naturali positivè, & ab intrinseco cognosci possit. Nam non nego: *suppositâ revelatione, & fide divina*, tam possibilitatem, quàm existentiam hujus mysterij posse probari, & quidem *primò negativè*: Solvendo nimirum omnia argumenta opposita, utpote quæ re ipsa sunt inania, & falsa, quia Veritati Divinæ contraria, *secundò*: etiam *positivè*, & *evidenter*, per evidentiam scilicet *extrinsecam*, quæ est in attestante, nempe hocce syllogismo in materia de fide, sæpè repetitô: *Quidquid Veritas prima dicit, evidenter est verum, sed Veritas prima dixit; Incarnationem non tantùm possibilem, sed jam factam esse: ergo evidens est Incarnationem tum esse possibilem, tum existere. Tertiò probabiliter*, sumptâ itidem probabilitate ab extrinseco: primò quidem ab oraculis sybillarum, & historijs Ethnicorum; tali v. g. argumento: *Ille homo, de quo verificata sunt omnium sybillarum vaticinia, prædicentia Incarnationem, est Filius DEI incarnatus. Atqui ex tot historijs etiam profanis constat fuisse in mundo talem hominem, de quo verificata sunt vaticinia sybillarum, ergo. Secundò*: per exempla, & similitudines, v. g. sic discurrendo: juxta fidem una natura est in tribus Personis, *ergo* vicissim possunt esse duæ naturæ in una Persona, ùt arguit Mellifluus *Serm. 3. in Vigilia Nativit.* Nunquam tamen, *supposita etiam revelatione* Incarnatio cognosci, & probari poterit ratione *aliqua naturali etiam probabili solùm, ab intrinseco ùt diximus*; quia revelatio divina nullam illi superaddit naturalem, & intrinsecam connexionem cum rebus ab intellectu creato cognoscibilibus. Vide, quæ in simili

diximus de DEO Uno, & Trino. Cit. Thesi XX. Num. 5.

§. I.

Objectiones contra Primam partem Thesis solvuntur.

1. OBjicies primò. Ex eo; *quòd natura humana sit omninò improportionata, & incapax assumi à Personalitate Divina.* Inter unibilia debet esse aliqua proportio, *atqui* inter naturam humanam utpote *finitam*, & inter Personalitatem Verbi, utpote *infinitam*, nulla est proportio, juxta illud: finiti ad infinitum nulla est proportio: *ergo* illa non possunt inter se uniri, adeoque non poterit esse Incarnatio Verbi Divini ad naturam humanam. *Confirmatur 1mò*: magis distat Personalitas Verbi à natura humana, quàm *accidens à substantia*, aut vicissim: *atqui* accidens non potest *existere* per *existentiam* substantiæ creatæ, aut vicissim, *ergo* nec natura humana potest *subsistere* per *subsistentiam*, seu Personalitatem Verbi. *Confirmatur secundò, Una Persona* creata non est proportionata subsistere per alteram personam creatam, *ergo* etiam natura creata non poterit subsistere per *Personam Divinam. Confirmatur tertiò. Persona* creata non est proportionata ut possit assumi *à Verbo*, *ergo* nec natura *creata* erit ad hoc proportionata. *Confirmatur Quartò. Accidens* non est proportionatum assumi à Verbo: *ergo* nec *substantia* creata. *Confirmatur Quintò.* Ens completum non est proportionatum, ut cum altero ente completo faciat unum *ens per se*, *sed* natura humana est ens completum: *ergo* non est proportionata, ut cum Personalitate Verbi, quæ etiam est ens completum

pletum faciat unum per ſe in ratione Perſonæ: *ergò*. *Confirmatur Sextò*. Natura *hirci* non eſt proportionata ut conjungatur naturæ *cervi*, ut fiat hirco-cervus: *ergo* etiam natura hominis, non eſt proportionata ſic conjungi Verbo divino, ut fiat Homo-Deus. *Confirmatur denique ſeptimò*. Intellectus creatus non eſt proportionatus ut intelligat per intellectionem divinam: *ergo* nec natura creata, ut ſubſiſtat ſubſiſtentiâ divinâ. *Reſpondeo ad argumentum: cum S. Thoma in 3. diſtinct. 1. Quæſt. 1. art. 1. ad 3tium. Diſtin. Maj.* Inter unibilia debet eſſe proportio in ratione *perfectivi, & perfectibilis, completivi, & complebilis, terminativi, & terminabilis*, quæ eſt aliqua proportio phyſica, ſeu habitudinis *Conc.* debet eſſe proportio in ratione entis, & æqualitatis, quæ eſt quædam proportio mathematica *Neg. Maj. ſic Diſt. Min.* & pariter *axioma explico*: finiti ad infinitum nulla eſt proportio phyſica, ſeu habitudinis *Neg.* nulla eſt proportio mathematica, ſeu in ratione entis, & æqualitatis *Conc. Min. & Neg. Conſequ.* Proportio phyſica dicitur quædam *habitudo ordinis, & reſpectûs unius ad alterum*, qualem v. g. dicit effectus ad ſuam cauſam, perfectibile ad ſuum perfectivum, terminabile ad terminativum; & talem proportionem poteſt habere finitum ad infinitum, & ſemper habet omnis effectus ad cauſam primam, & in præſenti natura humana ad ſubſiſtentiam Verbi, tanquam terminabile, ad terminativum, & perfectibile ad perfectivum. *Proportio mathematica eſt*, & dicitur, *certa quædam menſura qualitatum, quarum una alteram excedit juxta determinatam, certam; ac finitam menſuram aliquam*, ſive jam exceſſus ille ſit arithmeticus, ſive geometricus; & talem proportionem non poteſt habere finitum,

nitum, ad infinitum, cùm nullum infinitum sit mensurabile, & adæquabile aliquâ determinatâ, certâ, ac finitâ mensurâ. *Ad Confirmationem primam Dist. Maj.* Magìs distat in ratione entis, & æqualitatis *Conc.* in ratione perfectibilis, & perfectivi, terminabilis, & terminativi, *Neg. Maj.* sic, quàmvis materia, & forma substantialis in ratione entis magìs distent ab invicem, quàm duæ formæ substantiales, quia tamen, non magìs distant in *ratione perfectibilis, & perfectivi*, ideo materia, & forma possunt invicem uniri, non item duæ formæ substantiales. Cùm igitur susistentia divina contineat eminenter omnem perfectionem subsistentiæ creatæ, ideo potest naturam humanam reddere subsistentem multò præstantiori modô, quàm subsistentia creata, cujus vices supplet. Unde natura humana habet se ad subsistentiam divinam ùt *perfectibile ad perfectivum*, ùt terminabile ad terminativum, licèt infinitè in *ratione entis* ab ea distet. *Ad Min. identificantes* essentiam cum existentia *negant* suppositum: nempe quòd accidens, aut substantia habeat existentiam realiter distinctam á sua essentia actuali, ex quo dicunt clarè repugnare, ùt accidens existat per existentiam substantiæ, aut vicissim, sicuti clarè repugnat actualem essentiam, accidentis esse realiter ipsam substantiæ essentiam, aut vicissim. At nos, qui contrariam sententiam supponimus. *Concessâ Min. Neg. Consequ.* & disparitatem damus hanc. quia *existentia accidentis*, utpote limitata, habet tantùm dare: *esse in alio*, *ergo* non perficeret, sed destrueret rationem substantiæ, cui repugnat *esse in al*[illegible]: vicissim *existentia substantiæ* habet præcisè dare: *esse per, & in se*: *ergo* similiter non perficeret, sed destrueret rationem accidentis reddendo illud

illud existens *per*, & *in se*, cùm ei repugnet, *non esse in alio*, & sic se ista adinvicem non habent, *ùt perfectibile*, & *perfectivum*, sed potius ùt *destruibile*, & *destructivum*. *At* verò Personalitas Verbi, cùm ùt dixi, eminenter contineat perfectionem subsistentiæ creatæ, potest perficere, & complere naturam humanam, adeóque natura humana habet se ad Personalitatem divinam, ùt perfectibile ad suum perfectivum, ùt terminabile, ad suum terminativum.

Ad secundam Confirm. Conc. Ant. Neg. Consequ. Disparitas est eadem, quia nempe duæ personæ creatæ non habent ad se invicem rationem perfectibilis, & perfectivi, sed *exclusivi*; cùm enim quælibet persona creata sit *ultimus terminus naturæ*, repugnat ulteriùs terminari, & perfici ab altera; id quod patet in omni primo, & ultimo suæ lineæ, & generis. Sic enim quia Deus in genere *causæ efficientis*, est causa prima, nequit produci per aliam causam primam, & quia in genere *causæ finalis* est finis ultimus, nequit ferri in alium finem ultimum, & quia materia *prima* est subjectum *primum*, nequit aliud habere subjectum, in quo recipiatur; & pariter quia *forma substantialis* est actus *primus* informans, nequit alium habere actum *primum*, quó illa informetur; denique, quia modus quilibet in suo genere est ultima determinatio *ùt quô* ad se invicem indifferentium, nequit sub eadem ratione ab alio determinari; at verò Personalitas Verbi in se eminenter continens omnem omninò perfectionem terminandi naturam creatam, est adhuc *pefectiva* naturæ humanæ, quæ supponitur *carere terminô ultimô*, & *subsistentiâ* creatâ, & natura humana est perfectibilis ab illa: *ergo*.

Ad Tertiam Confirm. Conc. Ant. Neg. Consequ. Disparitas est, quia *de ratione personæ est ut existat per se*,

& in se, *adeóque ut sistat in se*, & non in alio ùt suppositio, quia *esse per se*, *& in se*; *& esse in alio*, sunt duo modi ità repugnantes, ut unus proximè, & immediatè includat negationem alterius, *sicut esse rectum*, *& curvum*; *ergo* persona creata cùm vi propriæ subsistentiæ dicat *esse per se*, *& in se*, non potest quâcunque aliena subsistentiâ subsistere: at verò *natura creata*, *secundùm se*, & spoliatâ propriâ subsistentiâ, licèt exigat connaturaliter esse, seu subsistere *per se*, *& in se*, non tamen idipsum essentialiter includit in actu secundo, adeóque poterit divinitus subsistere tantùm in alio, & tantùm terminari Personalitate Verbi, ùt contigit in natura humana Christi.

Ad 4*tam Confirm. Neg. Conseq.* Ratio est: quia *accidens est entis ens*, & comparatur ad substantiam sicut *actus ad potentiam*: *ergo* ut Verbum possit immediatè uniri accidenti, illudque assumere, debet esse aliquomodò perfectibile ab accidente, & in potentia ad illud. *Atqui* repugnat Verbo Divino, ut sit perfectibile ab accidente, & in potentia ad illud, tanquam ad suum actum perfectivum, cùm Verbum Divinum sit *actus purus*, in se perfectissimus & expers omnis potentialitatis, *ergo*. *At verò* natura creata habet se ad subsistentiam; seu Personalitatem Verbi Divini tanquam *potentia ad suum actum ultimum substantialem*: *ergo* ut possit uniri subsistentiæ Verbi, sufficit, ut natura creata actuetur, & perficiatur per illam, non verò ut actuet, & perficiat illam, quod neque imperfectioni naturæ creatæ, neque perfectioni Personalitatis Verbi Divini repugnat: *ergo*.

Ad quintam Confirm. Dist. Maj. ens *ultimatè*, id est: etiam in ratione suppositi completum; non est proportionatum, ut cum altero ente etiam sic completo faciat *unum per se Conc.* ens completum solùm in ratione

tione compositi, non verò suppositi, adeóque non ultimatè completum *Neg. Maj. similiter Dist. Min.* & *Neg. Consequ.* Nam cùm pro priori ad unionem hypostaticam natura assumpta, non sit completa in ratione suppositi, sed compleatur pro posteriori per subsistentiam Verbi, ideo resultat *unum per se* in ratione suppositi, & Personæ.

Ad 6tam Confirm. Dist. Ant. ut fiat hirco-cervus per identitatem *Conc.* per unionem, *subdist.* ad subsistentiam divinam *Neg.* creatam *Conc. Ant.* & *Neg. Conseq.*

Ad septimam Confirm. Denique *Conc. Ant. Neg. Conseq.* Disparitas est; Quia de ratione intellectionis est, ut sit actus *vitalis*, & rursus de ratione cujuscunque actionis vitalis est, ut producatur à principio vitæ, sitque illi *vel* per identitatem, ùt est in divinis, *vel* per informationem, ùt est in creatis, intrinseca; quod utrumque repugnat Intellectioni divinæ respectu intellectûs creati, ùt patet. De ratione subsistentiæ quâ talis, non est, ut sit actus vitalis, neque ut sit *vel* per identitatem, vel per informationem intrinseca naturæ, quam reddit subsistentem, bene verò ut ei sit intrinseca per terminationem, quod non repugnat subsistentiæ divinæ, ùt magìs videbimus *Num. 18. ergo.*

Objicies 2dò. Ex eo, *quòd natura humana Personalitati Divinæ unita esset perpetuò in statu violento.* 16.
Unde sic: Metaphysicè implicat, ut natura humana unita Verbo Divino ratione unionis patiatur violentiam, quia pateretur illam per totam æternitatem, quod est contra Philosophum *5tò Metaphys.* dicentem: *Nullum violentum est perpetuum. Atqui* si natura humana uniretur hypostaticè Verbo Divino, pateretur ratione unionis hypostaticæ perpetu-

petuam violentiam; *ergo*. *Prob. Min*. Natura humana habet inclinationem ad *propriam* ſubſiſtentiam, ùt ad propriam perfectionem, quâ tamen perpetuò ratione unionis ad Perſonalitatem Verbi privaretur, nec *suppleretur* illa perfectio per ſubſiſtentiam Perſonalem Verbi, cùm enim ſubſiſtentia Perſonalis ſit relativa dicens rationem *ad*, nullam importat perfectionem, adeóque nec ſupplet perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ, ſed quando aliqua natura caret perpetuò propriâ perfectione, quæ aliunde non ſuppletur, patitur violentiam perpetuam: *ergo* natura humana unita Perſonalitati divinæ, ratione hujus unionis pateretur perpetuam violentiam. *Reſpond. Neg. Min. Probat. Diſt. primam partem Maj. primò ſic*: ex Philippo à Sanctiſſima Trinitate hìc *Diſput. 1. Dub. 1 ad 3tium*. Habet inclinationem ad *propriam ſubſiſtentiam* ſecundariò *Conc.* primariò *Neg*. Nam appetitus naturæ aſſumptæ *primariò* requirit *ſubſiſtere*, *ſecundariò* autem ſubſiſtere per *propriam*, & connaturalem ſubſiſtentiam. *Secundò* ſic: habet inclinationem ad propriam ſubſiſtentiam, quando non eſt, unita ſubſiſtentiæ nobiliori perficienti naturam humanam, non minùs, imò magìs, quàm illam perficeret ſubſiſtentia propria *Conc.* ſi ſit unita ſubſiſtentiæ nobiliori *Neg. hanc partem Maj*. Ratio eſt: quia inclinatio naturalis, ſeu appetitus innatus deſumitur ex appetitu elicito rectè ordinato, *ùt inquit P. Gormaz hic Diſput. 1. Sect. 2. num. 23*. Appetitus autem elicitus rectè ordinatus non deſiderat perfectionem inferiorem, quando locò illius habet altiorem, & utramque ſimul habere non poteſt. Cùm igitur humanitas Chriſti unita hypoſtaticè Perſonalitati Divinæ, acquirat perfectionem altiorem, in qua ſubſiſtit, & à qua

magìs

magis perficitur, quàm à propria subsistentia, atque simul Personalitatem Verbi, & suam propriam habere nequeat, idcirco non exigit pro eo statu propriam suam subsistentiam. *Tertiò denique sic*: Natura humana habet inclinationem ad propriam subsistentiam, ità tamen ut simul habeat potentiam *obedientialem*, seu non repugnantiam ad subsistentiam divinam excessivè supplentem perfectionem subsistentiæ sibi propriæ *Conc.* ut non habeat talem non repugnantiam *Neg. primam partem Maj.* Ad hanc distinctionem meliùs intelligendam juvat recolligere, quæ in simili, Thesi VII. De Deo Uno, & Trino præsertim num. 13. & 14, diximus. *Secundam partem Maj. absolutè* nego; licèt enim subsistentia Personalis Verbi divini secundùm rationem *ad*, pro *explicito* nullam importet perfectionem, dicit tamen infinitam perfectionem pro *implicito*, ratione omnium aliorum, quæ includit, ùt ostendimus *De Deo Trino Thesi XVII. maximè num. 18.* Atque ità supplet excellentiori modô subsistentiam creatam, & sic supplendo perfectionem, complet, ac satiat appetitum naturalem subsistendi, qui est in natura assumpta, ut hæc planè non sit in ullo statu violento. *Unde Conc. Min. argumenti Neg. Conseq.*

Objі. Tertiò: ex eo, *quòd subsistentia creata nequeat suppleri per subsistentiam divinam.* Nam *primò*. subsistentia hominis est complementum substantiale hominis, *atqui* complementum substantiale hominis non potest suppleri per Verbum Divinum, alioquin Christus non esset perfectus homo: *ergo* subsistentia hominis non potest suppleri per Verbum; *ergo &c. 2dò.* Vis terminandi subsistentiæ divinæ non potest extendi ultra actum sibi adæquatum, *sed*, si divina subsistentia terminando naturam humanam 17.

suppleret subsistentiam creatam, vis illius terminandi extenderetur ultra actum sibi adæquatum, *ergo*, *&c. Maj. patet.* in potentia generativa Patris divini, quæ, licèt sit simpliciter infinita, non potest tamen habere duos actus generandi, *ideo* præcise quia actus, quô genuit Verbum divinum, est sibi adæquatus. *Min. verò Prob.* Terminatio, quâ divina subsistentia terminat naturam divinam est illi omninò *adæquata*, quia simpliciter *infinita*, *ergo* si terminaret præterea naturam humanam extenderet se ultra actum sibi adæquatum. *Tertiò.* si subsistentia divina suppleret subsistentiam creatam præstando naturæ creatæ effectum subsistendi, natura creata *subsisteret infinitè*, sed natura creata non potest subsistere infinitè, *ergo*. *Prob. sequela Maj. primò.* Subsistentia divina est *infinita*: *ergo* si natura creata per illam subsisteret, subsisteret *infinitè*. *Secundò*; facere subsistere *modô finitô*, est effectus ità proprius subsistentiæ creatæ, ut non possit facere subsistere nisì finitè: *ergo* ex opposito, facere subsistere *modô infinitô*, est effectus ità proprius subsistentiæ divinæ, ut non possit facere subsistere naturam, nisì infinitè. *Tertiò*; Quando aliquod subjectum est incapax effectus proprij alicujus formæ, vel termini; est etiam incapax ut tali formæ, vel termino uniatur, & per talem formam, aut terminum in illo aliquid suppleatur; *sed* effectus proprius subsistentiæ divinæ non est facere: *subsistere utcunque*, sed *infinitè*, *ergo* hôc ipso: quòd natura creata sit incapax subsistere infinitè, est omninò incapax ut illi uniatur subsistentia divina; aut si est capax ut sibi uniatur subsistentia divina, etiam erit capax, ut per ipsam *subsistat infinitè*. *IV.* denique si subsistentia divina suppleret subsistentiam creatam

sup-

ſuppleret *vices* formæ eſſetque forma, *ſed* hoc repugnat, quia ſecundùm D. Thomam I. Parte Quæſtione II. art. 8. Cauſalitas materiæ, & formæ, cùm eſſentialiter includant rationem partis, dicunt imperfectionem DEO incompoſſibilem: *ergo*. *Prob. Maj.* ſubſiſtentia creata eſt *forma*, per quam natura ſubſiſtit formaliter, & completur in eſſe cauſæ formalis: *ergo* ſubſiſtentia divina ſupplens creatam, ſupplet *vices* formæ, & eſſet aliqua forma. *Confirm.* Omne componens eſt propriè pars, *atqui* Verbum Divinum eſſet componens, componit enim unum per ſe, cum natura humana, nempe ſuppoſitum: *ergo* eſſet propriè pars, *ſed* non ſubjectum: *ergo* eſſet forma. *Reſp. ad primum Diſt. Maj.* ſubſiſtentia hominis eſt ſubſtantiale complementum hominis in ratione perſonæ *Conc.* in ratione naturæ, ſeu hominis *ùt homo eſt Neg. Maj.* ſic *Diſt. Min. & Neg. Conſeq.* Nam ſubſiſtentia creata, ſeu ſubſtantialis ille modus exiſtendi per ſe, & in ſe, non eſt de eſſentia hominis *ut homo eſt*, ſed ſolùm eſt de eſſentia hominis, *ut ſubſiſtens eſt*. Unde etiam Verbum non aſſumpſit hominem *ſubſiſtentem præſuppoſitivè*, ſed ſolùm *conſtitutivè*, & ideo Chriſtus eſt *Homo* perfectus, licèt non habeat ſubſiſtentiam creatam. *Ad ſecundum Diſt. Maj.* Vis terminandi non poteſt extendi ultra actum ſibi *adæquatum primarium Neg.* Ultra actum ſibi *adæquatum ùt ſic*, prout abſtrahit à primario, & ſecundario *Conc. Maj. Diſt. ſimiliter Min.* extenderetur ultra actum ſibi *adæquatum ùt ſic*, prout nempe abſtrahit à primario, & ſecundario *Neg.* ultra actum adæquatum primarium *Conc. Min. & Conſeq.* licèt *ergo* nulla res poſſit ſe extendere ultra actum, vel terminum ſibi *adæquatum abſolutè*, ſeu *ùt ſic*, poteſt tamen ſe extendere ultra

actum,

actum, vel terminum sibi adæquatum primarium. Instantia esse *primò in Divina scientia*, quæ propter suam infinitudinem non potest habere pro *objecto adæquato primario*, nisi DEUM, & tamen extendit se secundariò ad creaturas. *Secundò*: *In voluntate divina*, quæ propter eandem infinitudinem suam non potest habere pro *objecto primario*, nisi DEUM, & tamen extendit se secundariò ad creata. Idem *ergo* est in divina subsistentia, quæ licèt habeat pro *actu adæquato primario*, *terminare naturam* divinam, potest tamen etiam secundariò terminare naturam creatam. *Ad exemplum de potentia* generativa Patris divini ad intra dico: ideo illam non posse habere duos actus generandi, quia uterque esset actus generandi *adæquatus primarius*, non autem unus *adæquatus primarius*, & alter *adæquatus secundarius*. Duo autem actus adæquati primarij respectu ejusdem, potentiæ implicant, non item unus primarius; & alter secundarius: *ergo*. *Prob. Min. Dist. Ant.* Terminatio quâ divina subsistentia terminat naturam divinam, est illi omnino adæquata *primaria Conc.* est illi adæquata *absolutè*, & prout abstrahit à primaria, & secundaria *Neg. Ant. Dist. similiter Consequ.* Extenderet se ultra actum adæquatum *primarium Conc.* ad actum adæquatum prout *abstrahit* à primario, & secundario *Neg. Conseq. Ad 3tium Neg. Maj. Primæ Prob. ejusdem Dist. Ant. Est infinita*, & *modô infinitô* unita, vel unibilis naturæ creatæ *Neg. Ant.* tantùm unibilis illi modô finitô *Conc. Ant.* & *Neg. Consequ.* Terminus quidem *infinitus* communicat se infinitè, quando modô infinitô unitur; & hoc modô subsistentia divina facit naturam divinam infinitè subsistere. Si autem uniatur modô finitô & subjecto *finito*, ùt in Incarnatione Verbi di-

vini

vini contingit, ſolùm ſe communicat finitè, licèt in ſe talis terminus ſit infinitus, quia ſic exercere non poteſt infinitatem ſuam in natura aſſumpta propter incapacitatem,& limitationem illius, ſicut ſumma, & *infinita* intelligibilitas divina nequit exercere infinitatem ſuam reſpectu intellectûs creati. *Accedit* : quòd ſubſiſtentia divina in Incarnatione non ſuppleat vices ſubſiſtentiæ infinitæ, ſed finitæ utpote propriæ naturæ humanæ. *Secundæ Prob. Maj. Conc. Ant. & Neg. Conſequ.* Diſparitas eſt : Quia non repugnat, ut id, quod eſt proprium formæ inferiori, reperiatur in ſuperiori eminenter, ſicut non obſtante ; quòd effectus vegetationis ſit proprius formæ plantarum, tamen reperiatur in anima rationali, repugnat autem èccontra; quod idem affirmandum eſt : de ſubſiſtentia divina reſpectu effectûs proprij ſubſiſtentiæ creatæ, & negandum de ſubſiſtentia creata reſpectu effectûs proprij ſubſiſtentiæ divinæ, qui eſt reddere naturam infinitè ſubſiſtentem. *Tertiæ Prob. ejusdem Maj. Diſt. Min. ſi ſubſiſtentia divina* conſideretur ſecundùm id, quod formaliter explicat *Conc. Min.* ſi conſideretur ſecundùm id, quod eminenter præcontinet *Neg. Min. & Conſeq.* Igitur *ſubſiſtentia divina* ſi conſideretur ſecundum id, quod formaliter explicat, ſolùm facit ſubſiſtere *infinitè naturam divinam* : ſi autem conſideretur ſecundùm id, quod *eminenter præcontinet*, habet : *facere ſubſiſtere finitè naturam creatam.* Ut autem aliqua forma, vel terminus poſſit uniri alicui ſubjecto, ſufficit : quòd illi poſſit formaliter communicare effectum in ipſa eminenter contentum, ùt patet in anima rationali, quæ unitur capillis, & unguibus, quibus tantùm communicat effectum vegetandi, quem ſolùm eminenter præcontinet anima

rationalis. *Ad Quartum Resp. Neg. Maj. Argumenti, & Prob. Ant.* Nam ſubſiſtentia quá talis, eſt tantùm *actus terminativus*, non verò *informativus*, & effectus illius non eſt informatio, ſed terminatio: hinc ſubſiſtentia divina non ſupplet vices *formæ*, ſed tantùm *termini*, & ultimi complementi ſubſtantialis, eô modô, quô *eſſentia divina* reſpectu intellectûs beati, & *Perſonalitates divinæ* reſpectu naturæ divinæ, habent rationem purè *terminantis*, & non *informantis*. Ratio eſt: 1mò: Quia ſi ſubſiſtentia eſſet vera forma, eſſet forma ſubſtantialis, cùm ſit complementum ſubſtantiale, & conſequenter eſſet *actus primus* conſtituens ſpeciem, ſed hoc non, quia ſubſiſtentia eſt actus ultimus terminativus naturæ, adeóque ſupponens actum primum, utpote adveniens naturæ in eſſe ſpecifico, & individuali jam conſtitutæ. 2dò: Quia omnis forma eſt ratio, & pars ſpeciei, adeóque intrat in definitionem, ſed ſic non intrat ſubſiſtentia in definitionem ſpeciei, v. g. humanæ, aliàs enim Chriſtus non eſſet ejusdem ſpeciei nobiſcum Homo: *ergo*. Unde ratio actûs, vel termini latiùs patet, quàm ratio formæ. Licèt enim utraque perficiant ſubjectum, tamen forma informans ordinatur ad aliquid perfectius ſe ſcilicet ad compoſitum; terminus autem non item, ſed potiùs totam naturam, & compoſitum ad ſe ordinat, & ad ſuum eſſe trahit, & ſic caret omni imperfectione, ſed perfectionem effundit. *Confir. Diſt. Maj.* Omne componens permodum ſubjecti vel veræ formæ eſt propriè pars *Conc.* permodum puri termini, & actûs nullatenùs perfectibilis, ſed perfectivi, eſt propriè pars *Neg. Maj.* ſimiliter *Diſt. Min. Neg. Conſequ.* ſicut enim ratio termini, & actûs latiùs patet, quàm ratio formæ, ità etiam ly componens

nens latiùs patet, quàm pars propriè dicta. Puncta namque continuantia quantitatem, componunt cum illa unum continuum, & tamen non sunt partes continui, sed puri termini.

Obji. quartò: ex eo: *quòd Verbum Divinum sit immutabile*. Unde sic: Ex Incarnatione, sequitur verbum divinum posse intrinsecè mutari: *ergo* repugnat Incarnatio. *Prob. Ant. 1mò* Intrinsecè mutari est aliter se habere *nunc*, quàm *antea*, *sed* positâ Incarnatione, DEUS aliter se habet *nunc*, quàm *antea*: *ergo*. *Prob. Min.* Ante Incarnationem non *fuisset* Homo, & factâ Incarnatione, esset intrinsecè Homo: *ergo* aliter se haberet. *Prob. secundò*: Intrinsecè mutari, est transire de potentia ad actum sibi intrinsecum, sed si Deus posset incarnari, posset transire de potentia ad actum sibi intrinsecum: *ergo*. *Prob. Min.* Ante Incarnationem, fuisset in potentia ad humanitatem, & in instanti Incarnationis haberet humanitatem; humanitas enim esset quidem actus, & forma intrinseca ipsi Deo, siquidem per illam constitueretur formaliter Homo: *ergo*. *Prob. Ant.* idem *Tertiò*: Transire de non esse uniti *intrinsecè* ad esse uniti *intrinsecè* est vera mutatio; *sed* Verbum divinum per Incarnationem transiret de non esse uniti *intrinsecè*, ad esse uniti *intrinsecè*, *ergo* in Verbo divino esset vera mutatio: *ergo*. *Resp. ad argumentum Neg. Ant.* Incarnatio enim nullam importat mutationem in DEO *assumente*, sed in natura *assumpta*. Non enim omnis fitio est mutatio respectu utriusque extremi, sed tantùm respectu illius, quod habet *rationem subjecti recipientis*, & potentialitatis passivæ intrinsecæ, ùt clarè patet in instantijs: sic DEUS per creationem mundi factus est in tempore *Creator Mundi*, absque ulla mutatione sui, sed 18.

per solam *mutationem mundi* transeuntis à sui *non esse ad esse*: sic quælibet *causa efficiens quâ talis*, fit ex non agente agens, per solam mutationem effectûs. Cùm igitur DEUS sit expers omnis *potentialitatis* intrinsecæ, etiam est expers omnis mutabilitatis intrinsecæ, sive illa sit perfectiva subjecti, sive non. Unde ad *1mam Prob. Ant. Neg. Min.* Ejus Probationis *Dist. Ant.* Ante Incarnationem non fuisset Homo, & factâ Incarnatione fuisset intrinsecè Homo, per hoc præcisè quòd terminaret humanitatem *Conc.* fuisset intrinsecè Homo, recipiendo in se, tanquam in subjecto, vel tanquam in potentia passiva humanitatem *Neg. Ant.* & *Dist. similiter Consequ. ergo* aliter se haberet post, quàm ante Incarnationem, si *reciperet humanitatem* in se *tanquam in subjecto dicente potentiam passivam ad illam Conc.* aliter se haberet si purè terminaret illam *Neg. Conseq. Hinc patet ad secundam Probationem Ant.* cui neganda est *Min.* unà cum *probatione*: Non enim est Deus factus Homo ratione alicujus *potentiæ passivæ*, quam habuit ad *recipiendam* humanitatem, cùm sit actus purissimus, sed ratione *supremæ, ac infinitæ actualitatis*, per quam eminenter continet omnem perfectionem subsistentiæ creatæ, potensque est terminare humanitatem, & reddere illam subsistentem, & ratione *potentiæ passivæ*, quam habet humanitas à Deo terminabilis. Ità citatus Philippus à SS. Trinitate ad 5tum, & Gonet Disput. 2. à num. 42. Pro cujus majori intelligentia.

19. Notandum: Tripliciter posse unum *uniri intrinsecè* alteri. *1mò.* Permodum subjecti recipientis. *2dò*: Permodum formæ informantis, & inhærentis. *3tiò*: Permodū termini terminantis. Primus, & secundus modus *unionis intrinsecæ* arguit mutationem, & imperfectio-

ctionem, in utroque extremo unito, quia *dicit rationem partis perfectibilis*. Non item tertius modus unionis intrinsecæ permodùm termini purè terminantis. Terminus enim absque mutatione sui terminare potest. *Cujus ratio est triplex prima est*: quia in conceptu essentiali *puri termini* nulla involvitur imperfectio, aliàs enim essentia divina non posset terminare intellectum, & voluntatem beati, quin potiùs explicat perfectionem simpliciter simplicem; Unde sicut ex hoc capite non requirit informationem, sic neque requirit mutationem, quia est æquè magna imperfectio. *Secunda est*: Quia terminus terminans non contrahitur *ad esse naturæ terminatæ per ipsum*, sed potiùs *trahit illam ad esse suum*, ac proinde solùm invenitur mutatio in ipsa natura terminata, non verò in termino trahente, & terminante naturam. *Tertia* denique est: Quia ad mutationem intrinsecam alicujus requiritur; ut adveniat illi aliquid de novo, ad quod antea erat in potentia passiva, & receptiva. Non enim stare potest *intrinseca mutatio*, absque eo, quòd *auferatur aliqua intrinseca potentialitas* quantum ad privationem ad actum, seu formam novam. Sicut enim omnis mutabilitas ex potentialitate cum privatione ad actum provenit (nam quò aliquid habet *magìs de potentialitate*, eò *magis est mutabile*) ità omnis mutatio intrinseca *supponit* potentialitatem intrinsecam cum privatione ad actum, quam potentialitatem quantum ad privationem auferat. Terminus autem ut terminet, non *petit ex conceptu suo essentiali* potentialitatem aliquam intrinsecam, quam quantùm ad privationem formæ intrinsecæ auferat mediâ naturâ terminatâ. Terminare enim ex conceptu terminationis non est *pati*, sed potius *agere*,

ſicut autem unumquodque patitur in quantum eſt in potentia, itâ unumquodque agit, in quantum eſt in actu, unde terminus ex ſuo conceptu non petit intrinſecam *potentialitatem*, ut poſſit *terminare naturam*, ſed ſufficit, quòd in natura ſit intrinſeca potentialitas ut terminetur, ac proinde ut detur *intrinſeca* unio ad terminum, non requiritur, ut terminus *intrinſecè mutetur*. Quare ſicut punctum *in ſe indiviſibile*, eſt terminus lineæ in *ſe diviſibilis*, ſic Verbum Divinum *in ſe immutabile*, eſt terminus humanitatis *in ſe mutabilis*. Ad 3tiam *probationem Diſt. ſimiliter Maj.* Tranſire de non eſſe uniti intrinſecè, ad eſſe uniti intrinſecè præciſe *terminando unionem*, eſt vera mutatio intrinſeca *Neg.* permodum ſubjecti recipiendo *Conc. Maj.* ſic *Diſt. Min. & Neg. Conſeq.* Quia tranſire de non eſſe uniti intrinſecè ad eſſe uniti permodum *puri termini*, eſt tranſire *de non eſſe dantis*, ad eſſe dantis, non verò *de non eſſe ad eſſe intrinſecè accipientis*. Tranſitus autem *de non eſſe dantis*, ad *eſſe* dantis fieri poteſt ſinè intrinſeca mutatione *dantis*, ùt patet *in DEO creante* mundum, & omni cauſa efficiente, quà tali, ùt diximus nuper *ergo*.

20. *Replicabis. Uniri intrinſecè* etiam *nihil recipiendo*, eſt vera mutatio, ſic namque *Primò*: anima rationalis, licèt *non recipiat* materiam primam, neque unionem materiæ: quia tamen *intrinſecè unitur* materiæ, illam actuando, dicitur verè mutari: *ergo* etiam Verbum Divinum ſi *intrinſecè* uniretur humanitati, verè mutaretur. *Secundò*: ſi *Perſona Angeli* per impoſſibile *uniretur* humanitati, mutaretur intrinſecè, & tamen illam *non reciperet*, ſed tantùm *terminaret*: *ergo*. *Reſpon. Diſt. Ant. Uniri intrinſecè* tanquam *actum*, ſeu *terminum perfectibilem*, eſt ve-

rè

rè mutari *Conc.* Uniri intrinſecè tanquam actum, & terminum *purè perfectivum Neg. Ant. Probationi ſimiliter Diſt. Ant.* Quia intrinſecè unitur materiæ illam actuando *tanquam actus*, ſeu terminus *perfectibilis*, dicitur verè mutari *Conc.* Quia unitur tanquam terminus *purè perfectivus Neg. Ant. & Conſeq.* Licèt enim anima rationalis non *recipiat in ſe* materiam, aut unionem materiæ, eſt tamen vera forma, & ſubſtantia *incompleta*; de eſſentia autem veræ formæ eſt, ut *ſit pars totius perfectibilis* ab altera comparte, nempe à ſubjecto, tum quoad *ſuum eſſe*, ut à ſubjecto *adjuta* conſtituat cum illo unam *perfectam naturam ſpecificam*; *tum* quoad ſuum *operari*, quia *connaturaliter* nihil operatur nisì *dependenter à materialitate*, conſequenter *quælibet vera forma*, etiam anima rationalis in compoſito humano, dicitur verè, & *intrinſecè perfici*, & *mutari*. Econtrà verò *Verbum* Divinum in Chriſto, cùm ſubeat *purum* munus ſubſiſtentiæ, ſeu *puri termini*, inde *non eſt vera forma*, neque unitur humanitati tanquam *pars* comparti, ſed tanquam *purus terminus ſubſtantialis*, & perfectivus naturæ humanæ in ratione *ſuppoſiti*, & ſic non poteſt dici *intrinſecè* mutari. *Ad ſecundam probationem Reſpond. Neg. ſequel. Ant.* Quia etiam *in hoc caſu* Angeli ſubſiſtentia *quà talis*, *terminaret* tantùm humanitatem, & *non informaret* illam, adeóque *quà talis* non eſſet vera forma, aut actus informativus: Quia tamen perſonalitas *Creata* in ratione *entitatis* ſuæ, adeoque *quæ talis*, eſt *ens modale*, & incompletum, idcirco ſubſiſtentia Angelica ratione entitatis ſuæ, & *quà talis* etiam *reciperetur* in natura tanquam *modus* in ſuo modificato, & tanquam forma in ſuo ſubjecto, & ſic *compleretur* & *perficeretur* per unionem ad humanitatem, adeóque etiam mutaretur, quia

omnis

omnis forma *receptione sui* in subjecto mutatur, *secùs* est in Verbo Divino, quod *in se* est Ens completissimum, & actualissimum, adeóque ratione *entitatis* suæ nec compleri, nec perfici potest per unionem ad humanitatem, *nec recipi* in illa potest, & sic se habet *purè terminativè*, & perfectivè ad illam, & nequaquam intrinsecè mutatur, idem dicendum est, si argumentum fiat de *Personalitate creata*, quæ produceretur per impossibile separata à natura creata, & postmodum naturæ uniretur. Atque propter *hanc differentiam* personalitatis Divinæ à subsistentia & personalitate creata, potuisset dissimulari *Ant. & Neg. Consequ.* hanc ipsam differentiam dando pro disparitate.

21. *Urgebis*: Licèt *terminus* extrinsecè *denominatus* nullam habeat mutationem intrinsecam, tamen eam subit terminus *intrinsecè denominatus*; *sed* Verbum Divinum non est merè *extrinsecè* unitum, sicut *objectum extrinsecè cognitum*, sed est *intrinsecè* unitum, adeoque terminus intrinsecè denominatus: *ergo* subit mutationem intrinsecam. *Min. patet. Maj. prob.* Licèt donominatio *extrinseca* possit de novo advenire, *sinè mutatione intrinseca*, non tamen sic advenire potest denominatio *intrinseca*: *ergo* etiam, licèt terminus *extrinsecè denominatus* nullam subeat *mutationem intrinsecam*, tamen illam subit *terminus intrinsecè denominatus*. *Prob. Ant.* Denominatio *extrinseca* non potest de novo advenire sinè mutatione extrinseca: *ergo* etiam *denominatio intrinseca* non potest de novo advenire *sinè* mutatione *intrinseca* denominati, *Prob. Conseq.* Quia si terminus intrinsecè denominatus non mutaretur intrinsecè, eô ipsô jam *denovo adveniret denominatio intrinseca sinè mutatione intrinseca* intrinsecè denominati. *ergo. Confirm.*

firm. Primò: Ut verificetur, quòd Perſona Divina poſſit uniri naturæ humanæ *permodùm termini intrinſeci*, debet verificari de illa, quod ſit *unibilis*: *ſed eſſe unibile* denotat *potentiam paſſivam*, ſicut eſſe *producibile*, & *generabile*; potentia autem paſſiva arguit mutabilitatem: *ergo* Perſona Divina permodum *termini intrinſeci* unibilis, dicit *potentiam paſſivam*, & per Conſequens mutabilitatem intrinſecam. *Confirm. ſecundò*: ſi Verbum Divinum uniretur humanitati *permodum termini intrinſeci*, acquireret intrinſecè aliquam naturam *ſubſtantialem*, quia inciperet in ſe habere *humanitatem*, *ſed* hoc nequit fieri ſinè mutatione intrinſeca Verbi Divini: *ergo*. *Prob. Min.* Si Deo adveniret in tempore aliqua *relatio realis* mutaretur intrinſecè, *ſed* majorem mutationem debet facere *natura ſubſtantialis*, *de novo* ſuperveniens, quàm relatio, aut aliud accidens: *ergo*. *Confirm. Tertiò*: ſi eſſet aſſignabilis *locus* aliquis, ubi non eſſet Deus, & ibi *inciperet* eſſe de novo, mutaretur Deus: *ſimiliter* ſi eſſet aliqua creatura, quam DEUS *inciperet de novo* cognoſcere, *mutaretur* intrinſecè DEUS: *ergo* à pari, ſi eſſet aſſignabilis, aliqua natura, cui Deus non eſſet unitus, & poſtea illi *permodum termini intrinſeci* uniretur, mutaretur; *ſed* hoc fit in Incarnatione: *ergo*. *Confirm Quartò*: Inter intrinſecè unita intercedit *relatio uniti*; *ſed* relatio uniti eſt *mutua*, quia eſt relatio æquiparantiæ, relatio autem mutua recipitur in *utroque* extremo: *ergo* relatio uniti *recipitur* etiam *in Verbo Divino* tanquam in extremo, adeóque Verbum Divinum eſt *in potentia paſſiva*, & ſubjectum mutationis: *ergo*. *Confirm. denique Quintò*: unio *artificialis* v. g. gluten, Clavus, &c. non poteſt connectere duo extrema, niſì intrinſecè immutet utrumque: *ergo* nec unio

Hypoſtatica poteſt *unire humanitatem Verbo* tanquam termino intrinſeco, *ſinè intrinſeca* mutatione Verbi. *Reſpond. ad hoc urgebis Diſt. 2dam partem Maj.* Eam tamen ſubit *terminus intrinſecè denominatus* (intellige *materialiter*, & *ſpecificativè* acceptus) ſi *aliunde* ſit in potentia paſſiva, & intrinſecè receptiva ad formam denominantem *Conc. Secùs Neg. hanc partem 2dam Maj. Diſt. ſimiliter Min.* Eſt terminus *intrinſecè* unitus, & denominatus, qui *eſt in potentia* paſſiva, & receptiva intrinſecè formæ denominantis *Neg.* qui *non eſt* in tali pŏtentia paſſiva *Conc. Min.* & *Neg. Conſeq. inſtantia* eſt *Primò*: in relatione Patris ſe extendente ad *2dum* Filium, quæ ex non referente Patrem ad *2dum* filium, fit referens illum ad *2dum* filium. *Secundò*; in ſpecie Angelica, quæ *de non repræſentante fit*, & denominatur *actu repræſentans* objectum ſolutô ſecretô alterius, *ſinè omni* mutatione intrinſeca: *ergo* à pari, *imò* propter *maximam actualitatem* Verbi Divini, à potiori hìc &c. *Ad probationem Maj. Diſt. Ant.* non tamen advenire poteſt intrinſeca, ſi ſupponat *potentiam paſſivam* in eo, quod denominat *Conc.* ſi non ſupponat *Neg. Ant.* & *Conſeq.* unde patet ad reliqua. *Ad 1mam Confir. Reſpond. ex D. Thoma in 3tium Diſtinct. 1mâ, Quæſt. 1mâ, Art. 1mô ad 1mum. Diſt. Maj.* Quòd ſit unibilis ratione alicujus *potentiæ paſſivæ* in *Perſona Divina* repertæ *Neg.* ratione *potentiæ paſſivæ* in *natura humana Conc. Maj. Diſt. etiam Min. Sed* eſſe unibile denotat potentiam paſſivam, & hæc arguit mutabilitatem *ex parte naturæ humanæ Conc. Perſonæ Divinæ Neg. Min.* & *Conſeq.* Sicut enim (inſtantia eſt *mox Cit. S. Thomæ*) dicitur res ſcibilis, actu ſcita, non per potentiam paſſivam, quæ *eſt in ipſa*, ſed per *potentiam*, quæ eſt *in ſciente, intrinſecè immutatam*;

tam; ſic dicitur DEUS *unibilis* humanitati, non quod *in ipſo* ſit aliqua potentia paſſiva ut uniatur, ſed quia *in humanitate eſt potentia* paſſiva, ut Deus ſibi ipſam uniat, exiſtente in DEO *ſola virtute*, & potentialitate *intrinſeca activa*; ſed

Dices: Uniri eſt *pati*: *ergò* ſi verificatur, quòd Verbum Divinum uniatur, verificatur, quòd patiatur, atque ità erit potentia paſſiva in Verbo. *Prob. Ant. Unire*, eſt *agere*: *ergo* uniri eſt pati. *Prob. Conſeq.* Omni actioni debet correſpondere aliqua paſſio, ſed huic *actioni*, quæ eſt *unire*, non poteſt *alia paſſio* correſpondere, niſì *uniri*: *ergo* uniri eſt paſſio, & pati. *Reſp. Diſt. Ant.* 1*mò ſic*: uniri eſt pati reſpectu *unius* extremi *Conc.* reſpectu *utriusque* extremi *Neg. Ant.* Igitur uniri eſt pati *reſpectu naturæ humanæ*, quæ potentialis, & paſſibilis eſt, non verò reſpectu Verbi Divini (quod ſubit munus ſubſiſtentiæ, ſubſiſtentia autem *quâ talis* non eſt paſſibilis, cùm *implicet terminum quâ talem eſſe ſubjectum*) quia hoc reſpectu eſt *purè perfectiva*, & terminativa naturæ humanæ. Similiter *Diſt. Conſeq. Probationis*, & *Neg. Conſeq. Hujus verò probationis Tranſeat ſuppoſitum Maj.* Quòd actio, & paſſio diſtinguantur inter ſe realiter: & *Conceſſa Min. Diſt. Conſeq. ùt ante*: *ergo* uniri eſt paſſio, & pati, reſpectu *unius* extremi *Conc. Utriusque Neg. Conſeq.* 2*dò*: *Idem Ant. ſic Diſt.* Uniri ratione alicujus *potentiæ paſſivæ Conc.* ratione *potentiæ activæ Neg. Ant. Diſt.* etiam *Conſeq. ergo* Si verificatur, quòd Verbum uniatur ratione alicujus potentiæ paſſivæ *in ipſo* exiſtentis *Conc.* exiſtentis *in natura creata Neg. Conſeq.* unde patet ad reliqua. *Ad* 2*dam Confirm. Diſt pariter Maj. acquireret* aliquam naturam ſubſtantialem, ad quam antè fuiſſet in *potentia paſſiva Neg.* ad quam *non fuiſſet* in 22.

potentia passiva, sed quam ratione summæ *actualitatis* suæ *terminaret Conc. Maj.* cujus causalem pariter compleo, quia inciperet in se habere humanitatem *receptivè Neg. terminativè Conc.* Aliquid acquirere, & habere *receptivè est* esse *subjectum*, adeóque quid potentiale, non verò aliquid *acquirere*, & habere Personaliter, & terminativè. *Similiter Dist. Min. & ejus probationis Maj. & Neg. Conseq. Ad 3tiam Confirm. Neg. Conseq. Disparitas est*: Quia in dictis casibus DEUS permodùm *subjecti* ratione potentiæ passivæ deberet *aliquid acquirere*, adeóque deberet mutari, in nostro autem casu nihil permodùm *subjecti*, & ratione potentiæ passivæ acquirit. *Ad 4tam Confirm. Dist. Maj.* inter intrinsecè unita intercedit relatio semper *in utroque* extremo realis *Neg. in uno* extremo *realis*, & in *altero* extremo *quandoque rationis, Conc. Maj.* in omni extremo creato *relatio uniti* est realis, in *extremo increato*, sicut hìc est Verbum Divinum, nequit esse relatio uniti, relatio realis; sed est tantùm *relatio rationis* cum *connexione reali* termini realis realiter terminantis humanitatem; neque tamen ideo refertur realiter ad humanitatem, *imò*: quia implicat terminum, & *finem quâ talem referri*, & ordinari *realiter ulteriùs*: *ergo* à potiori implicat finem *ultimum referri*, & ordinari realiter *ulterius*; *sed* si Verbum Divinum diceret relationem *realiter intrinsecam* ad humanitatem, eô ipsô finis *ultimus ordinaretur realiter intrinsecè ulteriùs*, quia dicere relationem nihil est aliud, *quàm dicere ordinem*, seu *ordinari ad terminum*: *ergo*. 2dò: Quia quod refertur, & ordinatur ad aliud, vel est *ejusdem* ordinis, seu *generici*, seu *specifici* cum altero: vel *subordinatum* alteri, sed utrumque repugnat verbo Divino: *ergo*. *Min. est certa. Maj. Prob.*

Quia

Quia quod non est *ejusdem* generis, vel ordinis, neque sub ordine alterius, hoc *vel* est *disparatum*, & sic *non ordinatur* ad alterum, *vel* est ordinis *superioris*, & tunc etiam non ordinatur *ad aliud*, sed *sibi illud potiùs subordinat*, hinc nemo dicit: quòd *finis ordinetur ad media*, bene autem, quòd *illa sibi subordinet*; *ergo* quod refertur, & ordinatur ad aliud, vel est *ejusdem* ordinis, cum altero, vel ei *subordinatum*: *ergo* in Verbo Divino nulla est relatio realis ei intrinseca ad humanitatem. *Refertur* nihilominùs Verbum Divinum ad humanitatem relatione *rationis*, ex hoc capite, quia *rationem uniti*, sicut & rationem *Creantis*, non possumus explicare in DEO, nisì permodùm *mutuæ* relationis, *uniti ad unitum*; *Creantis ad creatum*. *Ratio autem est*: Quia cùm intellectus creatus non possit Divina *connaturaliter* concipere prout sunt *in se*, propterea illa debet concipere abstractivè ad eum modum, quô sunt in creatis, *atqui* in creatis, *unita*, & *producens* dicunt relationem: *ergo* pariter concipimus illa in Divinis dicere relationem. *Dist. etiam Min.* Est relatio *æquiparantiæ*, & mutua *in creatis*, adeóque inter extrema habentia *in se rationem potentiæ* passivæ *Conc.* inter humanitatem Christi, & *Verbum Divinum*, in quò est summa actualitas, *Neg. Min. & Conseq.* Unde sicut realis relatio producentis, & producti, quantùmvis *sit mutua* in creatis, non tamen est *mutua in DEO* respectu creaturæ, ità, licèt inter *unita creata*, quæ sibi uniuntur tanquam *compartes alicujus totius*, sit ratione *potentialitatis* passivæ *utrinque* repertæ, mutua *realis* relatio *uniti*, ità ut *in utroque* extremo relatio uniti recipiatur, tanquam in *subjecto*, non est tamen *mutua* inter Verbum, *expers omnis potentialitatis* passivæ, & naturam humanam. *Ad 5tam de-*

nique Confirm. Neg. Conseq. Et paritatem petitam ab unione artificiali. Nam *1mò*: non valet hæc paritas *ad unionem moralem, seu affectivam*, sic enim amor Petri, quô amat suum inimicum, *unit & connectit* ipsum suo inimico, sinè eo, ut inimicus *vicissim* affectivè uniatur, & connectatur Petro. *2dò*: Non valet *ad unionem continuativam*; hæc enim sunt *termini* cujuslibet quantitatis, cùm *per hoc* partes continui sint unum, quòd *intrà eosdem terminos* contineantur; & tamen termini quantitatis non *inhærent intrinsecè, & singulis, & omnibus* partibus continui. *3tiò*: Denique non valet *ad unionem physicam*: *Disparitas est*: Quia gluten, &c. sunt entia *absoluta*, non autem *respectiva*, aut modalia, adeóque non possunt *ad invicem connectere* duo corpora, nisì *utrique* inhæreant per contactum physicum; At verò *Ens respectivum*, & modale duorum, potest *intrinsecè* connectere unum extremum alteri, quin *utrique* intrinsecè insit, ùt iterum constat in *relatione creaturæ ad DEUM*; cùm igitur *unio substantialis* sit *ens modale*, & respectivum, potest intrinsecè connectere unum extremum alteri, humanitatem Verbo, absque eo, ut *inhæreat utrique*, adeoque etiam Verbo.

§. 2.

Objectiones contra secundam, & tertiam partem Thesis.

23. *OBjicies 1mò*: ex eo: *quòd subsistentia creata sit separabilis à natura.* Intellectus saltèm Angelicus cognoscit *naturaliter*, quòd in humano supposito subsistentia propria *sit separabilis à natura*; ergo potest naturaliter inferre: quòd subsistentia creata *suppleri*

pleri possit per Increatam, adeóque poterit *naturaliter* cognoscere *possibilitatem* Incarnationis. *Prob. Ant. 1mò*: Intellectus angelicus naturaliter comprehendit naturam, & subsistentiam creatam, *sed* comprehensio est cognitio, & penetratio *omnium prædicatorum, quæ identificantur cum re* comprehensa: *ergo* etiam *naturaliter* comprehendit *separabilitatem* naturæ, & subsistentiæ creatæ illis identificatam. *2dò*: Intellectus angelicus naturaliter cognoscit, subsistentiam creatam *distingui* à natura, & esse illâ *posteriorem*; *sed* non implicat, quòd prius distinctum à posteriori, possit *esse sinè illo*, in quo tota ratio *separabilitatis* consistit: *ergo*. *3tiò*: Intellectus Angelicus, cùm comprehendat naturam humanam *cognoscit naturaliter*, *connexionem* inter naturam, & subsistentiam humanam *non esse essentialem*, quia reverà hæc connexio essentialis non est; *ergo* cognoscit naturaliter illam esse separabilem, & per consequens *separabilitatem* naturæ à subsistentia humana, & vicissim. *Resp. ad argumentum 1mò*: *Neg. Ant. Ratio est*: quia quòd natura humana separari possit à subsistentia propria, id solùm habet *ex potentia obedientiali*, in ordine ad agens *supernaturale*; adeoque hoc prædicatum separabilitatis naturæ à subsistentia propria, à *nulla cognitione naturali creata*, etiam comprehensiva attingitur, cùm sit *extra sphæram* cujuscunque cognitionis naturalis creatæ. *Ad primam Probationem Ant. Dist. Maj. naturaliter* comprehendit naturam, & subsistentiam creatam, quô ad potentiam, & capacitatem *naturalem Conc. obedientialem Neg. Maj. Dist. etiam Min.* Si cadunt sub *eandem* rationem cognoscibilitatis *Conc.* si non cadant *Neg. Min. & Consequ.* Nam hæc *separabilitas* utpote fundata *in potentia obedientiali*, non cadit sub

cogno-

cognoſcibilitatem *naturalem*, ſed ſolùm *ſupernaturalem* reſpectu intellectûs creati. *Ad 2dam Probationem rurſus Diſt. Maj.* Cognoſcit illam *diſtingui*, & eſſe poſteriorem, ità tamen ut *ſimul cognoſcat* eſſe naturalem, *& naturaliter neceſſariam connexionem* inter naturam, & ſubſiſtentiam creatam *Conc.* & non cognoſcit hanc naturalem connexionem, ſed *abſolutam* ſeparabilitatem *Neg. Maj.* Nam Angelus *ſolo lumine naturali* ductus, judicaret: *non poſſe naturaliter* naturam humanam eſſe *ſinè propria ſubſiſtentia*, utrùm autem hoc DEUS ſupernaturaliter facere poſſit? *nec aſſerere, nec negare* prudenter poteſt, ſed tantùm ſe *præciſivè* haberet; quia hoc eſt *extrà* ſphæram ſuæ *naturalis* cognitionis. *Diſt. etiam Min.* Non implicat *in ſe*; *Tranſ.* in noſtra cognitione naturali, *ſubdiſt.* ſi id illi conveniat *naturaliter Conc. ſi obedientialiter Neg. Min. & Conſeq.* Dixi, Tranſ. quia cauſa *actu cauſans* eſt diſtincta *realiter* ab effectu, eóque *prior* naturâ, & hic poſterior, *& tamen inſeparabiles* ſunt, pro *eodem inſtanti reali*, quô illa actu cauſat, & hìc actu cauſatur: *ergo* diſtinctio, & prioritas vel poſterioritas qualiscunque, non infert *neceſſariò ſeparabilitatem* inter extrema. *Ad 3tiam denique probationem Diſt. Ant. Cognoſcit poſitivè*, illam connexionem non eſſe eſſentialem, id eſt: *cognoſcit illam* eſſe *non eſſentialem Neg.* cognoſcit *negativè*, id èſt: *non cognoſcit* illam eſſe eſſentialem *Conc. Ant. & Neg. Conſequ.* Quia ex negativa *de uno* non ſequitur affirmativa, aut infinitans *de contrariè* oppoſito. Unde neque ex hac: *Non cognoſcit connexionem eſſe eſſentialem*, ſequitur: *cognoſcit illam eſſe non eſſentialem, &: cognoſcit ſeparabilitatem. Reſp. 2dò; ad argumentum.* Neg. *Conſeq. Ratio eſt 1mò*: Quia Angelus *evidenter* cognoſcit; quòd ſubſiſtentia increata

ſit

sit realiter, imò etiam *essentialiter identificata* naturæ Divinæ propter *attributum summæ simplicitatis* excludentis *omnem* distinctionem *realem* inter naturam Divinam, & Personalitatem Divinam, unde *nè quidem probabiliter* inferre potest intellectus Angelicus, quòd DEUS per Personalitatem suam *immediatè* terminare possit naturam *alienam*, quin eandem etiam *immediatè terminet* ipsa natura Divina. 2dò. Quia propter eandem indistinctionem Personalitatis Divinæ cum natura Divina juxta lumen naturæ videretur Angelo *una tertia* natura ex duabus naturis, Divina scilicet, & humana, *componi*, quod scit repugnare respectu naturæ Divinæ. 3tiò: Angelo *solo* lumine naturæ instructo non videntur *extrema esse unibilia*, quin simul sint *perfectibilia*, quod iterum repugnat Personalitati Divinæ. 4tò: denique Angelo non est evidens naturaliter: Deum posse supplere defectum quantitatis, &c. *ùt num. 9. diximus. ergo* neque est ei *naturaliter evidens*, posse supplere defectum subsistentiæ creatæ.

Objicies 2dò. ex eo: *Quòd evidenter lumine naturali Angelus cognoscat humanitatem Christi subsistere subsistentiâ Divinâ.* Angelus *evidenter* cognoscit humanitatem Christi subsistere, cùm cognoscat illam operari, *operationes autem sunt suppositorum*; *sed* cognoscit illam non subsistere subsistentiâ *propriâ, nec alienâ creatâ: ergo* cognoscit illam subsistere *subsistentiâ Divinâ. Maj. patet. Min. prob. 1mò: quoad 1mam partem.* Angelus evidenter cognoscit in illa humanitate, *non esse propriam illius subsistentiam*: *ergo* cognoscit illam *non subsistere* subsistentiâ *propriâ. Prob. Ant.* Angelus evidenter cognoscit *carentiam, & absentiam* cujuscunque formæ naturalis, sicut *evidenter* cognoscit *præsentiam* illius, dum enim aliqua 28.

 for-

forma est naturalis, etiam illius *carentia*, *& absentia est naturalis*, ac proinde naturaliter cognoscibilis ab Angelo. *Atqui* subsistentia humanitatis Christi *propria*, ejusque subsistentiæ *præsentia est naturalis*, & *naturaliter* evidenter cognoscibilis ab Angelo: *ergo* etiam *carentia*, & absentia illius est naturalis; *ergo* naturaliter ab Angelo cognoscibilis. *Prob. eadem Min. Quoad 2dam partem.* Angelus evidenter cognoscit *nullam* subsistentiam *creatam* posse terminare naturam *alienam*, idque *propter limitationem suam*: *ergo* cognoscit humanitatem Christi *non subsistere* subsistentiâ *alienâ creatâ*. *Confirm.* Angelus lumine naturali *evidenter cognoscit* humanitatem Christi *existere existentiâ* Divina: *ergo* etiam lumine naturali *evidenter cognoscit* humanitatem Christi *subsistere subsistentiâ* Divina, quia non est major ratio de uno, quàm de altero. *Prob. autem Ant.* Angelus naturaliter *intuitivè cognoscit* humanitatem Christi; *sed* non potest illam intuitivè cognoscere, nisi *evidenter* cognoscat illam existere *existentia Divina*; *ergo*. *Prob. hæc Min.* Intuitiva cognitio nihil est aliud, quàm *clara*, & distincta rei *ut existentis* cognitio: *ergo* si Angelus intuitivè cognoscit Christi humanitatem, cognoscit *ut existentem*, non existentiâ *creatâ*: *ergo Divinâ*: *Resp. ad Argum. imò. Conc. Maj. & 2dam partem Min. cum sua probatione, & Neg. primam partem Min* Non enim videt Angelus *positivè* humanitatem Christi non subsistere subsistentiâ suâ propriâ, sed tantùm *negativè*: id est: *non videt* illam subsistere suâ subsistentiâ propriâ. Neque enim in tali casu potest Angelus naturaliter scire, *cur non videat* subsistentiam creatam, & propriam humanæ naturæ? utrùm id proveniat ex *defectu objecti*, eò quòd *reverâ absit* subsistentia propria? an verò *ex defectu concursûs*

sûs Divini, eò quòd DEUS *nolit* concurrere cum intellectu Angelico ad cognitionem illius? quare, si Angelus in hoc casu velit prudenter agere, & cavere periculum errandi, debet *suspendere judicium absolutum de carentia subsistentiæ creatæ*. Quòd si tamen velit protervè agere, & elicere imprudenter judicium *absolutum*, minùs prudenter aget; si dicat: *humanitatem Christi habere propriam subsistentiam, sed eam sibi hìc, & nunc occultari à Deo*. Ad hoc enim judicandum habet Angelus *aliquod* fundamentum *in natura*, cùm naturaliter cognoscat se *impediri posse* à Deo in cognoscendo quovis objecto extraneo, sicut *defactò impeditur* in cognoscendis secretis *cordis alieni*. *Nullum* autem in tota natura habet fundamentum Angelus, vel *probabiliter* affirmandi: quòd subsistentia Divina *realiter identificata naturæ Divinæ* possit uniri naturæ creatæ, sicut nullum habet fundamentum vel probabiliter affirmandi, quòd *tres subsistentiæ* possint *realiter* identificari *uni* eidemque naturæ Divinæ. *Probationi hujus Min. Neg. Ant.* intellectum de positiva cognitione. *Et ejus probationi Dist. Maj.* Angelus evidenter cognoscit *carentiam, & absentiam cujuscunque formæ naturalis*, vel positivè, *vel negativè*, *Conc.* cognoscit carentiam, & absentiem formæ naturalis semper *positivè Neg. Maj.* Licèt enim carentia, & absentia subsistentiæ propriæ humanitatis *non sit in substantia supernaturalis*, sed naturalis, *cùm sit privatio entis*, & formæ *naturalis*, ùt bene probatio innuit, quia tamen solis *naturæ viribus* humanitas Christi non potest propriâ subsistentiâ *privari*, licèt eâdem possit solis naturæ viribus *donari*, sicut *nec species panis* possunt *solius* naturæ viribus *privari* substantiâ panis, inde intellectus Angelicus non potest *naturaliter positivè* cognoscere

ſcere carentiam, & abſentiam ſubſiſtentiæ humanæ in Chriſto. *Ex quo* facilè eruitur, cur nempe intellectus Angelicus poſſit v. g. non tantùm *præſentiam*, ſed etiam *abſentiam* lucis, ſeu tenebras *naturaliter poſitivè* cognoſcere, *non tamen* præſentiam, & abſentiam *ſubſiſtentiæ creatæ*, quia nempe & præſentia, & abſentia lucis in aëre, *non autem abſentia* ſubſiſtentiæ creatæ, *ſolius naturæ viribus* contingit, aut contingere poteſt. Porrò tunc poſitivè cognoſcitur abſentia, & carentia formæ, quando cognoſcitur *poſitiva* excluſio illius, tunc autem cognoſcitur *negativè*, quando non cognoſcitur forma adeſſe, & ſi fortè reverà adſit; ſeu quando non cognoſcitur *præſentia*, & *exiſtentia* formæ; unde *Conc. Min. Neg. ſecundam Conſeq. Reſp.* 2dò: *ad Argum. Neg. Conſequ.* Nam ſicut, licèt Angelus *naturaliter* videret *abſentiam panis* à ſpeciebus panis, non tamen ex hoc poſſet viribus naturæ colligere *præſentiam Chriſti in ſpeciebus panis*; neque illas ſpecies uniri illi ùt ſubjecto; ſic etiam, licèt videret *abſentiam* perſonalitatis propriæ in humanitate Chriſti, non tamen ex hoc *præcisè ſolis naturæ viribus* poſſet colligere *præſentiam* ſubſiſtentiæ Divinæ, cui tanquam termino uniretur humanitas. Quanquam enim videat Angelus *humanitatem Chriſti operari*, & *aliunde* ſciat operationes eſſe ſuppoſitorum, poſſet tamen ſuis naturalibus viribus relictus cogitare illam humanitatem, cujus ſubſiſtentiæ propriæ abſentiam, *ex ſuppoſito*, poſitivè videt, ſubſiſtere *per aliquam ſubſiſtentiam creatam ſupernaturalem*, quæ non ſit *modus*, ſed quid *abſolutum*, & *alterius rationis*, quàm ſit illius humanitatis ſubſiſtentia propria, & naturalis, *quin poſitivè ex ſolis naturæ viribus cognoſcat*, *illam humanitatem Chriſti operari ùt ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ Divinâ*. Quia *ob rationes num.*

9. al-

9. *allatas* potest esse *dubius*: an subsistentia Divina *possit intrinsecè* uniri humanitati. *Ad Confirm. Resp.* Neg. *Ant. Probationi Paulus Metzgr Disput.* 1. *Art.* 1. *num.* 9. *hic Neg. Maj.* Hôc enim ipsô *ait*; quòd naturali cognitione Angeli non attingant existentiam humanitatis Christi *identificatam* cum subsistentia, eandem non cognoscant *intuitivè*, sed *abstractivè*. Alij identificantes existentiam subsistentiæ *Neg. Min.* & *hujus probationis Dist. Ant. sic*: Intuitiva cognitio est distincta *rei ùt existentis cognitio*, ly *ùt sumptô reduplicativè Neg. Ant.* ly *ùt* sumptô specificativè *Conc. Ant Dist. similiter Conseq.* & *Neg. Conseq.* Dicuntque de ratione intuitionis non esse, ut attingat rem *ùt formaliter existentem*, sed solùm, ùt terminetur ad rem, quæ est *sub existentia*, sicut oculus (*est instantia, quam dat contenson Dissertatione Præambula. Cap.* 1. *speculatione* 1.) *intuitivè* videt *colorem*, cujus *existentiam* non attingit cùm sit *extra sphæram*, & latitudinem objecti potentiæ visivæ. Qui autem existentiam à subsistentia distingvunt, etiam *Negant Ant. Confirm.* & *Probationis Min.* & aliàs nullam patiuntur difficultatem, quia dicunt humanitatem Christi existere *existentiâ propriâ*, quam intuentur Angeli *naturaliter*.

Obji. 3tiò: ex eo: *quòd detur Principium*, & *fundamentum in naturalibus connexum cum possibilitate Incarnationis, naturaliter ab intellectu Angelico cognoscibile. Nam* 1mò. Natura humana habet potentiam obedientialem *sibi identificatam ad habendam unionem hypostaticam* cum Verbo; *sed* potentia obedientialis ad unionem hypostaticam *essentialiter* connectitur cum Incarnatione: *ergo* in natura humana datur aliquod principium connexum cum Incarnatione. *Subsumo*, *sed* Angelus cognoscit naturaliter poten- 29.

tiam obedientialem: *ergo datur fundamentum in naturalibus connexum* cum possibilitate Incarnationis naturaliter cognoscibile ab intellectu Angelico. *Prob. subsumptum.* Angelus naturaliter comprehendit *humanitatem*: *ergo* etiam potentiam obedientialem *ei identificatam.* 2dò: Angelus naturaliter cognoscit *subsistentiam Divinam esse infinitam*: *ergo* habet fundamentum, & principium, *ex quo inferat* naturaliter, quòd *possit supplere* vicem subsistentiæ creatæ: *ergo*, &c. 3tiò: Angelus potest naturaliter ex principijs, & fundamentis naturalibus cognoscere *objecta naturalia*; *ergo & actus* naturales: *ergo & has contradictorias*, quibus hæreticus, vel dæmon diceret: *DEUS est incarnatus*, *DEUS non est incarnatus*; *ergo & veritatem* alterutrius: *ergo* possibilitatem, & existentiam incarnationis. *Confirm.* Iste actus: *Deus non est incarnatus*, utpote *independens* ab omni revelatione Divina, est *purè naturalis*, naturalitate *opposita* etiam *supernaturalitati philosophicæ*, adeóque comprehensibilis ab Angelo quoad *suam falsitatem*; *sed* si cognoscatur ab Angelo naturaliter ejus falsitas, evidenter simul cognoscitur *veritas* propositionis contradictoriæ, qualis est: *DEUS est incarnatus*, cùm ex lumine naturæ constet *utrumque contradictorium non posse* esse falsum: *ergo* Angelus *naturaliter cognoscit veritatem* tum possibilis, tum existentis Incarnationis: ex principijs *lumine naturæ* notis. 4tò: carentia unionis hypostaticæ est *naturalis enti naturali*, puta humanitati: *ergo* intellectus Angelicus naturaliter comprehendendo humanitatem evidenter cognoscit carentiam *unionis hypostaticæ*, *atqui non potest* naturaliter cognoscere *carentiam unionis* hypostaticæ, quin cognoscat *possibilitatem* unionis hypostaticæ, quia *carentiæ connaturaliter cognoscuntur per*

formas oppositas : *ergo* habetur fundamentum in naturalibus : &c. *5tò.* Prædicata , quæ repugnant Deo , possunt lumine naturali cognosci illi repugnare , v. g. *Deum non esse actum purum* , *non esse ens necessarium*. *Sed* non posse incarnari *est prædicatum Deo repugnans* ; *ergo* potest naturaliter cognosci. *Subsumo* : *atqui* non potest naturaliter evidenter cognosci hoc prædicatum repugnare Deo , nisi cognoscatur *non repugnantia*, seu possibilitas Incarnationis ; *ergo*. *6tò* : Si potest naturaliter demonstrari : *nullam posse fieri demonstrationem pro impossibilitate Incarnationis*, hôc ipsô demonstratur *ejus possibilitas* , atqui in probationibus hujus partis Theseos per conclusionem Theologicam , quæ juxta nos naturalis est , demonstravimus , quòd impossibilitas Incarnationis non sit demonstrabilis : *ergo*. *Confirmatur 1mò*. Quod nullam mihi evidenter importat *contradictionem*, eò ipsô evidens est , *non repugnare* , *sed* Incarnatio nullam mihi evidenter importat contradictionem : *ergo* evidens est eam non repugnare. *Confirmatur 2dò*: Solutione argumentorum *probatur positivè* possibilitas aliarum rerum ; *ergo* etiam possibilitas Incarnationis. *Atqui* §. præcedenti solvimus argumenta adducta contra possibilitatem Incarnationis : *ergo*. *7mò* : Denique quod est nobis ex principijs naturalibus evidenter *impossibile* , est nobis evidenter *incredibile* : *ergo* vice versa ; quod est nobis evidenter *credibile*, erit nobis ex principijs naturalibus evidenter *possibile* , sicut enim bene arguo : *non est causa* , *ergo non est effectus* , & vicissim, *est effectus* ; *ergo est causa* , sic etiam sicut bene arguitur : *est evidenter impossibile : ergo est evidenter incredibile* , videtur bene argui : *est evidenter credibile : ergo etiam est evidenter possibile*. *Subsumo* ; atqui Incarna-

carna-

carnatio est nobis evidenter *credibilis*; *ergo* etiam est nobis ex principijs naturalibus evidenter possibilis, & cognoscibilis. *Resp. ad 1mum. Concesso Syllogismo*; licèt enim sit potentia *hæc* obedientialis, principium essentialiter connexum cum Incarnatione, non tamen est, *ùt hæc est*, ex puris naturalibus cognoscibilis, & *Dist. subsumptum.* Cognoscit potentiam obedientialem *adæquatè acceptam*, id est: tam secundùm id, quod *in recto, seu entitativè*, quàm secundùm id, quod dicit *in obliquo, seu terminativè*, nempe secundùm omnes suæ elevabilitatis terminos, clarè, & distinctè *in particulari connotatos Neg.* Cognoscit potentiam obedientialem *in adæquatè*, id est: in recto, & entitativè acceptam, aut secundùm obliquos, & terminos suæ elevabilitatis *in communi, & confusè connotatos Conc. Subsumptum. & Neg. Consequ.* Quia potentia obedientialis secundùm obliquos, & terminos clarè, & in particulari à se connotatos accepta, non est *cognoscibilitatis naturalis*, sicuti est ùt accepta secundùm terminos *supernaturales in communi connotatos.* Unde sicut Angelus comprehendens materiam primam, cognoscit formam *substantialem in communi*, non tamen ex solo hoc cognoscit ullam *in particulari*, ità Angelus cognoscens potentiam obedientiálem humanitatis, cognoscit quidem non repugnantiam ad aliquid supernaturale in communi, non tamen ad unionem *Hypostaticam in particulari*, quia hæc sub sua *ratione specifica, & particulari* non est connexa cum potentia obedientiali, quæ cadit sub *cognoscibilitatem naturalem*, sed cum potentia obedientiali ùt connotans in particulari *unionem hypostaticam*, quæ est cognoscibilitatis solius supernaturalis. *Prob. subsumpti Neg. Conseq.* licèt enim Angelus comprehendat humani-

manitatem ſecundùm naturalem potentiam, non tamen comprehendit potentiam obedientialem, quia hæc formaliter, *& ſecundùm noſtrum modum concipiendi diſtinguitur* à potentia naturali, ſeu entitate humanitatis, quæ diſtinctio ſufficit ut comprehensô uno non cognoſcatur, ſaltèm *explicitè*, *& ſpecificè*, adeóque ſufficienter ad prudenter affirmandum alterum, vel maximè, ſi non ſit ejusdem cognoſcibilitatis, ùt hìc contingit. *Ad 2dum Neg. Conſequ.* Sicut enim ex eo, quòd Angelus naturaliter cognoſcat *æternitatem*, *& Immenſitatem DEI* eſſe *infinitam*, nullum habetur fundamentum naturaliter affirmandi: quòd creatura poſſit durare *æternitate DEI*, aut ubicari *Immenſitate divina*, ità etiam ex eo, quod Angelus cognoſcat ſubſiſtentiam divinam eſſe *infinitam*, non poteſt naturaliter inferre, quòd poſſit ſupplere ſubſiſtentiam creatam, terminando naturam creatam. Imò Angelus potiùs cognoſcet oppoſitum, nempe: quòd, ſicut creatura nec durare poteſt *duratione* DEI propriâ, nec ubicari Immenſitate divina, ità nec poſſit ſubſiſtentiâ divinâ ſubſiſtere. Tum, quia Angelus præceps in judicando poſſet cogitare, quòd infinitudo ſubſiſtentiæ Divinæ expleatur per terminationem naturæ Divinæ, ſicut infinitudo potentiæ DEI exhauritur ad intra, ut non poſſit producere infinitum ad extra. Tum, quia, licèt ſubſiſtentia divina ſit terminus naturæ divinæ, isque *infinitus*, eſt tamen talis *per identitatem realem*, humanitatem autem non poteſt terminare per identitatem cum illa, *atqui* ex terminatione per identitatem non poteſt naturaliter colligi terminatio per non identitatem, ſeu per modum diſtinctum, ſinè mutatione, & imperfectione utriusque extremi: *ergo* nec ex terminatione infinita naturæ

infinitæ, poterit naturaliter inferri terminatio naturæ finitæ per subsistentiam infinitam. *Ad 3tium Dist. Ant.* Potest cognoscere objecta naturalia naturalitate opposita supernaturalitati tum *philosophicæ*, quæ dicit *Decretum Dispensationis*, quô DEUS tanquam absolutus Dominus decrevit aliquid facere in Universo, ad quod non obligatur quâ Author naturæ, seu ex vi solius *Decreti creationis*. Tum *Theologicæ*, quæ insuper requirit *Decretum elevationis* intrinsecæ ad statum amicitiæ cum Deo, *Conc.* Potest cognoscere objecta naturalia naturalitate opposita solùm supernaturalitati Theologicæ, non verò philosophicæ *Neg. Ant. Dist. similiter 1mum Consequ. & Neg. Conseq. & reliquas illationes.* Licèt enim iste actus, *DEUS est Incarnatus*, ab hæretico, aut dæmone elicitus, non sit *intrinsecè*, & Theologicè supernaturalis, est tamen *extrinsecè*, & philosophicè supernaturalis, quia dependens à revelatione diviña naturæ indebita. *Ad Confirm Dist. Maj.* est actus naturalis ratione sui objecti formalis *Conc.* materialis *Neg. Maj. & Conseq.* Affirmatio enim, & negatio est de eodem in contradictorijs, cùm *ergo* hujus affirmativæ: *DEUS est Incarnatus* objectum materiale sit entitativè, intrinsecè, & quoad substantiam *supernaturale*, etiam hujus negativæ, *Deus non est Incarnatus* objectum materiale erit intrinsecè, & quoad *substantiam* supernaturale, consequenter Angelus non potest actum hunc: *Deus non est Incarnatus*, naturaliter comprehendere, aliàs namque posset Angelus naturaliter cognoscere omnes actus DEI liberos, omnia secreta cordis alieni, omnia denique Mysteria fidei, & objecta supernaturalia, quia de his omnibus possunt formari ejusmodi judicia contradictoria, quorum unum necessariò est falsum, adeóque actus natura-

turalis. Unde ſicut nequit Angelus cognoſcere actus veros de objectis *liberè futuris* alterius creaturæ rationalis, eò, quòd proprietas horum actuum intellectûs ſequatur in cognoſcibilitate naturam objecti, quod *ex natura ſua* petit latere potentiam cognoſcitivam naturalem illius Angeli, & petit à Deo negationem concursûs naturalis cum intellectu illius Angeli ad ſui evidentem, & naturalem cognitionem: ſic etiam Angelus nequit naturaliter cognoſcere actus, licèt intrinſecè naturales de objectis *ſupernaturalibus*, quia etiam in cognoſcibilitate ſeqvuntur naturam objecti, quod ex natura ſua petit latere potentiam cognoſcitivam naturalem Angeli, & petit ut DEUS neget concurſum ad illud naturaliter ab Angelo cognoſcendum. Vide, quæ in ſimili argumento reſpondimus *De DEO Uno, & Trino Theſi 20. num. 25.* *Ad 4tum Diſt. Conſeq.* cognoſcit carentiam Unionis Hypoſtaticæ in *genere*, & ſecundum rectum *Conc.* cognoſcit in ſpecie, & ſecundùm obliquum, explicitè, & clarè *Neg. Conſeq.* cognoſcendo nempe humanitatem, cognoſcit illam non eſſe ſupernaturalem, & carere ex ſuis prædicatis intrinſecis ſibi connaturaliter debitis omni ſupernaturalitate, nullam tamen in particulari ſpecificando, inter quas *carentias omnis ſupernaturalitatis* etiam eſt *carentia ſupernaturalitatis unionis hypoſtaticæ. Subſumptum etiam Diſt.* non poteſt cognoſcere carentiam unionis hypoſtaticæ, clarè, & diſtinctè ſub ſuo conceptu ſpecifico, quin clarè cognoſcatur *poſſibilitas unionis hypoſtaticæ Conc.* non poteſt cognoſcere carentiam unionis hypoſtaticæ confusè aut ſub conceptu generico, & ſecundùm rectum conſideratam, quin, &c. *Neg.* ſubſumptum. *Cujus Prob. etiam Diſt.* Carentiæ connaturaliter cognoſcuntur

per formas oppositas, vel sub conceptu generico, vel specifico *Conc.* semper specifico, vel maximè si conceptus specificus non sit cognoscibilitatis naturalis *Neg. Ant. & Consequ. Ad 5tum Dist. Maj. imò.* Prædicata, quæ repugnant Deo ùt sunt: *Deum non esse actum purum, non esse Ens necessarium*, secundùm perfectionem naturaliter De DEO cognoscibilem *Conc.* Quæ repugnant Deo secundùm perfectionem naturaliter De DEO non cognoscibilem, sicut est *impossibilitas Trinitatis, & Incarnationis Neg. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Conseq. argumenti, & subsumpti. 2dò; eandem Maj. sic Dist.* Prædicata, quæ repugnant DEO, & combinantur ex meris terminis aliunde in ordine naturæ contentis, ùt v. g. est *facere hominem irrationalem, Conc.* si combinentur ex terminis aliunde in ordine naturæ non contentis, ùt est: subsistentiâ verbi, personare humanitatem *Neg. Maj. Dist. etiam Min.* Sed *non posse incarnari*, est prædicatum repugnans DEO, quod combinatur ex meris terminis intra ordinem naturæ contentis *Neg.* quia sic non continetur Personalitas Verbi Divini; quod non combinatur ex meris terminis intra ordinem naturæ contentis *Conc. Min. & Neg. Conseq. Argumenti, & subsumpti. Ad 6tum. Resp. Dist. Maj.* Hoc ipso demonstratur ejus possibilitas *negativè*, hoc est: removendo, & solvendo argumenta opposita *Conc.* hôc ipso demonstratur *positivè*, adducendo nimirum argumenta positiva, & conducentia ad convincendam falsitatem oppositi *Neg. Maj.* Ex ejusmodi autem demonstratione *negativa*, seu solutione argumentorum, eórumque principiorum, quæ ab adversarijs probari non poterunt, non potest inferri: *Incarnationem re ipsa esse possibilem*, sed solùm, *non probari esse impossibilem. Min. etiam Dist.* demonstra-

nravimus *merè naturaliter*, adeóque independenter à supernaturali Principio revelationis divinæ *Neg.* Dependenter ab illo *Conc. Min.* Nam conclusiones nostræ Theologicæ, quibus impossibilitatem Incarnationis reprobavimus, sunt superna urales saltèm extrinsecè, & philosophicè, & *Neg. Conseq.* *Ad 1mam Confirm. Neg. Maj. Ratio est*: Quia ex negativa non potest inferri *infinitans*, *ergo* nec ex hac: *non video evidenter repugnantiam Incarnationis*, *hæc*: *video evidenter non repugnantiam.* Plus enim requiritur ad *positivam evidentiam non repugnantiæ*, quam ad solam *carentiam evidentiæ de repugnantia.* Sic multis non est evidens: repugnare Incarnationem sinè unione modali superaddita, continuum constare ex partibus in infinitum divisibilibus, creaturam possibilem ab æterno, &c. & tamen idcirco non habent *positivam evidentiam* de hac non repugnantia. Et universim ex eo, quòd non possim evidenter aliquid affirmare, v. g. *astra esse paria*, non sequitur, quòd possim illud negare, aut vicissim. *Ad 2dam Confirm. Dist. Maj.* solutionibus argumentorum *positivis*, adeóque sufficientibus ad probandum positivè in argumentis assumi falsum *Conc. negativis*, adeóque sufficientibus præcisè ad negandam evidentiam de opposito *Neg. Maj. Min. etiam Dist.* Solvimus argumenta (scilicet positivè) purè naturaliter, & independenter à revelatione Divina *Neg.* Dependenter ab illa *Conc. Min. & Neg. Conseq.* Nam nec Intellectus Angelicus ex *puris naturalibus* potest *positivè* solvere omnia argumenta quæ ex Principijs naturalibus fiunt, sed tantùm *negativè*, in quantum scilicet cognoscit illa non convincere impossibilitatem illius, hoc autem non sufficit ut evidenter cognoscat, *Incarnationem esse possibilem*, sed solùm ad hoc,

quòd non videat, *illam esse impossibilem* : cùm non doceatur illius impossibilitas per illa argumenta. Sic si infidelis v. g. argueret contra fidelem in materia Trinitatis hôc modo: *Natura, quæ est una numerô, est etiam una suppositô, sed natura divina est una numerô: ergo etiam est una suppositô.* Si inquam, fidelis distingveret *Maj.* eam concedendo, *de natura finita*, & negando *de natura infinita*; tunc evidenter negativè probaret Trinitatem; si autem præterea adduceret medium intrinsecum, & naturale, quô probaret: *naturam infinitam esse in tribus Personis*, probaret naturaliter positivè Trinitatem, & solveret positivè purè naturaliter argumentum: hoc autem medium ex purè naturalibus habere non potest. *Ad 7mum Conc. Ant. & Neg. Conseq. Disparitas est*: Quia *evidentia possibilitatis*, & *evidentia credibilitatis* sumuntur ex diversis Principijs, illa quidem, utpote *intrinseca*, desumitur ab ipso objecto, hæc verò utpote *extrinseca*, à principijs objecto extrinsecis, scilicet à signis credibilitatis, & à testimonio attestantis; unde inter evidentiam *credibilitatis*, & *possibilitatis* nulla est intrinseca connexio, sicut est inter causam, & effectum, aut vicissim. Quòd autem id, quod est evidenter impossibile nequeat esse evidenter credibile fide Theologica, ratio est: quia hac fide nihil est credibile, quòd non est à DEO revelabile, sed nullum impossibile est à DEO revelabile ùt possibile, quia Deus nec falli, nec fallere potest: *ergo* nec fide divina est credibile ùt possibile: quia hæc præsupponit sic se habentiam objecti revelati, sicut Deus revelat: *ergo. Vide itidem citatam Thesim 20. De Deo uno, & Trino eodem num. 25.*

30. *Obji. 4tò.* ex eo: *quòd supernaturalitas Incarnationis non obstet, quò minùs possit Incarnatio ab intellectu crea-*

creato naturaliter cognoſci. *Nam imò* : intellectus creatus naturaliter cognoſcit omnipotentiam DEI eſſe *infinitam* : *ergo* etiam cognoſcit naturaliter *illam poſſe aliquid, quod eſt ſupra ordinem naturæ* : *ergo* etiam cognoſcit naturaliter Incarnationem, licèt ſit ſupra ordinem naturæ, ſeu ſupernaturalis. *2dò* : Unitas DEI non minùs eſt ſupernaturalis, nec minùs includitur in SS. Trinitate, quàm ſupernaturalis ſit Incarnatio Verbi, quod includitur in SS. Trinitate: *ſed* unitas Dei *naturaliter* cognoſcitur ab intellectu: *ergo* etiam Incarnatio Verbi. *3tiò*; denique, illa poteſt naturaliter attingere intellectus creatus, quæ poſſunt naturaliter attingere actus intellectûs creati, quia non eſt minor, ſed major latepatentia in attingendo objecta, in potentia, quàm in actibus : *Sed actus* naturales *intellectûs* creati attingunt Incarnationem, aliaque objecta ſupernaturalia: *ergo* mediantibus illis, poterit eandem naturaliter attingere potentia intellectiva creata. *Prob. Min.* Nam concluſio Theologica eſt naturalis, & tamen attingit Myſteria fidei ſupernaturalia, ùt patet. *2dò*: Actus reflexus, quô quis cognoſcit, ſe habere actum fidei ſupernaturalis, eſt naturalis, & tamen attingit actum fidei ſupernaturalem : *ergo.* *Reſp. ad 1mum Diſt. 1mum Conſeq. ergo* cognoſcit naturaliter in confuſo, & in genere, Deum poſſe aliquid, quod eſt ſupra ordinem naturæ *Conc.* cognoſcit naturaliter aliquid in particulari, & in ſpecie *Neg. Conſequ. Diſt. etiam 2dum Conſequ. ergo* etiam cognoſcit Incarnationem in particulari, & in ſpecie *Neg.* in genere, & ſub conceptu communi ſupernaturalitatis ùt ſic *Conc. Conſeq.* Contra hanc diſtinctionem.

Replicabis Intellectus creatus naturaliter cogno- 313
ſcit rationem ſupernaturalitatis in communi: *ergo*

etiam

etiam in particulari. *Prob. Conseq. 1mò*: supernaturale in communi, & in particulari spectant ad eundem ordinem in genere *objecti*: *ergo* si intellectus creatus naturaliter cognoscit unum, etiam naturaliter cognoscet alterum: *ergo*. *Prob. Ant.* Quod convenit superiori, convenit inferiori: *Sed* supernaturale in communi tanquam superiori convenit cognosci naturaliter, adeóque spectat ad ordinem naturæ in genere objecti: *ergo* etiam convenit supernaturali *in particulari*: *ergo* si intellectus creatus naturaliter cognoscit supernaturalitatem *ùt sic*, & in communi, cognoscet etiam supernaturalitatem in particulari. *Prob. Conseq. Replicæ*: *2dò*: Angelus videns suscitari mortuum, restitui visum cæco, ignem in fornace babilonica non comburere, accidentia existere sinè subjecto, hominem elevari ad visionem beatificam, &c. evidenter naturaliter cognoscit omnia illa supernaturalia in particulari: *ergo* etiam potest evidenter naturaliter cognoscere supernaturalia in particulari: *ergo* & Incarnationem. *Resp. Neg. Conseq. Prob. 1mæ Neg. Ant.* Nam supernaturale in communi pertinet ad ordinem naturalem in genere objecti: quia ad cognoscendum illud habemus fundamentum in natura, scilicet, quod divina omnipotentia non sit alligata ad unum ordinem rerum, cùm sit *infinita*; at verò ad cognoscendum *supernaturale in particulari*, non habetur fundamentum in natura, quotiescunque illud est supernaturale in substantia, sicuti est Incarnatio: *ergo. Hujus Prob. Dist. Maj.* Quod convenit superiori, convenit inferiori, sub ratione superiori *Conc.* sub ratione inferiori *Neg. Maj. Min. & Dist. Conseq.* *ergo* etiam convenit supernaturali in particulari sub ratione superiori supernaturalitatis ùt sic considerato *Conc.*

subra-

ſub ratione inferiori, & ſpecifica ſupernaturalitatis in particulari *Neg. Conſeq. 2dæ Prob. Conſeq. ejusdem Replicæ Reſp. Tranſeat Ant.* Excepta viſione beatifica, quoad reliqua, *& Neg. Conſeq. ergo* etiam poteſt evidenter naturaliter cognoſcere *ſupernaturalia quoad modum Conc. ſupernaturalia quoad ſubſtantiam*, ſicut eſt Incarnatio Verbi Divini. *Neg. utramque Conſequ. Diſparitas eſt:* Quia illa, quæ non ſunt ſupernaturalia intrinſecè, entitativè & quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm extrinſecè, connotativè, & quoad modum, habent medium naturaliter connexum cum cauſa ſupernaturali, idque naturaliter ab Angelo cognoſcibile. Naturaliter enim cognoſcit Angelus v. g. *abeſſe cauſas naturales* reſuſcitationis Lazari, cùm ſciat: naturaliter non dari regreſſum à privatione ad habitum, & præcedenter etiam videt ſeparationem animæ à corpore verè fuiſſe factam, adeóque naturaliter evidenter infert miraculosè fuiſſe reproductam quoad ſubſtantiam naturalem unionem animæ Lazari cum ejusdem materia, à cauſa ſupernaturali. Pariter diſcurrendum eſt de alijs (excepta viſione Beatifica, quæ in ſubſtantia ſupernaturalis eſt) in Antecedente allegatis. E contra verò ſeparationem ſubſiſtentiæ propriæ ab humanitate Chriſti operante verè fuiſſe factam, naturaliter Angelus cognoſcere non potuit ex ullo veſtigio naturali, & exhinc multò minùs præſentiam ſubſiſtentiæ divinæ in humanitate Chriſti, ſeu Incarnationem Verbi naturaliter cognoſcere potuit intellectus Angelicus, ſicut enim plus eſt, eſſe præſens Corpus Chriſti ſub accidentibus exiſtentibus ſinè proprio ſubjecto, quàm illa accidentia exiſtere ſinè proprio ſubjecto, ſic plus eſt: humanitatem perſonari perſonalitate verbi, quàm illam exiſtere ſi-

nè personalitate propria, licèt non sit plus existere humanitatem sinè personalitate propria, *& operari*; quia sic existentem implicat operari, quin subsistat subsistentiâ divinâ. Dixi, *transeat Ant.* Quia plurimi *Thomistæ Neg. Ant.* etiam quoad reliqua ibidem recensita.

32. *Dices, cum Scoto.* Accidentia *supernaturalia in substantia*, ùt est visio beatifica, &c. sunt minùs nobilia, quàm *substantia naturalis*; *sed* hæc potest naturaliter ab intellectu creato cognosci: *ergo* & illa: *ergo* & Incarnatio, quia non est potior ratio de cognoscibilitate unius objecti supernaturalis in substantia, quàm sit de cognoscibilitate alterius objecti eadem supernaturalitate supernaturalis. *Respond.* 1mò. Retorquendo argumentum cum *Petro Hurtado De Mendoza Disput. 8. Sect. 2. §. 13.* Oculi possunt videre lucem, quæ melior est calore; *ergo* etiam possunt videre calorem? *Resp.* 2dò: *Dist. Maj.* sunt minùs nobilia in ratione accidentis, & prout sunt in se, *Conc.* in ratione objecti *Neg. Maj.* Posse autem accidentia excedere in ratione objecti substantiam naturalem, patet in omnibus sensibus, quorum objecta sunt accidentia, & repugnat esse substantiam, & *Conc. Min. Neg. Conseq.* Nam cognoscibilitas pendet non à perfectione alia objecti, quàm à *convenientia cum potentia*, objectum autem *supernaturale* caret eâ convenientiâ cum potentia naturali, quia non cognoscitur, nisì per auxilium, & speciem supernaturalem potentiæ naturali naturaliter inconvenientem. *Ad 2dum num. 30.* propositum: *Dist. Maj.* unitas DEI non minùs est supernaturalis, nec minùs includitur in Trinitate, *& tamen* habet necessariam connexionem cum rebus naturalibus *Conc.* & non habet *Neg. Maj.* Nam omnes res naturales

rales essentialiter pendent à DEO, qui ad extrà operatur ùt unus, cujus *in natura* unitas, & repugnantia multiplicitatis rationibus naturalibus facilè ostenditur.

Ad 3tium ejusdem num. 30. Dist. iterum Maj. Quæ 33.
possunt attingere actus tum intrinsecè, tum extrinsecè naturales *Conc.* Quæ possunt attingere actus quidem intrinsecè, & quoad substantiam naturales, extrinsecè autem, & quoad modum supernaturales, qui *mediatè saltèm* sunt pendentes à principio extrinseco supernaturali, nempe à revelatione divina, naturæ indebita *Neg. Maj. Dist. etiam Min.* sunt naturales intrinsecè, & entitativè *Conc. extrinsecè* & connotativè *Neg. Min.* cum suis probationibus; nam & conclusio Theologica, & actus ille reflexus est extrinsecè, & connotativè à divina Revelatione supernaturalis *& Neg. Conseq.*

Objicies ultimò: contra 3tiam partem Thesis. Ex eo: 34.
quòd creatura naturaliter cognovit id, *quòd DEUS ùt Author naturæ cognoscit.* Unde sic: id, quod Deus *ùt Author naturæ* cognoscit, potest saltèm probabiliter naturaliter ab intellectu creato cognosci, ùt patet inductione: *Sed* Deus ùt Author naturæ cognoscit possibilitatem Incarnationis: *ergo. Prob. Min.* Deus præcisè *ùt Author naturæ* comprehendit suam subsistentiam absolutam: *ergo* videt illam posse terminare humanitatem: *ergo* & possibilitatem Incarnationis, quæ fieri potest ad subsistentiam absolutam: *ergo* etiam possibilitatem Incarnationis modernæ. *Prob. Ant.* Deus ùt Author naturæ comprehendit omnia illa, quæ sunt naturaliter cognoscibilia à creatura, *sed* subsistentia absoluta Dei est cognoscibilis naturaliter à creatura: *egro. Resp. Neg. Min. Prob. Neg. Ant. & ejus Prob. Maj.* Nam

Deus *ùt Author naturæ* non dicitur cognoſcere aliquid *ex eo, quòd ei conveniat virtus naturalis cognoſcitiva, & productiva illius*, ſed ſolùm quod illud, quod à DEO cognoſcitur, & producitur, ſit *effectus naturalis*, ſeu intra ordinem naturæ contentus, qualis non eſt quæcunque ſubſiſtentia divina: *ergo*.

THESIS II.

Incarnatio Verbi Divini (1mò) fuit conveniens DEO, non tamen (2dò) fuit conveniens, aut inconveniens naturæ creatæ, & univerſo. Utraque pars eſt *D. Thomæ* hìc *Quæſtione 1mâ. Art.* 1. *in* ⊙. *& ad 2dum*: & facilè probatur, dummodo ad vitandam litem de voce.

1. PRænotetur: ex *Citato S. Thoma*, illud univerſim dici *conveniens* alicui *naturæ*, quod eſt conforme naturali, & ordinatæ ejus inclinationi, & conſequenter quod eſt juxta meritum, & exigentiam naturæ. Verba *D. Thomæ Cit.* in ⊙ ſunt hæc: *Dicendum: Quod unicuique rei conveniens eſt illud, quod competit ſibi ſecundùm rationem propriæ naturæ, ſicuti homini conveniens eſt ratiocinari, quia hoc convenit ſibi, in quantum rationalis eſt: ſecundùm naturam ſuam inconveniens* e contra dicitur: quod eſt *difforme naturali, & ordinatæ alicujus inclinationi*, & conſequenter quod eſt *contra meritum*, & exigentiam naturæ. *Non conveniens* autem dicitur: quod non eſt *juxta*, nec *contra* inclinationem, & exigentiam naturalem, & meritum naturæ, *adeóque quod*

nec

nec est naturaliter conforme naturæ, nec difforme, quia potest esse *supra* exigentiam & dignitatem naturæ: ùt colligitur ex eodem Doctore Angelico ibidem *ad 2dum.* His ex *D. Thoma prænotatis*: unà prævenimus quæstionem de voce. Quare Thesis nostra Authoritate, & rationibus ejusdem Præceptoris Angelici.

Prob. imò quoad 1mam partem. Ex eo: *quòd omne bonum sit communicativum sui.* Unde sic: Illud est alicui conveniens, quod ei competit secundùm suam naturam, seu quod est conforme ordinatæ, & naturali inclinationi, adeóque juxta meritum, & exigentiam naturæ, sicuti homini est conveniens ratiocinari, quia natura hominis est esse rationalem: atqui Deo Incarnatio competit secundùm suam naturam, sicut enim homo habet virtutem naturalem ratiocinandi, ità Deus ex se, & ex natura sua habet virtutem Incarnandi, non enim ad hoc indiget alijs viribus, quàm suis, ùt ait *Petrus Hurtado de Mendoza Disput. 6. §. 1. ergo* Incarnatio competit Deo secundùm suam naturam, competit enim omni causæ, & virtuti activæ suus, quem eminenter virtualiter continet, effectus naturaliter. *Prob. Min. bonitati* simpliciter connaturale est, *communicare* se alijs simpliciter, atque natura divina est *summa bonitas* & ipsa essentia bonitatis: *ergo* divinæ bonitati connaturale est, se summô modô communicare. *Subsumo*: Atqui Incarnatio Verbi est summus modus se communicandi alijs, respectu bonitatis & naturæ Divinæ: *ergo. Prob. subsumptum.* Nam prætorquam, quòd DEUS se ex inclinatione bonitatis suæ communicet ad intra, in quantum nempe, DEUS Pater eandem naturam communicat Filio, & uterque simul Spiritui Sancto, etiam communicat ad extra 2.

se, & dona sua, *non tantùm intentionaliter*, in quantum scilicet, est finis ultimus omnium creaturarum, sed etiam *realiter*, idque in quadruplici ordine, *naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis* hypostaticæ. *Atqui* ex hoc quadruplici ordine realiter se communicandi, modus communicandi se per unionem hypostaticam *est summus*: *ergo*. *Prob. hæc Min.* Nam in ordine *naturæ, & gratiæ*, non communicat Deus *seipsum*, sed tantùm *sua* dona, quæ sunt aliquales participationes, & similitudines DEI, non verò ipse DEUS, & ejusmodi dona in ordine naturæ sunt, dona naturæ debitæ, & ad donum creationis, & conservationis pertinentia, v.g. *vivere, sentire, intelligere*, naturæ humanæ. In ordine gratiæ sunt naturæ creatæ, v.g. humanæ, indebita, & ad ordinem supernaturalem pertinentia, ùt sunt *habitus supernaturales gratiæ*, & virtutum infusarum. In ordine autem gloriæ, & unionis hypostaticæ, *DEUS communicat immediatè seipsum*, sed cum hoc discrimine, quòd *DEUS in ordine gloriæ* communicet seipsum tantùm *accidentaliter*, seu *in esse intelligibili*, & *per modum objecti*, uniendo scilicet intellectui creato per lumen gloriæ elevato suam essentiam in ratione speciei intelligibilis; in ordine autem *unionis hypostaticæ* communicat, & dat seipsum substantialiter, secundùm esse proprium naturale, & Personale, ità ut fiat homo unus substantialiter cum Deo, & verum sit dicere: *Deus est Homo, & Homo est Deus*: sed plus est communicare se, quàm sua, substantialiter, quàm accidentaliter: *ergo* modus communicandi se per unionem hypostaticam, utpote substantialis, quô se Deus ipsum communicat, est summus. *Id quod Contenson* hic speculat. ;tiâ, hocce Epiphonemate stringit: In prima communicatione facit Deus homi-

hominem creaturam *rationalem* , in secunda, *Sanctum*, in tertia, *Beatum*, in quarta, Deum. *Ire ulterius divina communicatio, & profusio non potest, nisi quæramus aliquid post omnia, vel aliquid majus Deo.*

Prob. 2dò : ex eo : *quòd Incarnatio maximè manifestet, & commendet attributa DEI.* Illa communi- 3.
catio ad extra est maximè *conveniens Deo*, quæ maximè manifestat Deum, & ejus attributa. Hæc enim manifestatio est *finis Principalis* DEI *operantis*, & se communicantis ad extra : juxta illud Proverbiorum 16. ℣. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Deus*, & in hac communicatione ad extra, unicè consistit gloria DEI extrinseca, omnes enim creaturæ ad hoc ordinantur, ut in illis tanquam in libro, invisibilia DEI, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur : *Atqui* Incarnatio est communicatio DEI ad extra maximè manifestativa DEI, ejusque attributorum, qualia præcipuè sunt illa quinq; : *Justitia, Misericordia, Sapientia, Bonitas, Potentia*, nam reliqua attributa ad hæc reducuntur, ùt v. g. *Providentia ad sapientiam, liberalitas, & Magnificentia ad Bonitatem, &c. ergo* Incarnatio est maximè conveniens DEO. *Prob. Min. 1mò*: In Incarnatione elucet *summa Justitia*, exigendo satisfactionem æqualem. 2dò : *Summa Misericordia* offerendo pro summa miseria pretium superabundans, & hinc post Incarnationem vocatur DEUS *Pater misericordiarum*, unde Apostolus ait : *debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* 3tiò : *Summa sapientia*, inveniendo hoc medium Redemptionis, quô Justitia cum misericordia temperetur. 4tò : *Summa Bonitas*, illud eligendo. 5tò : *Summa Potentia*, illud exequendo. Juxta illud *Lucæ* 1. ℣. 51. *Fecit potentiam in brachio suo*, quod *D. Thomas*, alisque intelligunt de sacra-

tissi-

tiſſimo *Incarnationis Myſterio*, in quo extrema adeò diſtantia connectuntur, itâ cùm homo non poſſit fieri Deus, Deus factus ſit homo, infringendo leges naturæ, privando nempe humanitatem propriâ ſubſiſtentiâ, pro ea ſubſiſtentiam *Verbi* ſubrogando: *ergo* Incarnatio eſt communicatio DEI, ad extra, maximè manifeſtativa DEI, & attributorum ejus. *Confirmatur.* Tantò eſt creatura ampliùs manifeſtativa DEI, quantò plus de illo participat, ſicuti magìs manifeſtat naturam calidi, quod plus participat de natura ignis, qui eſt primum calidum. *Atqui* per unionem hypoſtaticam, creatura ſummè participat Deum, quia participat ipſam Perſonalitatem Divinam *ſubſtantialiter*, *ſeu in eſſe rei*; non verò accidentaliter ſolùm, ſeu in eſſe intelligibili: *ergo* Unio Hypoſtatica eſt maximè manifeſtativa Dei, adeoque ſummè conveniens.

4. *Prob. 3tiò 2da pars Theſis* Authoritate, & ratione *D. Thomæ Art. 1. ad 2dum* itâ loquentis *Uniri Deo in unitate Perſonæ non fuit conveniens carni humanæ, ſecundùm conditionem ſuæ naturæ, quia hoc erat ſupra conditionem ipſius.* Ex quo *ſic argumentor*: ut ſit aliquid *conveniens* alicui naturæ ſecundùm conditionem ſuæ naturæ, debet illi itâ proportionari, ut non excedat totum debitum, & totam naturalem inclinationem, & exigentiam talis naturæ. *Item*; ut ſit aliquid *inconveniens* naturæ, debet eſſe contra meritum, & exigentiam naturæ. *Atqui* Incarnatio nec fuit *juxta*, nec *contra*, ſed *ſupra* meritum, & exigentiam naturæ humanæ; *ergo* nec fuit naturæ humanæ conveniens, nec inconveniens, ſed ſolùm non conveniens.

§. I.

§. I.

Objectiones contra 1mam partem Thesis.

OBjicies 1mò: ex eo: *quòd convenientia Incarnationis ex parte DEI non bene deducatur ex ratione summi boni, ùt in prima probatione diximus*: Unde sic: 1mò. Quod deducitur ex ratione *summi boni*, debet esse *bonum*, sicut, quod deducitur ex ratione *summi veri*, debet esse *verum*, sed *Deum incarnari* non est *bonum*: *ergo*. *Prob. Min.* Quod est bonum, dicit perfectionem, *sed* Incarnatio nullam dicit Perfectionem DEI, *ergo* Deum incarnari non est bonum. *Min. patet.* nam alioquin DEUS ante Incarnationem, caruisset ab æterno aliquâ perfectione, & sic non fuisset ab æterno infinitè perfectus: *ergo*. 5.

Secundò: ex eo, quòd DEUS sit *summum bonum*, solùm sequitur: quòd possit se alijs communicare summô modô, permodum *finis tantùm*, seu *in genere causæ finalis*, *sed* in incarnatione se DEUS non communicat permodum *finis tantùm*, sed se communicat etiam *in genere causæ efficientis* producendo unionem hypostaticam: *ergo*, &c. *Min. patet. Maj. Prob.* Bonum, & finis convertuntur: *ergo* etiam communicatio boni, & communicatio finis: *ergo*, &c. 6.

Tertiò: Communicatio summa summi boni optimè salvatur per communicationem *ad intra*: *ergo* ex ratione summi boni, & modô summo se communicandi, non deducitur convenientia Incarnationis in DEO. 7.

Quartò: Incarnatio *solius* Verbi non est summa communicatio ad extra: *ergo* ex eo, quòd summo bono conveniat summa sui *communicatio* ad extra, non deducitur convenientia Incarnationis ex parte 8.

DEI. *Prob. Ant.* 1*mò*: Major esset communicatio DEI, si DEUS communicaret creaturæ non tantùm subsistentiam suam, sed etiam immediatè naturam suam. 2*dò*: si plures Personæ Divinæ assumerent eandem naturam. 3*tiò*: Si una Persona plures assumeret. 4*tò*: Si omnia individua sibi Deus uniret hypostaticè. Nam de ratione summi boni est, ut se summô modô communicet, non solùm *uni*, sed *omni* creaturæ. 5*tò*: Si assumeret naturam angelicam præ humana, quia magìs convenit, ut summum bonùm se communicet præstantiori naturæ, quàm minùs perfectæ. 6*tò*: Major esset communicatio DEI ad extra, si per *summam misericordiam* gratìs remisisset peccatum, *seclusâ justitiâ*, adeóque *seclusâ Incarnatione*, quæ est finis satisfactionis pro peccato ex toto rigore Justitiæ: *ergo*. *Prob. Ant.* ex illo *Psalmi* 114. *Miserationes ejus super omnia opera ejus*: nam hoc eveniente, factum fuisset, quòd Deus, sicut gratìs prædestinat, itá etiam gratìs perduceret ad gloriam, quæ communicatio utì liberalior, & nobilior, itá etiam major, & convenientior esset DEO, quod patet in hominibus, quibus præcipitur, ut dimittant debita gratìs debitoribus: *ergo*. 7*mò denique*: Quia magìs, & perfectiùs se Deus communicat *visione beatâ*, quàm Incarnatione; nam 1*mò* illâ se communicat secundùm omnia prædicata, *absoluta*, & *respectiva*, per hanc verò solùm secundùm hypostasim relativam verbi. 2*dò*: Visione Beatâ se communicat Deus mediâ nobilissimâ *operatione vitali*, vitæ intelligentis, Incarnatione verò mediâ tantùm unione Personali, quæ, quà talis, vitalis non est: *ergo* communicatio DEI summa ad extra, non est Incarnatio: *ergo*, &c.

9. *Quintò*: Ex eo; quòd Deus sit summum bonum, non

non convenit, ut assumat malitiam, *ergo* nec ut assumat vilitatem, & infirmitatem carnis nostræ per Incarnationem, quia æquè repugnat summo bono esse vile, & infirmum, ac esse malum. *Confirmatur 1mò:* Deus per Incarnationem factus est *peccatum*, 2*dâ* ad Corinth. 5. *atqui* non convenit ut summum bonum fiat peccatum, & aversio à fine ultimo, seu summo bono: *ergo.* *Confirmatur 2dò:* Non convenit ut summum bonum assumat formam servi, cùm sit Dominus omnium, sed si convenit incarnari, convenit summum bonum per Incarnationem assumere formam servi: *ergo.* *Confirmatur 3tiò:* Non esset conveniens arti pictoriæ, si cervici equinæ appingeret caput humanum: *ergo* etiam non est conveniens sapientiæ divinæ, si naturæ humanæ conjungat verbum divinum, quia hoc titulô *summi boni*, magìs excedit humanitatem, quam caput humanum cervicem equinam.

Resp. ad 1mum 1mò Conc. Maj. Neg. Min. Prob. Dist. Maj. Bonum dicit perfectionem (intellige 10.
novam & supperadditam) *vel intransitivè*, *vel transitivè*, id est: dicit perfectionem naturæ illius, cujus est *bonum conveniens*, *juxta inclinationem* propriam, & naturalem, *vel* naturæ alterius, cui est adveniens *Conc.* dicit semper perfectionem *intransitivè*, seu naturæ illius, cujus est *bonum conveniens*, *subdist.* si sit illi naturæ bonum *simul utile Conc.* si sit illi naturæ præcisè conforme, & juxta inclinationem naturalem *Neg. Maj. & Conseq.* Bonum igitur non dicit perfectionem, nisì respectu naturæ *perfectibilis*, respectu cujus semper habet rationem utilis, & quandoque simul rationem *convenientis secundùm naturam*, seu inclinationem naturalem illius, cujus est bonum utile, ùt videre est in bonis purè

naturalibus. Non dicit autem *bonum perfectionem*, ſed tantùm *convenientiam* reſpectu naturæ ſummi boni, & ſummæ bonæ, adeóque nequaquam perfectibilis, nequit enim ullum bonum perficere naturam ſummi boni, quin deſtruat naturam ſummi boni. Ad naturam enim ſumi boni (*inquiunt Salmant. hic in commentario quæſt. 1. art. 1. num. 6.*) ſpectat: ſibi *ſufficere*, & non ſe, ſed alia *perficere* ſe ipſis communicando. Et hoc ſenſu bonum eſt Deo Incarnari, quatenùs nempe per Incarnationem ſui, ſibi ſufficientiſſimus *liberaliſſimè perfecit naturam humanam* in ratione perſonæ, ſinè nova perfectione ſui, id quod eleganter explicat *D. Thomas contra Gentes Lib.* 1. *Cap. 13. num. 6. his verbis*: *Deus non vult alicui ſuam bonitatem communicare ad hoc, ut ſibi exinde aliquid accreſcat, ſed quia ipſum communicare eſt ſibi conveniens ſicuti fonti bonitatis. Darę autem non propter aliquod commodum, ex datione acceptatum, ſed propter ipſam bonitatem, & convenientiam dationis, eſt actus liberalitatis, ùt patet ex Philoſophia in 4. Eth. Deus igitur eſt maximè liberalis, & ùt Avicenna dicit: ipſe ſolus liberalis dici poteſt. Nam omne aliud agens præter ipſum ex ſua actione aliquod bonum appetit, vel acquirit, quod eſt finis intentus.* Ex quo diſcurſu *D. Thomæ* ſufficienter noſtra diſtinctio pro reſponſione adhibita claret: quando dicit 1. quòd datio *propter bonitatem, & convenientiam ſit actus liberalitatis* in dante, ex quo ei nihil accreſcit perfectionis novæ, ſicut accreſcit ex datione *propter commodum.* Ubi rationem boni commodi, & convenientiæ per hoc diſtinguit, quod illud ſit communicativum cum, hæc autem, ſinè ſuperaddita perfectione ſui *Reſp. 2dò*: *Neg. Min. Prob. Diſt. Min.* Incarnatio nullam dicit perfectionem Dei neceſſariam *Conc.* liberam *Neg. Min. & Conſeq. Ultimæ*

timæ Probat. pariter Dist. Ant. Caruisset aliqua perfectione necessariâ *Neg.* liberâ, eâque quoad *terminationem* ad objectum aliquod materiale, & secundarium *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Nam Perfectiones DEI, aliæ sunt *necessariæ*, aliæ *liberæ*. Hæ, non illæ à Deo quoad terminos extrinsecos, eósque mutabiles abesse possunt. Et talis perfectio libera, liberè Deo competens, est communicatio actualis DEI per unionem hypostaticam actualem cum natura humana. Unde non est inconveniens, quod non competat Deo ab æterno, sicut licèt creare dicat perfectionem, DEUS tamen ab æterno non creat, sed in tempore, ex eo, quòd *liberè Deo competat*, cùm enim creaturæ ex *essentia* sua sint *mutabiles*, & ulterius perfectibiles, conveniens est, ut Deus *non semper* eôdem modô se habeat in ordine ad illas, & ideo nec Deus ab æterno illas creavit, sed in tempore, idem est de Incarnatione. Nam sicut nec Deus creans, sic nec Deus uniens sibi hypostaticè humanitatem fuit mutatus, sed solùm immutavit in tempore creaturam.

Ad secundum Resp. Neg. Maj. Nam *bono* ùt sic con- II.
venit se communicare, non hôc, vel illô modô *in particulari*, sed *absolutè*: præscindendo ab omni *genere causæ*, & particularibus modis se communicandi, nimirum, *effectivè*, *finaliter*, *terminativè*, &c. non quòd cuilibet *bono* in particulari conveniat omnibus istis modis se communicare (quia aliàs ratione *boni* ut sic non deberet ab his modis particularibus præscindere, sed eosdem positivè includere, quod enim convenit singulis inferioribus, hoc eisdem convenit positivè ratione superioris, ùt inductione patet) sed ideo, quia bono cuilibet in particulari convenit aliqua istarum communicationum

juxta modum suæ naturæ, & sic *Personalitas* habet se communicare *terminativè*, *forma formaliter*, *materia materialiter*, *causa efficiens efficienter*, *finalis finaliter*. *Deus* autem, cùm *secundùm suam naturam sit omne bonum*, proprium illi est, *se posse communicare omnibus modis possibilibus non involventibus ullam imperfectionem*. Et ità, præter communicationem ad intra, quâ se necessariò actu communicat, *habebit se posse actu communicare ad extra*, non solùm *finaliter*, sed etiam *efficienter*, & terminativè, quia hi modi se communicandi nullam involvunt imperfectionem, sicut etiam defactò se communicat in Incarnatione. *Probat. Dist. Conseq. Ergo communicatio boni, & communicatio finis convertuntur*, si bonum sumatur pro bono appetibili *Conc.* si sumatur pro bono secundùm se *Neg. Conseq.* bonum enim secundùm se dicit simpliciter, & absolutè esse *communicativum sui*, præscindendo à particulari communicatione permodum finis, nam dicere communicationem finis, hoc convenit jam bono *in particulari, scilicet appetibili*, seu causæ finali, dicit autem ratio boni secundùm se ità absolutè, & simpliciter, esse *communicativum sui*, ut non renuat communicationem sui in particulari, ratione prædicati, ipsam rationem boni secundùm se ad particularem rationem boni restringentis. *Nam D. Thomas imò contra Gentes* expreſsè ait: *bonum esse diffusivum sui in genere causæ efficientis*. Unde communicatio boni ùt sic, & secundùm se non convertitur cum *communicatione finis*, bene autem convertitur cum communicatione, & diffusione *sui secundùm se*, præcisivè à modis particularibus diffusionis sui, convertitur tamen ratio boni *ùt finis*, cum communicatione sui *ùt finis*, sicut ratio *boni* ùt causæ *efficientis*, & ùt termini cum

com-

communicatione sui ùt causæ efficientis, & ùt termini.

Ad tertium. Resp. Dist. Ant. 1mò sic: Communicatio summa naturalis, & necessaria salvatur per communicationem ad intra *Conc.* libera *Neg. Ant. & Consequ. 2dò sic: communicatio summa absolutè*, adeóque tam quoad substantiam, quàm quoad modum talis *Conc.* summa *comparativè* ad alias communicationes ad extra salvatur per communicationem ad intra *Neg. Ant. & Conseq.* 12.

Ad quartum Dist. Ant. Non est summa communicatio intensivè, *Neg.* summa extensivè *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* sicut namque tanta & non minor *intensivè* perfectio est in sola Personalitate Verbi, quàm in omnibus Personis simul sumptis, sic etiam non est minor *intensivè* perfectio in sola Incarnatione Verbi, quàm in Incarnatione omnium Personarum divinarum. Est autem tunc communicatio *intensivè major*, quando aliquid *nobilius, & perfectius* communicatur, tunc verò est *extensivè* major, quando talis communicatio ad plura subjecta, & supposita se extendit. Unde communicatio ordinis gratiæ intensivè est major, quàm communicatio ordinis naturæ; hæc verò illâ est major *extensivè. 1mæ Probat. Ant. Neg. suppositum.* Communicationem ejusmodi esse possibilem; desineret enim Deus esse Deus, si fieret *unum cum humanitate in unitate naturæ*, resultaret enim una tertia natura ex duabus composita. *Ad 2dam, & 3tiam Probat. Neg. Ant.* & dico: has communicationes ejusdem esse rationis cum Incarnatione præsenti, & solùm materialiter, *& extensivè* esse majores. *Similiter Resp. ad 4tam Probat. Neg. Ant. & ejus Probat. Dist. Ant.* De rationi summi boni: *est, ut se communicet extensivè summò modô*, non solùm uni, sed 13.

omni

omni creaturæ *formaliter Neg.* ut se communicet extensivè summô modô *æquivalenter Conc. Ant. Intensivè* summô modô se communicat ad extra Deus soli humanitati Christi *formaliter*, illi tamen sic se communicando *formaliter*, se communicat omni alteri creaturæ *æquivalenter.* Sicut enim defactò Deus communicando bona naturalia per creationem, non se communicat per *singula generum* illa producendo, sed per *genera singulorum*, spectantium ad perfectionem universi, & quidem *non æqualiter*, *sed diversimodè*: sic etiam Deus defactò se communicat omni creaturæ per *Incarnationem*, non tamen *æqualiter*, sed uni, nempe humanitati Christi communicat se *formaliter*, *æquivalenter* verò omnibus reliquis creaturis. Cùm enim Deo conveniat se summô modô communicare, & ex altera parte, non sit tam conveniens, ut se *formaliter* omnibus communicet ad extra, quàm conveniens est ut se communicet *formaliter* uni, invenit divina sapientia hoc medium, ut se communicando *soli* humanitati Christi *formaliter*, omnibus reliquis se communicet *æquivalenter*, *& virtualiter.* Hoc enim homo habet speciale præ-cæteris creaturis, quòd omnis creaturæ aliquid habeat homo, habet namque *esse*, *seu existere* commune cum inanimatis, *vivere* cum vegetativis, *sentire* cum animalibus, *intelligere* cum Angelis. Unde meritò dicitur *Micro-cosmus*, ùt rectè expendit *D. Gregorius super illud Marci ultimô. Prædicate Evangelium omni creaturæ*; id est: *Homini*, qui *æquivalenter*, & in sensu accommodo est *omnis creatura.* Quocirca Deus assumendo humanam naturam quasi omnem creaturam sibi univit, mundúmque totum ad tantam dignitatem evexit, ut possimus dicere cum Joan. 3. *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret:* quod

quod non contingeret, si assumeret aliam, ab humana, naturam. *Ità cit.* Salmant. *num. 5.* §. *addimus. Et Gonet hic Disput. 3. art. 1. num 5.*

Ad quintam Probat. Ant. Neg. iterum Ant. Cujus Probat. Dist. cæteris paribus Conc. imparibus *Neg. Ant.* Hìc autem est *imparitas* : quia assumendo naturam Angelicam solùm se communicaret *creaturæ intellectuali*, non verò *omni* naturæ creatæ, ùt contingit in assumptione humanitatis Christi, adeóque non magìs per illam, quàm per hanc se diffunderet supra creaturam summum bonum. 14.

Ad 6tam Probat. ejusdem Ant. Neg. Ant. & Probat. explico cum distinctione ; Miserationes ejus super omnia opera ejus quoad nos *Conc.* in se *Neg. Ant.* Cùm enim in omnibus vijs (operibus) Domini sit misericordia, & veritas, seu justitia, illud opus perfectissimum in se censendum est, in quo simul cum misericordia summa splendet justitia. Hoc enim, *ùt ait Contenson Lib. 9. Dissert. Præamb. Cap.* 1. privatam inter, & publicam personam interest, quòd illa offensam sinè satisfactione remittere possit, non verò hæc, puta: Judex; cujus utique est misericordiam justitiâ acuere, nè impunitate laxentur habenæ peccantibus. Cùm *ergo* Deus sit simul & Pater misericordiarum, & Deus ultionum, adeóque Deus, non autem homo se ipsum vindicare possit, debuit Deus sic unum attributum alterô ex his attemperare in intentione, *& executione Incarnationis*, sicut attemperavit in intentione, & executione *prædestinationis* Beatorum ad gloriam, sed de his fusiùs aliàs. 15.

Ad 7timam denique Probat. ejusdem Ant. cum P. Francisco Amico hic Disput. 3. num. 6. 7. 8. Neg. Ant. Incarnatione enim Deus se communicat creaturæ 16.

substantialiter, & in ratione *Personæ*; visione autem, *accidentaliter*, & in ratione duntaxat objecti intelligibilis, quod ex se non constituit *unum per se* cum principio intelligente, ut hypostasis cum natura assumpta. Unde patet ad *utramque probationem*, & quidem ad 1mam, licèt enim visione communicentur Beato omnia prædicata DEI, Incarnatione autem humanitati immediatè, & per se *sola* hypostasis relativa verbi, attamen communicatio Incarnationis fit mediante *unione substantiali*, *& intrinseca*, ratione cujus compartes unius, in recto prædicantur de altero, & vice versa, id quod non contingit in communicatione per visionem, quâ se Deus solùm *accidentaliter*, & extrinsecè sinè communicatione idiomatum communicat. *Patet pariter ad 2dam Probat. Ant.* Licèt enim Deus visione beata se communicet Beatis operatione vitali nobilissima vitæ intelligentis, hæc tamen communicatio non est *substantialis*, tribuens esse divinum naturæ *intrinsecè*, & *substantialiter*, sed *accidentalis*, *& ratione duntaxat objecti* extrinsecè terminantis. *Accedit*: Quòd Incarnatio sit *radix*, & *principium visionis*, cæterarúmque omnium perfectionum supernaturalium, sicut substantia est radix, & principium omnium naturalium proprietatum: atque ideo est perfectior quacunque operatione etiam vitali, cùm omnis operatio finaliter ordinetur ad perficiendam accidentaliter *substantiam*, cujus est operatio.

17. *Ad 1. Dist. Ant.* Ex eo: quòd Deus sit summum bonum, non convenit ut assumat malitiam moralem *Conc.* Physicam *Neg. Ant. & Consequ. Disparitas ex D. Thoma hic art. 1. ad 3. est*: quòd malitia moralis *tollat ordinem* ad finem ultimum, est enim *deordinatio à fine*, & recessus ab arte Divinæ sapientiæ, & ordine

ordine Divinæ Bonitatis, implicat autem, ut Deus, qui est ipse ultimus finis, possit deordinari à fine, ipsa sapientia, possit recedere ab arte sapientiæ Divinæ, & ipsa bonitas deviare ab ordinatione bonitatis divinæ: *ergo* etiam implicat: Deum assumere malitiam moralem, seu ejusmodi deordinationem, & recessum. At verò *infirmitas*, *mors*, *vilitas*, ratione sui non privant ordine ad ultimum finem, imò sæpè juvant, ùt patet in SS. Martyribus, & in malo pœnæ purgatorij à Justitia Divina ordinato ad Dei gloriam. Et ideo hæc omnia propter gloriam Dei extrinsecam poterant assumi à DEO, non item *malum culpæ*.

Confirmationis 1mæ Dist. Maj. Christus factus est propriè peccatum, prout nempe peccatum importat reatum culpæ *Neg. Maj.* Impropriè, & prout importat hostiam pro peccato Juxta phrasim scripturæ *Conc. Maj.* Nam sic *Oseæ 4.* dicitur de sacerdotibus mosaicis *peccata populi comedent*, id est: hostias, & victimas, quas pro peccatis offerebat populus, sacerdotes comedent. *Dist. etiam Min.* ut fiat peccatum propriè dictum *Conc.* impropriè dictum *Neg. Min. & Conseq.* 18.

Confirmationis 2dæ Dist. etiam Maj. Sic; non convenit, ut assumat formam servi legalis *Conc.* servi naturalis *Neg. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Conseq.* Disparitas est: Quia conditio servitutis legalis inducit *contemptum*, non verò naturalis, servitus namque legalis, quæ Jure Gentium, & legibus humanis inducta est, spoliat servum omni jure ad communicandum cum Domino in bonis fortunæ, & honoribus, adeóque reddit illum contemptibilem; servitus autem naturalis, scilicet illa, quæ fundatur in physica productione subditi, quomodo quælibet creatura est naturaliter serva creatoris, non privat 19.

 sub-

ſubditum omni jure ad communicandum cum Domino, & ſuperiore in bonis, ùt patet in filio. Chriſtus autem, quâ homo eſt tantùm ſervus *naturalis*, non legalis, & habet maximam communicationem cum Deo in honore. *Diſt. 2dò. eandem Maj.* Formam ſervi, qui ſit ſervus ſervitute neceſſariò tolerata *Conc.* Servitute liberè, & ex motivo virtutis ſuſcepta *Neg. Maj. Diſt. ſimiliter Min. & Neg. Conſeq. Diſparitas eſt*: Quia ſervitus ex neceſſitate tolerata parit contemptum, non verò liberè ex motivo alicujus virtutis ſuſcepta, ùt patet à pari *in paupertate* neceſſariò tolerata, & liberè ex motivo virtutis ſecundùm conſilium Evangelicum ſuſcepta, *illa*, non hæc contemptum parit, quin potius hæc novam æſtimabilitatem addit. Proinde etiam Deus, ùt ait *D. Gregorius Hom. 6. in Evangelia, tantò ab hominibus digniùs eſt honorandus, quantò indigniora ab hominibus ſuſcepit.*

20. *Confirmationis 3tiæ Conc. Ant. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt*: Quia cervix equina non habet ſe ad caput humanum, tanquam *perfectibile ad perfectivum*, ſicut natura humana ad Verbum Divinum, quæ ſe autem ad invicem habent *ùt perfectibile*, & perfectivum, poſſunt convenientiſſimè conjungi, licèt alioquin maximè inter ſe diſtent, non autem illa, quæ ad ſe invicem ſe non habent ùt perfectibile ad perfectivum, licèt alioquin *in eſſe entis* à ſe non tantopere diſtent, ùt patet in duplici anima rationali, duobus Angelis, &c. imò quo major eſt diſtantia inter *perfectivum, & perfectibile*, eò major eſt aptitudo, ut unum perficiat, & alterum perficiatur, atque ſibi conjungantur, ſic forma rationalis, quæ à materia magis diſtat, quàm forma equina, perficit magis materiam, quàm forma equina; *ergo. &c.*

Obji-

Objicies secundò : ex eo : *quòd Incarnatio non maximè manifestet, sed obscuret attributa DEI, quod est contra 2dam conclusionis rationem num. 3. allatam.* *Nam 1mò* obscuratur *Justitia*: quia injustum videtur, ut innocens obligetur pro nocente 2dò: *Immensitas*, quia persona divina intra humani corporis angustias coarctatur. 3tiò *Æternitas*; Quia per hoc mysterium Deus habuit *initium*, *progressum*, & *finem*. 4tò: *Unitas*: Quia per hoc mysterium Persona Verbi est *composita*, adeóque una unitate *compositionis*, quæ excludit unitatem simplicitatis Personæ Verbi essentialem. 5tò *Veritas*: Quia *immortalis moritur*, quod non minùs, ac reliqua omnia, videtur esse falsum, & imperceptibile. 6tò *Denique* obscuratur *Providentia Divina*. *Prob.* Providentiæ est respicere circumstantias rei faciendæ; *sed* Incarnationis multæ sunt circumstantiæ providentiæ Divinæ non convenientes, & præcipuè *circumstantia temporis*: *ergo*. *Prob. hæc Min.* Nam Christus, & citiùs, & tardiùs venit, quàm conveniebat. 1mò: venit *citiùs*, quia quod est *maximè perfectum*, *est ultimum in tempore*, & executione, ùt patet in octavo gradu caloris, *ergo* Incarnatio utpote maximè perfecta debebat differri usque ad finem mundi, ut esset ultimum Dei opus. 2dò: venit *tardiùs*, quàm conveniebat providentiæ Divinæ. Tum, quia non convenit tardare, necessitatem humano generi patienti, subvenire per Incarnationem, juxta illud: *Principijs obsta*; quod ipsum dictat lex præterea Chartatis. Tum quia juxta Axioma Philosophicum: *perfectivum imperfecti est priùs imperfectô*: *ergo* etiam Christus debuit esse prior alijs creaturis: *ergo*, &c. *Resp. ad 1mum Neg. Ant.* & *ejus Probationem Dist.* Injùstum videtur, ut innocens obligetur pro nocente, si innocens non seipsum

ſum liberè conſtituit vadem, & fidejuſſorem pro nocente *Conc.* ſi ſe ipſum liberè conſtituit pro vade, ùt fecit humanitas Chriſti *Neg. Ant. & Conſeq.* *Ad 2dum Neg. Ant. Cujus Probationem 1mò Neg.* Nam, ùt bene obſervat *Contenſon hic ſpeculat.3.* optimè conſervetur *Immenſitas*, quia, quem cœli capere non poterant, *portavit* quidem, ſed *non concluſit* uterus virginalis, ſicut Immenſitatem non coarctavit orbis conditus; quia ſic Deus in ipſo eſt, ut poſſit ad alios in infinitum orbes protendi, aut ſicut non coarctatur exiſtentia Chriſti ad haſcè ſpecies Evchariſticas, cùm æquè in alijs ſpeciebus Evchariſticis, & in cœlo inveniatur. *2dò: Diſt. hanc Probationem.* Perſona Divina intra corporis humani anguſtias coarctatur, ratione ſui, aut divinitatis ſuæ *Neg.* ratione humanitatis aſſumptæ *Conc.* Non eſt autem inconveniens, quòd eadem perſona poſſit dici *Immenſa, & circumſcripta ratione diverſorum.* Sicut homo non inconvenienter dicitur: *incorruptibilis*, ratione *animæ*: *& corruptibilis*, ratione corporis. *Ad 3tium Neg. etiam Ant. Probationem pariter Diſt.* habuit *initium*, ex ratione ſui *Neg.* ratione humanitatis aſſumptæ *Conc. Ant.* Nam ſicut incepit creare, & fieri creator ratione creaturæ, ſic etiam incepit incarnari, & fieri homo ratione humanæ naturæ. *Ad 4tum Neg. rurſus Ant.* Cùm enim omnium unionum maxima ſit unio hypoſtatica, facit maximè unum, atque ità, non deſtruit, ſed exſtruit unitatem. *Probationis* verò *Diſt. Ant.* Perſona Verbi *entitativè* in abſtracto, & *intranſitivè*, ſeu ſecundùm ſe accepta eſt compoſita, adeóque excludens unitatem ſimplicitatis ſibi ſic acceptæ eſſentialem *Neg.* Perſona Verbi, ùt terminans humanitatem Chriſti, in concreto illius humanitatis, & ſic tranſitivè accepta, adeó-

que

que ùt humanitati Christi unita, est composita *Conc Ant.* & *Neg. Conseq.* *Ad 5tam Neg. Ant. Probationis Dist. Ant. Immortalis* secundùm illam naturam, secundùm quam est immortalis, moritur *Neg.* moritur secundùm illam naturam, secundùm quam est mortalis *Conc. Ant.* & *Neg. Conseq.* Quia diversitas naturarum absorbet contradictionem, stante communicatione idiomatum ob identitatem Personæ. *Ad 6tam denique Resp. Neg. Ant. Probationisque Min. Cujus Probationis Neg. Ant. Et ejus probationis quoad 1mam partem Dist. Ant.* Quod est maximè perfectum permodum termini, ad quem *terminatur motus*, est ultimum tempore in tali motu *Conc.* secùs *Neg. Ant. Et Conseq.* Christus enim non habet se ad *productionem* reliquarum creaturarum tanquam *terminus ad quem*, & ideo non erat necessarium, aut conveniens, ut Incarnatio esset ultimum Dei opus, tum, ùt ait *Contenson Cit. Nè spes tanta dilatione deficeret, tum, nè morbi tam dilata remedij orbitate fierent incurabiles.* Non tamen conveniebat modernæ Providentiæ Divinæ, ut Incarnatio executioni daretur, *ante* peccatum, quia *nunc etiam* est intenta in *remedium peccati* : nec immediatè *post* peccatum. *Tum* ob superbi hominis humiliationem, diuturnô propriæ infirmitatis experimentô percipiendam. *Tum*, ob Christi gloriam multiplici Prophetarum apparatu prænuntiandam, multisque suspirijs postulandam. *Tum denique*: *ùt præterea dicit D. Thomas hic Quæst. 1. art 5.* Propter ordinem promotionis in bonum, secundùm quem ab imperfecto ad perfectum proceditur. Conveniebat proinde modernæ providentiæ Divinæ incarnationem fieri, priùsquam venit plenitudo temporis ùt dicitur *ad Galatas* 4. & in medio annorum *Hab.* 3. Nempe, ut sicut sol in medio

medio planetarum positus superiores, & inferiores illuminat, ità Christus sol Justitiæ in medio annorum oriens priora, & posteriora sæcula illuminaret, priora quidem *per fidem futuræ*, posteriora verò *per fidem jam factæ Incarnationis*, *ùt dicit D. Thomas hìc Quæst.* 1. *art.* 6. non dicitur tamen Incarnatio in *mediō mathematico*, ità ut post illam tot anni supersint ad finem mundi, quod ante præcesserunt ab initio mundi, quia aliàs non foret *incerta* illa dies, de qua nemo scit. Sed dicitur facta *in medio morali*, in quantum scilicet nec est facta in principio, neque penitus in fine mundi. *Quoad 2dam partem ejusdem Probationis Resp. 1mò* : Quòd quamvìs Incarnatio fuerit diu dilata quoad executionem, habuit tamen anticipatum quoad effectum salutis per fidem suæ futuritionis, quia tam in lege naturæ, quàm Mosaica homines justificati sunt per fidem Christi venturi. *Resp. 2dò*: *Dist. Ant. 1mò* : sic: non convenit providentiæ divinæ tardare subvenire, &c. si nulla subsit rationabilis causa tardandi *Conc.* si subsit, ùt mox *in Responsione ad 1mam partem diximus Neg. Ant. & Conseq.* *2dò* : *Dist. idem Ant.* Non convenit tardare subvenire necessitatem *patienti innocenter Transeat.* Patienti necessitatem *ex culpa Neg. Ant.* Illud : *Principijs obsta* : pariter *Dist.* si ità magìs, aut unicè expediat, & aliter non sit medendum *Conc. secùs Neg. Ant.* Etenim sicut sapiens medicus non semper statim in principio adhibet efficacissima medicamenta, ità DEUS infirmitati humanæ, non statim adhibuit efficacissimum remedium Incarnationis, sed priùs adhibuit minùs efficax, sufficiens tamen ad salutem, situm in fide futuræ Incarnationis, eò, quòd sic magìs propter allegatas congruentias dignitatem Incarnationis condecebat.

Axioma

Axioma Philosophicum sic explico: *Perfectivum imperfecti est priùs imperfecto* vel naturâ, vel dignitate *Conc.* Est semper prius naturâ, & executione *Neg.* Forma enim materialis est perfectiva, non tamen prior materiâ *executione, & tempore.*

Objicies 3tiò: ex eo: *quòd non possit explicari quanta sit hæc convenientia Incarnationis Verbi Divini.* Nam non potest dici, quòd Incarnatio verbi sit magis, aut minùs, aut æquè conveniens, ac Incarnatio Patris, aut Spiritûs Sancti fuisset: *ergo.* *Resp.* *Negan. Ant.* *& dico*; incarnationem verbi magis fuisse convenientem, quàm fuisset incarnatio Patris aut Spiritûs Sancti, idque obsequentes congruentias, quæ fundantur *in majori affinitate remota,* & potentiali hominis cum verbo, quàm cum reliquis Personis divinis. *Congruentia autem est 1mò*; Quia conveniebat, ut idiomata quantum fieri potest, sint similia, adeóque etiam congruebat, ut qui ab *æterno erat filius* DEI, etiam esset *in tempore filius* hominis, & consequenter nomen filij non daretur alijs. *2dò*: Quia uterque nempe & Verbum Divinum, & homo est *imago Patris*; ad Colossenses 1. Et 1ma, ad Corinth. 2. Ad Rom. 8. *quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij.* *3tiò*: omnia per ipsum (Verbum) tanquam *per exemplar facta* sunt: *ergo* etiam condecebat, ut per ipsum omnia *reficiantur*, per idem enim artifex opus producit, & collapsum reparat. *4tò*: Quia homines appetendo *scientiam* DEI, ceciderunt; *ergo* convenit, ut per eandem scientiam, & sapientiam Patris, nempe *Verbum Divinum* resurgant. *5tò*; Quia decet filium naturalem vindicare injuriam Patris, & Filios adoptivos redimere. *6tò*: Quia filius est quasi Persona *media*, inter Patrem, & Spiritum Sanctum, *ergo* decuit, ut ille esset mediator inter Deum, & ho-

minem lapsum. *7mò*: specialiter conveniebat Incarnatio Filij, præ Incarnatione Patris: quia si Incarnatus fuisset Pater, non potuisset salvari ratio *missionis*, ùt ex prima Parte constat: *ergo*. Sed

Dices: Incarnatio Patris, & Spiritûs Sancti fuisset *æquè infinita*, ac est filij; *ergo* non est major convenientia in Incarnatione filij. *Resp. Dist. Conseq.* Non est major convenientia *intensiva*, intrinseca, & quoad se *Conc.* non est major *extrinseca*, & quoad modum concipiendi, eáque fundata in congruentijs à nobis recensitis *Neg. Conseq.*

23. *Objicies 4tò*: ex eo; *quòd plures inconvenientiæ ex parte Dei sequerentur, si Incarnatio Verbi esset conveniens Deo.* Nam *1mò. sequeretur*; Incarnationem Deo esse necessariam, quod sic *Probatur*. Quod est *conveniens*, & conforme naturali inclinationi alicujus, est *necessarium*, & *non liberum* illi, idem namque est *naturale*, & *necessarium*: *ergo* si Incarnatio est juxta naturalem inclinationem DEI, est ei necessaria.

24. *Secundò*: Sequeretur; Quòd Deus deberet necessariò nolle Incarnationis carentiam. *Prob.* Si conveniret Deo Incarnari, non conveniret ei carere Incarnatione; *sed* quod Deo non convenit, hoc non potest Deus liberè velle, sed debet illud necessariò nolle, *ergo* Deus debet necessariò nolle carentiam Incarnationis: *ergo* non potest liberè, sed necessariò velle Incarnationem

25. *Tertiò*: Denique sequeretur: Majorem à nobis deberi amorem *Verbo*, quàm Patri, aut Spiritui Sancto. *Prob.* Majorem amorem debemus illi, qui plura nobis beneficia fecit, *sed* ratione Incarnationis, Verbum Divinum plura nobis beneficia fecit, quàm Pater, & Spiritus Sanctus, siquidem pro nobis Caro factum, passum, & sepultum est; *ergo* majorem de..

bemus

bemus illi, quàm alijs Personis Divinis amorem.

Resp. ad 1mum: argumentum nimiùm probare. Probat enim, quòd omnes Personæ Divinæ, & quidem ab æterno *debuissent* incarnari, quia etiam Patris, & Spiritûs Sancti Incarnatio esset *absolutè* conveniens, & conformis naturali inclinationi, & bonitati divinæ. Unde *1mò*: *Neg. Ant.* cum probatione. Natura enim præscindit ab eo; utrùm sit principium operandi *liberum*, *an necessarium*, adeóque etiam id, quod convenit rei secundùm *naturam*, seu quod est conforme naturali inclinationi illius præscindit ab hoc, an illi conveniat *necessariò*, *an liberè*; ac proinde omnis communicatio *ad extra*: ideóque etiam Incarnatio, convenit Deo secundùm naturam: sed non aliô modô, quam quô ipse se habet ad extra: hoc est, *liberè*, sicuti communicatio DEI ad intra convenit ei, eô modô, quô se habet ad intra, scilicet *necessariò*. *2dò*: *Dist. Prob. Ant.* Quod est conveniens, & conforme naturali inclinationi alicujus, est illi necessarium semper quoad *exercitium* actûs secundi *Neg.* est necessarium quoad actum primum *Conc. Ant.* sic ratiocinari est homini *conveniens*, non tamen *necessarium*, nisì in actù primo. Id, quod additur: *Dist.* Idem est *naturale*, *&* *necessarium*, si naturale accipiatur prout est oppositum *libero Conc.* si accipiatur prout est oppositum *disconvenienti Neg.* Nam sic non est convertibiliter idem cum necessario, sed latiùs patet. 26.

Ad secundum Neg. Maj. Nam sæpè agenti libero utrumque contradictoriorum divisim acceptum est *conveniens*, licèt fortasse unum sit magis *conveniens*, quàm alterum. Sic homini est *conveniens*, *ambulare*, *sedere*, ità tamen ut sit ei etiam conveniens *non ambulare*, *non sedere*. Sic Deo fuit *conveniens* 27.

creare, & conveniens etiam fuisset, *non creare mundum*; ideóque *liberè* illum creavit. Hinc pariter fuit Deo conveniens incarnari, & conveniens etiam fuisset, non incarnari, adeóque liberè se communicavit per Incarnationem. *Ratio hujus est*: Quia sicut *conveniens* est divinæ bonitati, ut summè se communicet *ad extra*, sic eidem *conveniens est*, ut sit contenta summa communicatione *ad intra*, cùm summa communicatio ad intra eminenter contineat omnem communicationem ad extra, & sine hac sit in se Beatissimus, & nullius extra se indigus. Licèt *ergo* concedatur *magis esse conveniens*, ut Deus incarnetur, quàm ut non incarnetur, *liberè tamen* Deus elegit id, quod magis conveniens est, nempe *Incarnationem*, præ carentia illius.

28. *Ad 3tium denique Resp. cum P. Gormaz hic Disput. 2. sect. 2. num. 70. Neg. sequelam. Prob. Neg. Min.* Ratio est: quia verbum solum *fecit* nobis beneficia eò, quòd *voluerit* recensita nobis conferre; *illi enim nihil deberemus, qui nolens nobis benefacere, benefaceret*. Cùm autem *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus eadem* volitione velint nobis benefacere, ità ut non sint *tria*, sed *unum* volens, nec *tria*, sed *unum* faciens; cùm *omnipotentia*, & *voluntas* sint *prædicata absoluta*, quidquid filio debemus, debemus etiam Patri, & Spiritui Sancto, id, quod *Citatus Gormaz fusiùs explicat num. 71.* Ante quem idem sensisse videtur, Illustrissimus *Godoy Quæstio. 3. Tract. 3. Disput. 16. §. 1. num. 19.* Dum dicit: licèt de solo verbo verificetur, *caro factum esse*: quia hæc denominatio petit, ut id, cui convenit, sit *terminus humanitatis*, illamque supposïtet, sicut etiam, *passum, mortuum esse, nos redemisse* solùm verificatur de verbo, eò, quòd *actiones*, & *passiones humanitatis* solùm verificentur de *supposito huma-*

humanitatis: quia tamen Incarnatio, perquam Caro factum est, *passio*, *mors Christi*, *& illius redemptio*, fuerunt à tota TRINITATE *effectivè*, licèt non fuerint *denominativè*, idcirco *nullum beneficium* est nobis collatum à verbo, quod non fuisset collatum ab alijs Personis Divinis. *Sed*

Replicabis. Verbum Caro factum esse *terminativè*, 29.
terminando scilicet naturam nostram, est nostrum beneficium; *Sed Verbum Caro factum esse terminativè*, verificatur solùm de Verbo; *ergo* aliquod beneficium est nobis à solo Verbo collatum: *ergo* Verbo tenemur *majorem* amorem, quàm Patri, & Spiritui Sancto, qui non sunt Incarnati. *Resp. Concessis præmissis*: *Neg. Conseq.* Licèt enim solum Verbum *terminaverit* humanitatem, atque ità beneficium non sit ab omnibus tribus Personis Divinis *terminativè*, quia non omnes tres *terminarunt* humanitatem Christi, quia tamen Incarnationem, & unionem hypostaticam omnes tres Personæ Divinæ *voluerunt*, *& efficienter causarunt*: Beneficium Incarnationis est ab omnibus tribus *effectivè*, *& collativè*. Unde sicut *beneficium Ecclesiasticum est præsentativè*, non verò *collativè* à Patrono, est autem *collativè*, non verò *præsentativè* ab ordinario; sic (aliquali saltèm paritate) Beneficium Incarnationis est *terminativè*, non verò *collativè* à solo Verbo, *collativè* autem, non verò *terminativè* est ab omnibus tribus Personis Divinis.

Urgebis Actiones meritoriæ, & satisfactoriæ 30.
Christi, fuerunt sub Dominio Christi aliquo specialiori modo, quô non fuerunt sub Dominio Dei: *ergo*, licèt fuerint à tota TRINITATE *effectivè*, ratione tamen illius *modi specialis*, quô fuerunt sub Dominio Christi, quô modô non fuerant sub Do-

minio aliarum Perſonarum, ſpecialem in nobis induxerunt obligationem erga Verbum, quàm erga alias Perſonas Divinas. *Reſp. Diſt. Conſeq.* Induxerunt ſpecialem obligationem quoad modum *Conc.* quoad ſubſtantiam *Neg. Conſeq.* Nam ex eo, *inquit citatus Godoy num.* 22. quòd prædictæ actiones ſpeciali aliquô modô fuerint ſub Dominio Chriſti, nempe *ùt liberè, & vitaliter elicitæ, & receptæ*, quô modô non fuerunt ſub Dominio Patris, & Spiritûs Sancti; quia tamen *tales actiones, & modus illas habendi*, fuerunt ſub Dominio DEI, & totius TRINITATIS *aliô modô*, nempe *effectivè*, non oritur ſpecialis obligatio quoad *ſubſtantiam*, ſed ſolùm *quoad modum*, ſeu ſpecialis obligatio quoad *titulum*. Ex quo tamen non ſequitur: aliquid deberi verbo, quod non debetur Patri & Spiritui Sancto, ſed tantùm quòd Verbo aliquô ſpeciali titulô noſtra debeatur *redemptio*, nempe titulô *redemptionis*, quô titulô non debetur alijs Perſonis divinis, quia titulus redemptionis fuit Patris, & filij tantùm *effectivè*, non autem ſimul *denominativè* illorum, ſicuti eſt Verbi. Unde fit, quòd, licèt filio pluribus titulis ſimus debitores, quàm Patri, & Spiritui Sancto, non tamen poſſit dici *abſolutè*, quòd plus Filio, quàm alijs Perſonis Divinis debeamus. Quia tituli illi non *multiplicant ſubſtantiam* debiti erga Verbum.

31. *Inſtabis.* Ratione hujus tituli ſpecialis, quô Chriſtus dicitur nos redemiſſe, & pro nobis ſatisfeciſſe, verificatur de Verbo, & non de alijs Perſonis Divinis, *Deum ex juſtitia obligâſſe*: *ergo* etiam ex eadem ratione verificatur de Verbo, aliquam obligationem in nos induxiſſe, quam non induxerunt aliæ Perſonæ Divinæ: *ergo* adhuc plus ſumus obligati Verbo, quàm Patri, & Spiritui Sancto.

Reſp.

Resp. Dist. similiter utrumque Conseq. Quoad modum *Conc.* Quoad substantiam *Neg. Conseq.* Etenim denominatio : *obligantis ex Justitia* reduplicat *modum specialem*, quô humanitas convenit Verbo, scilicet *terminativè*, & modum illum specialem, quô actiones redemptivæ, & satisfactoriæ Personæ Verbi tribuuntur, nempe *denominativè*, & *formaliter*, utpote tanquam principio *ùt quod*, *vitaliter illas elicitivo* in concreto humanitatis Christi, & quia *hoc speciali modô* non possunt affirmari de Patre, & Spiritu Sancto, ideo hæ Personæ non possunt dici *Deum obligâsse ex justitia.* Quia tamen operationes prædictæ, supra quas obligatio fundatur, continentur sub *efficientia*, & *beneficientia* divina *toti* TRINITATI communi; ideo Verbum in nos non induxit majorem, aut aliam quoad substantiam obligationem, quàm reliquæ Personæ Divinæ, licèt eandem obligationem *aliô modô*, & *titulô* induxerit, qui tamen ipse titulus (nempe quòd Verbum ùt homo obligaverit Deum ex Justitia) quamvis non fuerit Patris, & Spiritûs Sancti *denominativè*, & *formaliter*, fuit tamen ipsorum *efficienter*, & *dominativè*. Atque hinc eadem *quoad substantiam* in nobis est obligatio erga reliquas Personas Divinas, ac quæ est erga filium. 32.

§. 2.

Solvuntur objectiones contra secundam partem Thesis.

OBjicies primò : Ostendendo, quòd Incarnatio Verbi fuerit conveniens creaturæ rationali, & universo ex eo : quòd sit juxta inclinationem utriusque. Nam *1mò :* Natura humana Christi, & omnes intellectu- 33.

ales

ales creaturæ gaudent de Excellentia Incarnationis peractæ: *ſed* id, de quo quis gaudet, eſt juxta inclinationem naturalem gaudentis: *ergo.*

34. *Secundò*: *S. Thomas hìc Quæſt. 4. art.* 1. *in Corpore expreſsè docet*: in natura humana eſſe majorem congruentiam reſpectu unionis hypoſtaticæ, quàm in reliquis creaturis, *atqui* ſubjectum habens congruentiam reſpectu alicujus boni, habet inclinationem ad illud: *ergo.*

35. *Tertiò*: Conveniens erat ad perfectionem univerſi dari has tres ſuppoſitorum differentias. 1*mò*: Unam naturam in *unica* Perſona, prout contingit in omnibus puris creaturis rationalibus. 2*dò*: Unam naturam in *pluribus* Perſonis, prouti eſt in SS. TRINITATE. 3*tiò*: Plures naturas in una perſona, prout eſt in Chriſto; *ſed* quod eſt conveniens, eſt juxta inclinationem naturalem illius, cui eſt conveniens: *ergo*. *Confirm.* Conveniens eſt, ùt cbſervat *Sanctus Leo*, ad perfectionem univerſi, dari quatuor hoſce modos producendi hominem. 1*mò*. Absque viro, & fæmina, prouti eſt productus Adam. 2*dò*: Ex viro, & fæmina, utì ordinariè generatur. 3*tiò*: Ex viro absque fæmina prouti producta eſt Eva. 4*tò*: Ex fæmina absque viro prouti natus eſt Chriſtus: *ergo*, &c.

36. *Reſp. ad* 1*mum Diſt. Maj.* Natura humana in Chriſto, & omnes intellectuales creaturæ, gaudent de Excellentia Incarnationis peractæ gaudiô purè *naturali Nego. ſupernaturali* ſaltèm philoſophicè *Conc. Maj. Diſt. etiam Min.* de quo aliquis gaudet gaudiô purè naturali *Conc.* ſupernaturali, *Neg. Min. & Conſequ.* Nam ſicut nihil volitum, quin præcognitum, ità *nihil poteſt appeti* appetitu purè naturali, quod non poteſt cognoſci *cognitione purè naturali*, *atqui* Incarnatio

natio non poteſt cognoſci cognitione purè naturali: *ergo* nec appeti appetitu purè naturali, adeóque nec eſt conformis naturæ humanæ ſecundùm ſe præcisè ſpectatæ.

Ad 2dum Diſt. iterum Maj. S. Thomas docet: In natura humana eſſe majorem congruentiam fundatam in *potentia obedientiali*, elevabili ad Unionem hypoſtaticam, ſeu Incarnationem, *Conc.* fundatam in potentia naturali, ſeu in debito, & exigentia naturæ humanæ ſecundùm ſe *Neg. Maj. ſic Diſt. Min. & Neg. Conſeq.* Alij abſolutè negant *Maj.* dicentes: plùs requiri ad hoc, ut aliquid dicatur *juxta* naturalem inclinationem alicujus rei, adeóque eſſe *conveniens* illi, quàm ut dicatur præcisè eſſe *congruum ei*; *ad 1mum* enim requirunt, ut illud, quod eſt alicui *conveniens*, & juxta *naturalem* inclinationem, non ſit *ſupra illius naturam*, non verò ad *2dum*: quia congruentia, & *decentia* eſt, etiam ad quid ſupernaturale, congruum enim fuiſſe dicunt, ut Angeli in ſui creatione reciperent gratiam, ſecundùm quantitatem *ſuorum naturalium* juxta *S. Thomam 1. Parte. Quæſtio.62. art. 6.* Unde tenent *magis congruum* eſſe, naturam humanám aſſumi à Verbo, quàm aliam, quia hæc congruentia non eſt *poſitiva* naturalis inclinatio naturæ ad aliquod ſupernaturale, ſed tantùm *negativa*, ſeu obedientialis non repugnantia. 37.

Ad 3tium Diſt. Maj. pariter: Conveniens erat ad perfectionem univerſi, ſecundùm *debitum* naturæ, & naturalem *exigentiam* illius, adeoque *poſitivè Neg.* independenter ab hac exigentia naturæ *Conc. Maj. Diſt. etiam Min.* quod eſt conveniens ſecundùm *exigentiam naturæ Conc.* Secùs *Neg. Min. & Conſequ. Confirm.* eadem diſtinctione *Diſt. Ant. & Neg. Conſequ.* 38.

39. *Objicies 2dò : Ostendendo, quòd Incarnatio fuerit inconveniens creaturæ.* Ex eo : *quòd sit difformis, & contra exigentiam naturæ creatæ.* Nam *imò* : naturæ humanæ *non fuit conveniens*, & conformis Incarnatio : *ergo* fuit *inconveniens*, & difformis eidem. *Prob. Conseq.* Natura humana naturaliter *exigit* subsistentiam *sibi connaturalem* : *ergo* Incarnatio, quæ *tollit*, subsistentiam *propriam*, & connaturalem naturæ humanæ, est *contra* exigentiam naturæ humanæ, adeóque ei *inconveniens*, difformis, & violenta.

40. *2dò.* Omni naturæ humanæ *lapsæ* debebatur *ùt pœna*, omnium bonorum *supernaturalium privatio*, ac proinde etiam privatio Incarnationis; *atqui* est inconveniens, ut peccatori non infligatur pœna debita : *ergo* Incarnatio fuit omni naturæ humanæ lapsæ inconveniens. *Confirm.* Inconveniens est, ut *id* concedatur peccatori, quò nihil *majus* concedi potest innocenti, quia sic adimeretur justæ dilectioni spes, & iniquitati timor. *Sed* nihil majus incarnatione concedi post innocenti, *ergo* &c.

41. *3tiò.* Incarnatio fuit pluribus in scandalum, & ruinam : *ergo* est pluribus inconveniens, & difformis.

42. *4tò.* Denique, Christus ad manifestandam suam divinitatem sub humanitate latentem indiguit multis miraculis, *atqui* miracula *turbant ordinem universi*, impediunt enim naturales elementorum, & mixtorum operationes : *ergo* Incarnatio, ex qua talis *oritur* universi *turbatio*, est universo *inconveniens*, & difformis.

43. *Resp. ad 1mum Neg. Conseq. Conveniens* enim, & *inconveniens contrariantur* tantùm, & sibi non *contradicunt.* Contraria autem licèt non possint *de eodem* simul *affirmari*, possunt tamen *negari*, & sic da-

tur

tur inter illa medium *negativum*. Unde Incarnatio nec est *conveniens*, nec *inconveniens*, sed est *non conveniens* naturæ humanæ Christi. *Prob. Dist. Ant.* Exigit subsistentiam *sibi connaturalem*, si illi non detur alia longè nobilior, & eminentior *Conc.* si detur *Neg. Ant. & Conseq.* Ratio est: quia *potentia non inclinatur ad actum, nisi ut compleatur*: si *ergo* humanitas Christi sit completa per *actum* eminentiorem *subsistentiæ divinæ inamissibiliter* possessam, *& totam* suam capacitatem explentem, quid amplius desiderabit? Igitur quandocunque Deus confert creaturæ aliquod donum supernaturale ementiori modo *compensativum* alterius boni *naturaliter debiti*, tunc creatura *non exigit* amplius appetitu naturali suum bonum naturale, sed fertur *appetitu obedientiali* in bonum illud supernaturale, simul & *elicito dictante* quòd, quandocunque donatur perfectione *eminentiori sibi* indebita, *incompossibili* tamen cum *propria* perfectione sibi debita, *præferendam* esse perfectionem illam *eminentiorem*, si sit *perfectiori* modo *compensativa* perfectionis, & boni *inferioris proprij. Instantia est* 1mò: si quis extrahendus sit *ex patria* ad acipiendum regnum extra patriam, ille *rationabiliter præferet*: existere in regno *extra* patriam, præ existere *in patria extra regnum*, eò, quòd existere in regno *abundanter compenset* existentiam in patria. 2dò: Quia visio beatifica *compensat* sufficienter in intellectu beati actus secum *incompossibiles*, non exigit intellectus beati *in* sensu composito actum fidei, aliásque incompossibiles ejusmodi cognitiones: *ergo. Sed*

Replicabis. Licèt, *primò*: defectus materiæ, quam 44.
naturaliter exigit anima rationalis, *compensetur* in statu *separationis* per nobiliores operationes,

 quas

quas ibi exercet, manet tamen *violenta sinè materia*, & defectus materiæ adhuc ei est disconveniens: *ergo* etiam, licèt humanitati *compensetur* per subsistentiam divinam, *adeóque nobiliorem*, defectus subsistentiæ *propriæ*, quam *naturaliter* exigit, manebit adhuc violenta sinè illa; & defectus subsistentiæ propriæ ei erit disconveniens. *2dò*: Licèt *lapidi* detur motus *nobilior*, nempe *circularis* locò proprij, adhuc erit ei *disconveniens*, & violentus: *ergo* à pari, licèt humanitati Christi detur subsistentia nobilior, &c. *3tiò*: Licèt aquæ locò frigoris detur calor, qui est *nobilior qualitas*, quàm frigus, tamèn aqua est *in statu violento*, & calor est ei disconveniens: *ergo* pariter. &c.

45\. *Resp ad 1mum hujus replicæ*: *Neg Conseq. Disparitas est*: Quia anima separata per illas operationes, tanquam per compensativum supplementum materiæ, non assequitur *finem suum*, scilicet *constituere hominem*: quem assequitur anima *materiæ unita*, sicut assequitur humanitas *rationem subsistentis per subsistentiam Verbi*. Unde *ad 2dum Neg. etiam Consequ. 1mò*: Quia non est compensatio in eadem *ratione*, sicut ibi in subsistentia, subsistentia enim divina facit *subsistere* humanitatem, motus autem circularis *non facit descendere* lapidem. *2dò*: Motus *circularis* est quidem nobilior, & melior *in se*, *& respectu* aliorum motuum, non tamen respectu lapidis: subsistentia autem divina etiam est *melior naturæ humanæ*, quàm subsistentia propria. Hinc *ad 3tium hujus replicæ Neg.* etiam *Consequ.* Licèt enim calor secundùm se sit melior frigore, aquæ *tamen est malus*, quia illam *corrumpit*: unio autem hypostatica *non corrumpit* humanitatem.

46\. *Ad 2dùm num. 40. positum Dist. Maj.* Debebatur ùt pœna,

pœna, cui Deus propter altissimos fines *altissimi Domini* sui cedere non possit *Neg.* cui tamen cedere possit, *Transeat Maj. Dist. etiam Min.* si non affligatur à potente, & *debente* illam infligere *Conc.* si non infligatur à potente, *sed non debente* illam, & habente Jus *aggratiandi*, ut habent supremi Principes, non verò inferiores judices *Neg. Min. & Consequ. Confirm. Dist. Maj.* Inconveniens est: si supremus Dominus ob altissimos suos fines *non possit* habere modum obtinendi condignam satisfactionem, *aut nolit* specialem gratiam facere peccatori remittendo illius peccatum, vel vires conferendo, quibus possit accedere ad remissionem *Conc.* si *habeat modum obtinendi*, obtineat, & acceptet condignam satisfactionem, vel ejusmodi *specialem* gratiam facere *velit Neg. Maj. & Dist. Min. Neg. Conseq.* Quia licèt Deus (inquit *P. Gormaz Disput.2. Sect.2. num.77.*) pro innocentibus, & nocentibus sit Incarnatus, nulli tamen prœmium conferet, nisi habita jam condigna satisfactione Christi, & juxta *modum*, quô quisque adultorum, beneficiô Christi *usus fuerit*, in quo nulla relucet *iniquitas*, sed maxima DEI *misericordia*, neque tollitur justæ *dilectioni spes*, *neque timor iniquitati.*

Ad 3tium num.41. positum Dist. Ant. Fuit pluribus in scandalum, & ruinam *per se*; & ratione sui *Neg. Per accidens*, & ex pravitate, & malitia abutentium beneficiô Incarnationis *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* 47.

Ad 4tum num.42. positum Dist. Min. Miracula *turbant meliorando* ordinem universi *Conc. deteriorando Neg. Min. sola* autem *turbatio deteriorans* ordinem est violenta, & inconveniens universo. Melioratur autem ordo universi per miracula, præsertim illa, per quæ Christus manifestavit *latentem divinitatem*, 48.

tem, & non deterioratur: *ergo*. *Ratio* autem, *quare* ordo universi per miracula *melioretur*? est ista: Quia iste ordo Universi *principaliter* consistit *in subordinatione* creaturarum ad creatorem *tanquam ad primum Principium*, *atqui* creaturæ per miracula *optimè subordinantur* Deo, quia tunc *maximè obediunt* Deo, quando per potentiam obedientialem, & virtutem elevatam concurrunt ad effectus portentosos: *ergo*, &c.

THESIS III.

DEUS (1mò) nulla necessitate absoluta, & antecedente, etiam morali, fuit necessitatus ad Incarnationem, imò neque (2dò) ex suppositione mundi conditi, neque (3tiò) ex suppositione hominis ad finem supernaturalem elevati, minùs (4tò) ex suppositione hominis lapsi, & denique (5tò) neque ex suppositione hominis reparandi, fuit absolutè necessaria Incarnatio.

1. PRima *pars*, & quidem quòd *nulla necessitate antecedente* contradistincta *à morali* fuerit necessitatus Deus ad Incarnationem. *Prob. 1mò*: ex eo, *quòd juxta Authoritatem Sacræ scripturæ Incarnatio sit opus gratiæ, clementiæ, &c.* Unde sic: *Joan. 3. ℣. 16. Pauli ad Rom. 5. ℣. 9. ad Ephes. 2. ℣. 4. & aliàs pluribi; dicitur Incarnatio summum beneficium, opus clementiæ, misericordiæ, & Charitatis, atqui beneficium, misericordia*, clementia, & Charitas *excludunt in benefactore*, & amante omnem *necessitatem antecedentem* contradistinctam *à morali*, adeó-

que

que necessitatem *tum* physicam, *tum* metaphysicam, nemo enim gratias agit v. g. igni, quòd calefaciat: *ergo.*

2. *Prob. 2dò*: ex eo: *quòd Deus ad extra agens sit agens liberum.* Unde sic: Fide certum est, Deum liberè agere, & operari omnia opera ad extra. Nam juxta *Apostolum ad Ephes.* 2. *operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, quod autem operamur ex consilio, *non ex necessitate*, sed libertate volumus, inquit *S. Thomas* 1ma *Parte Quæstit.*19. *art.* 3. *Atqui* Incarnatio est opus ad extra: *ergo* fuit liberè facta à Deo, adeóque sinè necessitate *tum* physica, *tum* metaphysica, *antecedenter* Deum necessitante. *Confirm.* Deus ità est agens *perfectè liberum*, ut perfectius esse non possit, *atqui* non esset tam perfectè liberum *cum physica*, vel *metaphysica* necessitate ad Incarnationem: *ergo*, &c.

3. *Prob. 3tiò*: ex eo: *Quòd Deus nullius rei creatæ sit indigus. Unde sic*: Deus *ut sit*, neque *ut perfectè* beatus sit, indiget ulla re creatâ, juxta *Psalm.* 15. *ubi Propheta Regius, & quidem ex Persona Christi, ùt vult Augustinus*, dicit: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Et ratio est*: Quia Deus est omne *purum* bonum *adæquatè sibi sufficiens*, nullumque patiens defectum, quod autem nullâ re indiget, *nullius rei volendæ necessitatem antecedentem* subire potest: *ergo* nec Deus in se perfectissimus ullam necessitatem antecedentem respectu Incarnationis subire potest. Hinc illa Augustini argumentatio: *Quæst.* 22. *ex* 83. *Ubi nulla indigentia, nulla necessitas, ubi nullus defectus, nulla indigentia, nullus autem defectus in Deo*: *ergo nulla necessitas*: adeóque nec physica, nec metaphysica. Ubi S. Augustinus sinè dubio loquitur de necessitate *antecedente*, quia hæc *sola* fundatur

datur *in indigentia* ſe tenente *ex parte operantis*, & volentis; neceſſitas enim *conſequens* fundatur tantùm *in indigentia* ſe tenente ex parte *rei volitæ*. *Confirm.* Sicuti de eſſentia *ſummi boni eſt*, ut ſe *ſummè* communicet, ità de eſſentia ejusdem eſt, ut *habita communicatione ſummâ*, & perfectiſſimâ *eminenter continente* in ſe omnes alias communicationes, pōſſit in ea quieſcere, & non neceſſitetur ad aliam communicationem reſpectivè imperfectam; *Atqui* DEUS ab æterno ſe communicat *ad intrà* Filio, & Spiritui Sancto communicatione perfectiſſimâ, ac ſummâ, *continente* in ſe *eminenter* omnes alias communicationes: *ergo* poteſt in ea Deus quieſcere, & nolle ſe communicare ulteriùs ad extra, communicatione aliqua reſpectivè imperfectâ, utì eſt Incarnatio.

4. *Prob. 4tò*: ex eo: *Quod Deus Incarnationem nec neceſſariò velit ùt medium, nec ùt finem.* Unde ſic; *ſi Deus antecedenter* neceſſitaretur ad Incarnationem volendam, & ponendam, deberet illam velle, *vel ùt medium*, vel *ùt finem*: neutrô modô poteſt illam *neceſſariò* velle: *ergo*. *Maj. eſt certa*, cùm enim tota ratio volendi, & objectum voluntatis adæquatum ſit bonum, bonum autem ſit, vel ipſe *finis*, *vel medium ad finem*, non poteſt voluntas aliquid velle, niſì vel *ùt finem*, vel *ùt medium ad finem*. *Prob. Min.* *Nam 1mò*: non poteſt dici, quòd voluntas divina neceſſariò poſſit velle Incarnationem *ùt finem*: quia finis, & objectum adæquatum ſpecificativum voluntatis divinæ, eſt bonitas divina: *ergo* voluntas divina non poteſt *aliquid creatum*, ùt eſt Incarnatio, *velle ùt ſuum* finem. *Deinde*: nec poteſt dici, *2dò*; quòd Incarnationem neceſſariò debeat velle, *ùt medium*. Quia omnis *determinatio* ad media provenit *ex neceſſitate* ipſorum ad finem vel *ſimpliciter*, vel *perfectiùs*,

ctiùs, commodiúsve obtinendum; in exemplo: volens sanitatem: eò ipsò *determinatur*, & necessitatur *ad volendam medicinam*, quam cognoscit *unicè*, & *simpliciter* necessariam ad sanitatem, non autem sic *necessitatur* ad aliquod medium, *non ità necessarium*, existimatum tamen *commodius*, v. g. ad mutationem auræ, &c. *Atqui* finis *adæquatus* divinæ voluntatis, nempe *bonitas essentiæ* divinæ, potest haberi, & habetur à Deo, & quidem per essentiam, *sinè ullo ente creato*, est enim Deus se solo, perfectè, & essentialiter Beatus, & ipse suamet beatitudo: *ergo* nullum ens creatum debet Deus *necessariò velle*, ùt *medium* ad finem; quod enim per *essentiam est tale*, non *indiget* aliquô *distinctô* mediô, per quod fiat tale, adeóque nec necessariò amat medium tale.

Prob. 5tò: ex eo: *quòd non possit assignari principium antecedenter physicè, vel metaphysicè necessitans Deum ad volendam Incarnationem. Nam*: Deus nequit necessitari *à se ipso*, cùm in se habeat tantam felicitatem, quantam habere posset cum consortio omnium creaturarum. *Deinde*, etiam *nequit* necessitari *à termino*: quia aliàs necessitaretur ad Incarnationem, *Patris*, & *Spiritûs Sancti*, cùm non sit terminus minus nobilis, quàm Incarnatio Filij: *ergo*. 5

Quòd autem Deus nec *morali* necessitate antecedente necessitatus sit *ad volendam* Incarnationem. 6 *Probatur* 1mò: ex eo: *Quòd omnia creata potestati DEI æqualiter subjaceant. Juxta S. Augustinum Lib.* 13. *De TRINITATE Cap.* 10. Potestati Dei cuncta *æqualiter* subjacent; *atqui* non ità subjacerent, si respectu quorundam haberet necessitatem moralem: *ergo*. *Prob. Min.* Quia nemo dicet: æqualiter subjacere meæ voluntati vitare venialia *omnia*, & vitare *unicum*, idque ideo præcisè, quia unicum pos-

ſum *vitare moraliter*, non autem omnia; *ergo* etiam, &c.

7. *Prob. 2dò*: ex eo: *quòd Deus ſinè omni difficultate potuiſſet non voluiſſe Incarnationem.* Neceſſitas moralis conſiſtit in hoc, ut potentia libera ità inclinetur *ad unam partem, ut nequeat ſinè difficultate ſe determinare ad oppoſitum*; *atqui* Deus ità inclinatur ad Incarnationem, *ut ſinè difficultate poſſit* non ponere Incarnationem, ſicut *ſinè* omni difficultate *potuit non aſſumere* naturam Angelicam *aut* potuiſſet non creaſſe univerſum; *aut denique* ſicut ego poſſum abſtinere ab objecto, quod apprehendo mihi eſſe utile. *Tum* quia exiſtentia Incarnationis *non complet ſubſtantialiter* Beatitudinem DEI, neque *carentia ejus* eidem ſubſtantialiter *officit*. *Tum* quia imperfectio eſt, *infinitam potentiam* poſſe *difficultatem* pati ab objecto *finito*. *Tum*, quia carentia libertatis moralis, ad utrumlibet, utpote *carentia facillimæ potentiæ*, etiam eſt *imperfectio*, ſicut carentia *potentiæ ſimpliciter*. *Tum denique*, quia aliàs poſſet concipi aliqua libertas *perfectior divina*, ſcilicet illa, quæ omnem neceſſitatis modum effugeret: *ergo* Deus non neceſſitatur moraliter *antecedenter* ad Incarnationem; vel maximè, cùm ſaltèm *vi præſentis decreti formaliter* Chriſtus venturus non fuiſſet, ſi *Adam* non peccâſſet.

8. *Prob. 3tiò.* ex eo: *quia hujus neceſſitatis moralis nulla poteſt dari ratio*: quod *Prob.* *evertendo fudamentum Adverſariorum.* Vel enim *1mò*: ideo in Deo eſſet hæc *neceſſitas moralis*, quia *melius* eſt Incarnari, quam non incarnari. Vel *2dò*: ideo quia de ratione Dei ſummè ſe *amantis eſt*, procurare ſibi *bonum ſummum extrinſecum*, quod eſt Incarnatio: *ſed* neutra ratio ſubſiſtit: *ergo*. *Prob. Min.* 1mò *quoad 1mam partem.* *Quia* ſequeretur:

tur: Deum necessitari similiter ad unionem hypostaticam *in omnibus* hominibus. *Item* ad salutem omnium, &c. *sed* hoc est falsum, *ergo* &c. *Confirm. Ex P. Gormaz num.* 144. Non est de ratione DEI *amantis justos*, procurare illis bona quanquam intrinseca *cum morali necessitate*, seu diminutione suæ divinæ libertatis, & *perfectionis intrinsecæ: ergo minùs* erit de ratione DEI *amantis se*, procurare sibi bona *extrinseca* cum morali necessitate, & dimi-nutione omnimodæ *libertatis suæ*, *sibi intrinsecæ*. *Prob. Min. etiam quoad 2dam partem.* De ratione amantis non est, procurare bona amato, quæ *plus auferrent*, quam afferrent Deo felicitatis, sed bona creata (adeóque etiam Incarnatio) cum necessitate morali *plus auferrent*, quàm afferrent Deo felicitatis: *ergo*. *Prob. Min.* Bona creata non sunt bona *intrinseca*, sed *extrinseca respectu* DEI: *atqui* cum hac *necessitate* morali auferrent Deo aliquam perfectionem intrinsecam: *ergo*. *Prob. Min. Tum*, quia auferretur *libertas moralis* Deo *intrinseca*. *Tum*, quia hæc necessitas moralis *inferret necessitatem physicam*, imò metaphysicam in Deo ad Incarnationem. *Prob.* Necessitas *metaphysica* ad aliquem terminum est; *quæ nec de potentia absoluta DEI impediri potest*; *sed* talis est hæc *stricta moralis* necessitas: *ergo* est necessitas metaphysica. *Prob. Min.* Nullâ potentiâ DEI absolutâ fieri potest, ut Deus non sit Deus; *atqui* juxta adversarios, si Deus Incarnationem non produceret, non esset Deus: *ergo* nullâ potentiâ Dei absolutâ impediri posset Incarnatio, adeóque esset Deo etiam metaphysicè necessaria. *Præterea* Deus necessitatur *simpliciter* ad evitandam omnem indecentiam; *sed difficillima* omissio Incarnationis, *in DEO moraliter necessitato* ad Incarnationem, poneret *in-*

decentiam, difficultatem scilicet maximam omittendi Incarnationem: *ergo* Deus necessitaretur *simpliciter*, & absolutè *ad evitandam hanc difficultatem* omittendi Incarnationem, adeóque *necessitaretur absolutè*, & simpliciter ad ponendam Incarnationem.

9. *Prob. Thesis quoad 2dam partem, nempe: quòd Incarnatio non fuerit necessaria ex suppositione mundi conditi.* Ex eo: *quòd illa non sit necessariò connexa & exigita à mundo condito.* Id solum est *fortè necessarium* ex suppositione mundi conditi, quod *ex natura rei* est connexum cum *naturali ordine* hujus universi, vel *permodum causæ, & effectus, vel permodum finis, & medij*, adeóque quod debetur naturali exigentiæ universi ex Justitia, nam illud, quod ità cum naturali ordine hujus universi connexum, aut ei debitum non est, pertinet ad *liberalitatem, & voluntatem purè gratiosam*, adeoque nec debetur ex justitia, etiam facta *suppositione existentiæ talis rei, ùt bene observat Esparzæ hìc Quæst. 5. in Responsione ad Quæstionem. Atqui* Incarnatio non debetur naturali exigentiæ, & ordini hujus universi, est enim donum *supernaturale in substantia*, adeóque *supra omne debitum*, & exigentiam *totius naturæ creatæ*, non minùs, imò magis quàm gratia: *ergo* Incarnatio non est ex hac suppositione necessaria, sicut ex hac suppositione gratia necessaria non est. *Dixi in Maj. Fortè.* Quia aliqui sentiunt, quòd quàmvis mundus conditus *exigeret naturaliter* Incarnationem, adhuc possit Deus eam: *non concedere*, sicut *privat* aliquas formas *inhærentijs*, quas ex *natura sua exigunt*, ùt patet in Evcharistia, anima separata, atque in Empyreo, ubi privat substantias plurimas motibus, idque, quia Dominus est cujuscunque naturalis propensionis.

10. *Prob. Thesis quoad 3tiam partem, nempe: quòd Incarnatio*

natio non fuerit necessaria simpliciter ex suppositione hominis ad finem supernaturalem elevati. Ex eo: *quòd Incarnatio nullam habeat essentialem, & absolutè necessariam connexionem, neque ùt causa effectiva, seu physica, seu moralis, neque ùt causa finalis, neque aliô modô cum elevatione hominis ad finem supernaturalem.* Nam elevari hominem, hóc locô significat hominem *ordinari* ad possidendum Deum *immediatè*, & intuitiva DEI visione, & fruitione; *Atqui* poterat homo sic ordinari ad possidendum immediatè DEUM independenter ab Incarnatione: *ergo. Prob. Min.* Licèt enim gratia, & reliqua dona supernaturalia ad finem supernaturalis beatitudinis elevantia, habeant *conditionatam* connexionem cum Incarnatione, ex suppositione consequenti, & quidem *1mò*: quòd Incarnatio *detur*, & Christus existat. *2dò*: quòd existens *liberè eliciat* actus meritorios. *3tiò*: quòd existens, & liberè merens *velit merita* sua prœmiari hac elevatione hominis ad finem supernaturalis beatitudinis: Non sequitur tamen, quòd habeat *essentialem, aut absolutam* connexionem cum Christo, & ejus meritis. *Ratio est*: Quia Deus est perfectus Dominus gratiæ, & gloriæ, juxta illud *psalm. gratiam, & gloriam dabit Dominus*: adeóque & hujus elevationis supernaturalis, quæ fit per gratiam, & finis illius obtinetur per visionem, & fruitionem beatificam: *ergo* Deus ùt absolutus Dominus gratiæ elevantis ad gloriam, & liberrimè operans ad extra, sicut poterat *absolutè nolle* conferre ullum donum supernaturale, sic potuit *absolutè illud conferre* absque *omni causa* meritoria, cùm non importet *essentialiter* rationem *præmij*, sed *beneficij absolutè indebiti*, item absque omni causa *instrumentali*, cùm Deus sit virtutis infinitæ in agendo, *nullô* indigens

instrumentô. *Confirmatur. Elevatio* illa per gratiam, est donum distinctum à dono unionis hypostaticæ, ad naturam humanam, & donô unionis hypostaticæ, *multò inferius*; cùm unio hypostatica *duplici gaudeat supernaturalitate*; Unâ, quâ excedit exigentiam *totius* naturæ, sicut eam excedit gratia: *alterâ*, quâ est *supra exigentiam* gratiæ *adoptionis*, quæ est tantùm *participativè*, non verò *substantialiter* natura divina: *ergo* poterat donum elevationis per gratiam, sinè dono unionis hypostaticæ, conferri. *Prob. & Ant. & Conseq.* 1*mò*: instantiâ naturæ Angelicæ elevatæ quidem ad beatitudinem, *non tamen* ad hypostaticam unionem assumptæ: *ergo*. 2*dò*: instantiâ naturæ humanæ *hypostaticè unitæ*: Deus se communicavit humanitati defactò per unionem hypostaticam *sinè prævio merito* saltèm *de condigno*: *ergo* status gratiæ non est necessariò necessitate absoluta, & ex natura rei connexus cum Incarnatione: *ergo*.

II. *Prob. Thesis quoad 4tam partem*: nempe, *quòd ex suppositione hominis lapsi non fuerit absolutè necessaria Incarnatio. Prob. autem* ex eo: *quòd ex hac suppositione humanitati non fuerit debita Incarnatio.* Per peccatum natura humana redditur potius *minùs proportionata*, & magìs indigna donô Incarnationis, quàm esset *ex se præcisè*, vilescit enim, & fit deterioris longè conditionis per peccatum, quia *suppositio peccati*, nihil aliud superaddit homini, quàm novam *indignitatem ad omne supernaturale*: *ergo* ex suppositione peccati multò minùs fuit debita eidem Incarnatio: *ergo* cùm suppositio nullum inducens debitum alicujus rei conferendæ, relinquat conferentis libertatem in eodem statu, in quo erat ante, *consequitur*: Deum cum plena, & *perfecta indifferentia* decrevisse Incarnationem *Verbi*, nihil obstante

suppo-

ſuppoſitione peccati commiſſi perfectiſſimæ libertati ſuæ, ità *Eſparſa hìc Quæſt. 7. in Reſponſione.* *Confirm.* Sicut Deus ſinè in decentia *permiſit* homines, plerósque Angelos peccare, & Angelos peccantes in peccato *reliquit*, ità poteſt homines *in peccato, & ſinè remedio*, adeóque ſinè Incarnatione relinquere. *Rationes enim*, quæ ſolent adduci, cur homines, & non Angelos redemerit, ſunt meræ congruentiæ, licèt enim *copioſa hominum apud Deum ſit Redemptio*, eſt tamen etiam ipſe *ſibi copioſa*, id eſt: *infinita*, & ſibi ipſi ſufficientiſſima, imò ipſe *ſua infinita* Beatitudo, adeò ut ſeipſo æquè fuiſſet Beatus *ſinè*, ac cum Incarnatione: *ergo* ex ſuppoſitione peccati non eſt, &c.

Prob. denique Theſis quoad ȝtam partem, ſcilicet, 12. quòd Incarnatio non fuerit neceſſaria *ex ſuppoſitione* hominis *reparandi*, ex eo: *quòd alijs modis, quàm per Incarnationem potuerit homo reparari.* Nam Deus eſt potentiæ, & virtutis infinitæ, adeóque per ſuam infinitam virtutem poterat naturam humanam *multis alijs* modis reparare; ùt loquitur *S. Thomas hìc Quæſt. 1. art. 2. in* ☉. Poterat etenim tanquam ſupremus univerſorum Dominus *abſolutè condonare* peccatum *liberaliter*, & ſinè omnibus meritis *Chriſti*, ei infundere gratiam, nullam, aut aliquam tantùm imperfectam ſatisfactionem exigere: *ergo* nulla fuit *abſoluta neceſſitas* Incarnationis ex fine *hominis reparandi*: licèt enim Chriſtus ſit nobiliſſimum principium donorum ſupernaturalium, non eſt tamen nobilius, quàm Deus ſe *ſolo*, unde ſi dona ſupernaturalia, & media reparationis noſtræ, quia nobilia ſunt, poſſunt reſpicere Chriſtum ùt principium, & caput, ex eadem ratione reſpicere poſſunt ùt principium, & caput ipſum Deum *ſolum*. Quòd autem *Chriſtus* ſit

causa *meritoria*, & Deus se *solo* mereri non possit, nihil *refert*, sed potius ostentaret maximam gratiam, & misericordiam DEI, si absque *ullis meritis* hominem *reparasset*, sicut defactò *absque ullis meritis* concessit *Christum*, qui longè maximè *excedit nobilitate* sua omnia reliqua media reparationis nostræ.

§. I.

Objectiones contra primam partem Thesis, quæ dicit, quòd Deus nulla necessitate absoluta, & antecedente fuerit necessitatus ad Incarnationem.

13. OBjicies 1mò: ex eo: *quòd Deus absolutè necessitetur ad optimum, & perfectissimum.* Deus absolutè necessitatur ad optimum; *atqui* Incarnatio inter omnia opera DEI *ad extra*, est optima: *ergo* necessitatur ad Incarnationem. *Prob. Maj.* 1mò. Juxta *Aristotelem*, natura semper facit optimum, & à fortiori Author naturæ; *atqui* id, quod aliqua causa *semper facit*, facit ex necessitate absoluta: *ergò*.

14. *Secundò.* Actus voluntatis divinæ sunt *necessariò semper* positivè optimi; *atqui* actus optimus non datur, nisi detur *objectum optimum*, cùm actus specificentur ab objectis: *ergo* actus voluntatis divinæ *semper*, & *necessariò* habent objectum optimum; *sed* Incarnatio inter omnia objecta creata, est objectum optimum: *ergo* necessariò habere debuit Incarnationem.

15. *Tertiò.* Homo ageret imperfectè, si non eligeret ex duobus moraliter bonis, id quod melius est; *ergo* & Deus, quia etiam *difformiter* ageret ad suum judicium, quô judicat; ex duobus *inæqualibus* bonis, *melius* esse eligendum; *atqui* Incarnatio est optima,

&

& melior, quàm *carentia* Incarnationis: *ergo* Deus, nè imperfectè agat, *necessariò elegit* Incarnationem, & per consequens optimum. *Confirm.* Si voluntas DEI prosequeretur moraliter objectum malum, omissô bonô, esset moraliter mala; *ergo* etiam, si eligeret objectum imperfectum omissô optimô, putà: *omissionem* Incarnationis, præ Incarnatione, erit imperfecta: *ergo.*

Quartò. DEUS est in actu secundo perfectissimus, & optimus Artifex; *sed* hujus est producere perfectissimum, & *optimum* artificium, hoc autem est Incarnatiò: *ergo.* 16.

Quintò. DEUS utpote optimus nequit esse minùs laudabilis, quàm sit: quia *nequit esse minùs* bonus, quàm sit, minor autem laudabilitas arguit minorem bonitatem; *atqui* si Deus non decrevisset Incarnationem, quæ inter *omnia creata est optimum* quid, fuisset minùs laudabilis, adeóque minùs bonus, & non ampliùs optimus; *ergo* necessariò decrevit Incarnationem: *ergo*, &c. 17.

Resp. ad 1mum Neg. Maj. Prob. 1mæ explico Maj. Natura, & Deus, cùm operatur ex *necessitate*, & secundùm principia naturalia, & necessitantia, facit semper optimum *Conc.* Nam causa necessaria facit semper *tantum*, *quantum potest*, adeóque optimum, quod potest. Dum operatur *ex liberalitate*, *& secundùm electionem*, adeóque secundùm *principia libera*, & indifferentia, facit *semper* optimum, *subdist.* modô, quô ipsis optimum est *Conc.* quô non est optimum ipsis *Neg Maj. sic Dist. Min. Conseq. & Neg. Conseq.* Quia cùm bona extrinseca non sint optima Deo, & naturæ liberæ, *si afferrent* ipsi *moralem necessitatem*: idcirco nequit Deus, & natura perfectè libera, illa facere cum morali necessitate, licèt enim 18.

natura, & Deus *prout ex necessitate* operantur, operentur tantum, *quantum possunt*, adeóque optimum, quod possunt, attamen prout operantur *ex liberalitate*, operantur tantum, *quantum volunt*, & *non ultrà*. *Eadem Maj.* quantum *ad Deum*, & *naturam Divinam* explicatur *2dò*: Deus semper facit optimum *activè*, & ex parte actûs volendi *Conc. Passivè*, & ex parte rei volitæ *Neg. Maj.* *3tiò*, sic facit optimum *absolutè*, ità ut nihil melius facere potuerit *Neg. optimum respectivè*, seu relatè ad finem à se intentum, & sic *ex suppositione talis finis*, ad quem est medium unicè necessarium *Conc.* *4tò*: Facit semper optimum *negativè*, id est: minùs difforme rectæ rationi *Conc. Positivè optimum*, id est: in se tale, quô melius dari non possit *Neg. Maj.* *5tò*: denique sic explicatur: semper facit, id est, producit *optimum*, comparativè *ad contradictorium* rei productæ, quod nihil est *Conc. optimum absolutè*, & in se tale *Neg. Maj.* & *Conseq.* Cæterùm argumentum hoc nimium probat, probat enim *1mò*: Deum non tantùm ad Incarnationem *Verbi*, sed etiam Patris, & Spiritûs Sancti necessitari. *2dò*: Deum necessitari ad assumendum omnes homines, omnes Angelos, & *omnes*, si hoc aliunde non supponatur repugnare, *creaturas*. *3tiò*: necessitari Deum ad producendos *infinitos* mundos, & omnia simpliciter possibilia, eô scilicet modô, quô sunt possibilia. *4tò*: Necessitari Deum ad communicandum se per visionem beatificam omnibus intellectibus creatis, hæc enim omnia, & multa alia, meliora sunt, & perfectiora, quàm eorum contradictoria: *ergo*.

19. *Ad 2dam Prob. ejusdem Maj. Conc. Maj.* & *Dist. Min.* Nisì haberet objectum formale optimum *Conc.* nisì haberet objectum materiale optimum *Neg. Min.*

Boni-

Bonitas namque actûs dependet *adæquatè* ex bonitate motivi formalis, non verò ex bonitate objectorum materialium. Motivum autem, & objectum formale omnium actuum Divinorum eſt: *ſola bonitas divina*, & creata omnia ſunt objecta materialia, adeóque purè *terminantia*, *non verò ſpecificantia* actus divinos, quia aliàs exercerent cauſalitatem in Deum, quod repugnat enti eſſentialiter incauſato. Unde omnes actus Divini ſunt neceſſariò *ſummè* perfecti, & entitativè æquales, licèt terminativè ſint in æquales, fuiſſetque *intrinſecè* tam bona *nolitio*, quàm modò eſt *volitio* Incarnationis: idque tum *ob identitatem motivi*, tum *ob identitatem actûs* entitativè, & intrinſecè ſpectati, eſt enim unus, idemque entitativè actus voluntatis divinæ, quô nunc voluit, ac quô nolle potuiſſet Incarnationem.

Ad 3tiam partem ejusdem Maj. Reſpon. 1mò *Neg.* 20.
Ant. intellectum de imperfectione poſitiva. Poteſt enim homo, eligendo ex duobus inæqualibus bonis minus bonum, conformare ſe creatæ rationi dictanti: *Bonum minus adhuc eſſe eligibile*, ſicut juxta probabilem, poteſt Intellectus ex duobus *inæqualiter* probabilibus, ſequendo *minus* probabilem, ſe conformare recto dictamini prudentiæ de ſequela illius. *Reſp. 2dò: Neg. Conſeq. Diſparitas eſt* 1mò: Quia actus *creati* ſpecificantur ab objectis *extrinſecis*, non item actus *Divini*, licèt ad objecta extrinſeca terminentur, & extrinſecè ab ipſis denominentur: Objectum enim *formale adæquatum*, ſeu ſpecificativum divinæ voluntatis, ejusdemque actuum, eſt *Bonitas Divina*, ſicuti *Intellectûs divini eſt veritas* divina, unde voluntas divina propter *hoc objectum formale* operans, ſemper operatur actum *æqualiter bonum*, ſicut Intellectus divinus ratione ſui *objecti formalis*, ſemper operatur

actum *æqualiter verum*, licèt terminetur ad objectum imperfectius. E contra evenit *in homine*, qui regulam, & *rationem motivam* non habet *sibi identificatam*, sed desumit illam *ab extrinseco*, scilicet ab ipsis objectis, quæ inter se inæqualia sunt quoad *bonitatem*, ac propterea reddunt etiam actus voluntatis humanæ non tantùm *terminativè*, sed etiam *formaliter inæquales*. *2dò*: *Disparitas est*: ex eo; quia creatura eligens melius, *magis se conjungit* per talem electionem ultimo fini; Deus autem, quidquid ex duobus inæqualibus eligat, manet semper *æqualiter conjunctus* ultimo fini: *ergo*. Ad id, quod in *Conseq.* de difformitate judicij additur, dico: DEUM non habere judicium, quô judicet ex duobus bonis creatis melius *esse eligendum*, sed bene: melius *esse eligibile*, cui judicio, dum eligit minus bonum, agit difformiter, quantum est ex parte *rei volitæ*, non verò ex parte *motivi* volendi, *unde patet ad subsumptum*. *Ad Confirm. Conc. Ant. Neg. Conseq. Disparitas est*: quia malum non potest amari secundùm rectam rationem, quæ dictat non esse peccandum. *Imperfectum* autem *negativè* tale, seu respectivè *minus bonum*, potest sic amari, quando amore illius amans conjungitur *æquè bene*, ac amore boni majoris ultimo fini, & primæ regulæ, seu beatitudini infinitæ: *ergo*.

21. *Ad 4tam Prob. Maj. Dist. Maj.* Deus est in actu secundo perfectissimus artifex *ex parte artis*, ideæ, & actûs *interni*, & entitativè, & in se perfectissimus *Conc.* est semper in actu secundo *terminativè*, & objectivè perfectissimus artifex, seu semper in actu secundo operans *Neg. Maj. Dist. etiam Min.* sed perfectissimi artificis est producere perfectissimum artificium *absolutè*, & positivè perfectissimum *Neg. negati-*

gativè, aut relatè ad finem, & *regulas* artis perfectissimum *subdist.* est ipsius producere semper in actu secundo *Neg.* in actu primo *Conc.* *Min.* & *Neg. Conseq.* absolutè, & simpliciter *perfectissimum*, est chymæra, & non artificium, neque Deus esset perfectissimus artifex, nisì *posset* producere *perfectiora sinè fine* arte facta, idque cum plenitudine libertatis suæ, quâ operatur, quidquid operatur ad extra.

Ad 5tam denique Prob. Dist.Min. cum Esparza quæst. 22.
4. ad 3. Fuisset minus laudabilis laude *magnifaciente* *Neg.gratificante,Conc.Min.& Neg.Conseq.* Itáque Deus *non esset æquè* laudabilis à nobis laude gratificante, si noluisset Incarnari, quia non contulisset tam magnum beneficium, ideoque non fuisset *tanta gratitudinis* materia. Laude verò *magnifaciente* fuisset *æque* laudabilis, quantum *est ex se*, quia habuisset totam eandem bonitatem, licèt non *quantum ad nos*, idque non ob defectum bonitatis Divinæ in Deo, sed *ob defectum cognitionis in nobis*, quam *non* tam uberem de bonitate DEI *habuissemus*, ac habemus *modò ex percepto* tantæ Dominicæ Incarnationis beneficio. *Clariùs fortè sic Dist. potest eadem Min.* Fuisset minùs laudabilis *extrinsecè*, & titulô gratitudinis *Conc. intrinsecè*, & titulô excellentiæ *Neg. Min. & Conseq.* Nam minor laudabilitas *extrinseca* fundata in titulo gratitudinis, arguit tantùm *minorem bonitatem* doni *nobis* collati, atque minorem *materiam* gratitudinis, *non* verò *minorem bonitatem*, & excellentiam in ipso Deo.

Objicies 2dò: Ex eo: *quòd inclinatio propria Deo* 23.
inferat necessitatem saltèm moralem ad objectum volitum. Deus habet necessariò *infinitam inclinationem* ad ponendam Incarnationem, & maximè ad manifestandum *sua attributa* per illam; Incarnatio namque est

est conveniens, adeoque conformis infinitæ inclinationi illius, *atqui* infinita inclinatio ad unum, est saltèm moralis necessitas ad illud; *ergo* fuit Deus saltèm necessitate morali *absoluta*, & antecedente necessitatus ad Incarnationem. *Prob.Min.* Illud saltèm moraliter necessitat *ad unum*, quòd *excludit* inclinationem *ad oppositum*; *atqui* infinita inclinatio *ad unum excludit* inclinationem ad oppositum; *ergo. Prob. Min.* Inclinatio *intensa ad unum* in nobis, excludit *pro rata inclinationem*, & facilitatem ad oppositum; *ergo* etiam inclinatio infinita ad unum excludit omnem inclinationem liberam ad oppositum incompossibile. *Prob. Conseq.* Quantò *major* est *inclinatio*, tantò *minor* est libertas; *ergo* ubi est *infinita inclinatio* ad unum, *nulla erit libera* inclinatio in oppositum. *Resp. Dist. Maj.* Deus habet necessariò infinitam inclinationèm *in actu primo* ad ponendam Incarnationem *Conc.* in actu secundo *sub Dist.* Ex suppositione *consequenti suæ liberæ determinationis*, quâ mavult Incarnationem, quàm carentiam ejus *Conc.* Ex suppositione *antecedente Neg. Maj.* licèt enim ex suppositione hac consequenti, quòd Deus præelegerit Incarnationem, præ *illius carentia*, excludatur *inclinatio actualis* ad illius carentiam, ex suppositione tamen *antecedente* intelligitur Deus *in perfecto æquilibrio* suæ indifferentiæ, neque magìs esse inclinatus ad positionem, quam ad omissionem Incarnationis, quia *neque indiget* Incarnatione ut beatus sit, neque *omissio ejus facit, nè* beatus sit, sibi ipsi sufficientissimus Deus. *Min. etiam Dist.* infinita inclinatio ad *unùm tantùm*, moraliter necessitat *Conc.* infinita inclinatio ad *utrumque* oppositum substans *uni*, *eidemque motivo* bonitatis, & libertatis Divinæ *Neg. Min. & Conseq.* Eadem namque,

que, & tanta entitativè, & ex parte objecti formalis est inclinatio DEI in Incarnationem; & carentiam ejus: quia si vellet *carentiam ex eodem motivo suæ bonitatis*, & libertatis, illam vellet quô vult Incarnationem, quia *eadem est ratio volendi, & nolendi objecta creata in Deo*, licèt ejusmodi inclinationes, ex parte objecti *materialis*, adeoque terminativè differant. *Ad Prob. Min. Neg. vel sic Dist: Min.* Inclinatio *infinita ad unum* (scilicet *creatum*, & entitativè finitum) *excludit* inclinationem *ad oppositum* incompossibile, ex *suppositione consequenti Conc. antecedenti Neg. Min. Hujus Prob. Neg. Conseq. Disparitas est: Tum, quia* inclinatio quæcunque creata, finita & limitata est, *atque* ab altera *in oppositum* tendente *distincta.* Tum, quia *motivum* unius inclinationis in oppositum, *etiam est oppositum*, & distinctum *à motivo* inclinationis *oppositæ*; unde non est mirum, quòd in *sensu composito* inclinationis intensæ ad oppositum, altera *in creatis pro rata* refringatur, & excludatur. At verò *tum* inclinatio quæcunque infinita DEI, *tum etiam ratio motiva* cujuscunque inclinationis Divinæ est *entitativè infinita*, *& una eadémque*, adeoque ex *suppositione antecedente*, non potest ullatenùs à *terminativè* duntaxat *altera* inclinatione infinita refringi. *Ultimæ Prob. D. Ant. cum Mendosa Disput.* 2. *Sect. 11. num. 95.* Quantò major est inclinatio *minuens cognitionem de sua æquali* independentia ab objecto *hoc*, ac *ab opposito*, minuit libertatem *Conc.* Nam ejusmodi inclinatio quandoque *ob vehementiam* suam ità rapit subjectum ad objectum, ùt vehemens ira. Et hæc inclinatio non habet locum, nisì *in creatis*, ubi libertas, & cognitio *est finita.* Quantò *major* est inclinatio *non minuens* cognitionem de *æquali independentia* subjecti ab objecto, utroque oppo-

posi-

posito, ùt est in Deo, qui *æqualiter est independens* ab omnibus creaturis. *Neg. Ant. & Conseq.* Nam licèt hæc inclinatio DEI sit entitativè infinita, tamen *terminativè finita est*, & ob perfectissimam cognitionem de *omnimoda independentia* DEI à creatis, *perfectissimè subdita est* infinitæ *libertati* Divinæ; unde sicut Deus se liberrimè communicavit per creationem in esse *naturali*, ità etiam se liberrimè communicavit per Incarnationem in esse *supernaturali*, à qua per tot sæcula liberrimè abstinuit, adeoque communicavit se *sinè omni diminutione* infinitæ *libertatis suæ* per aliquam necessitatem moralem ad unum objectum creatum, quia nullum objectum creatum minuit rectum dictamen sapientiæ Divinæ, dictans: *Deum esse tam independentem ab hac creatura, quàm ab alijs*, omnesque creaturas *esse æquales*, quantùm *attinet intrinsecum* DEI esse, ac bene esse illius. Hoc dictamen, inquit citatus Mendosa, reddit æquales moraliter omnes actus DEI liberos, quia *perfectio moralis* est, quâ *magis conjungimur* Deo, Deus autem *æquè* sibi conjungitur *odiô*, & *amore creaturarum*, adeoque etiam *æqualiter antecedenter* inclinatur in Incarnationem, ac carentiam illius: *ergo*.

24. *Dices*. Inclinatio nequit esse nisì *in bonum*; atqui *carentia* Incarnationis non est ullum bonum: *ergo* inclinatio DEI tantùm est in Incarnationem, ac subinde necessitatur moraliter ad ipsam. *Resp. Dist. Maj.* Inclinatio nequit esse nisì in bonum, ùt rationem formalem volendi *Conc.* nisì in bonum, ùt objectum *materiale*, & terminativum, *subdist*, Inclinatio per actum *prosecutionis*, amoris, & accessûs ad objectum materiale *Conc.* per actum *fugæ*, odij, & recessûs ab illo *Neg. Maj. Conc. Min. Neg. Conseq.*

25. *Urgebis*. Bonitas infinita *clarè cognita* necessitat ad

ad amorem; *sed bonitas* Incarnationis est *infinita*, & à Deo *clarè* cognita: *ergo* necessitat Deum. *Confirm.* Quod est *physicè*, & entitativè bonitas infinita, necessitat Deum physicè, imò *metaphysicè*, ad amorem: *ergo* etiam, quod *est moraliter bonitas infinita*, necessitat Deum moraliter; *sed* Incarnatio est moraliter infinita; *ergo* Deum necessitat moraliter. *Resp. Dist. Maj.* 1*mò*: Bonitas infinita *clarè* cognita *necessitat* Deum ad amorem, quando *aliunde* non potest haberi *finis*, & beatitudo *essentialis clarè cognoscentis Conc. secùs Neg. Maj. Dist. etiam Min.* & infinita, scilicet in genere moris & tamen *sinè illa potest* haberi finis adæquatus, & *tota essentialis Beatitudo* DEI eam clarè cognoscentis *Conc.* & non potest haberi *Neg. Min. & Conseq.* Ad Confirm. *Conc. Ant. & Neg. Conseq. Disparitas* est ex mox data distinctione: quia sinè bonitate *entitativè*, seu in genere *entis infinita*, *nequit* haberi Beatitudo *essentialis* DEI, bene verò sinè bonitate *moraliter*, seu in genere moris infinita; potest namque Deus *quiescere in bonitate sua prout est in se*, & prout est communicata ad intrà, & non indiget *ullâ* communicatione *ad extra*.

Replicabis 1*mò*: Deus per generationem filij *sufficienter* se communicat ad intrà, & tamen *non potest* in illa communicatione *quiescere*, sed *necessariò procedit* ad communicandum se Spiritui Sancto: *ergo* licèt Deus *sufficienter* se communicet *ad intra*, tamen adhuc *saltèm moraliter necessariò* procedet ad communicandum se ad extra per Incarnationem. *Secundò*: Licèt Deus sit 1*ma veritas*, & finis *adæquatus* sui intellectûs, tamen *necessariò intelligit omnia alia distincta*: *ergo* etiam, licèt Deus sit sua bonitas, & *finis adæquatus* suæ voluntatis, necessariò tamen amabit *omnia à se distincta*, & multò maximè Incarnationem; 26.

quia aliàs se *non perfectè amaret*, sicut se sinè creaturis *perfectè non* intelligeret. *Prob. autem hæc sequela 1mò.* Qui amat se ipsum *necessariò*, & summè, ille *vi amoris* ejus necessitatur ad *volendum* sibi *summum bonum*, etiam *extrinsecum* hìc, & nunc possibile, præsertim *non arduum* sibi, alioquin enim amori suo *summo* erga se ipsum contradiceret. *Atqui* Deus se *necessariò* & summè amat; *ergo vi amoris* istius *necessitatur ad volendam* sibi gloriam extrinsecam *maximam*, hìc, & nunc sibi possibilem, præsertim cùm hæc *non sit ardua* respectu DEI infinitè Potentis. *2dò*: *Creatura* non amaret Deum *summè*, si non amaret Deo gloriam *maximam*, hìc, & nunc possibilem; *ergo* neque *Deus* amabit *se summè* si nollet eandem *maximam* sibi gloriam extrinsecam, quæ *consistit in excellentia* Incarnationis: *ergo.*

27. *Resp. ad 1mum Dist. Ant.* Deus per generationem filij sufficienter se communicat *in uno solùm* genere, nempe per intellectum *Conc.* in *omni genere*, in quo natura Divina est perfectissimè communicabilis *Neg. Ant. & Conseq. Ratio autem est*: Quia de ratione infiniti boni est, ut *nequeat quiescere*, nisì se communicaverit *infinitè in omni genere*, in quo *secundùm naturam suam potest* se infinitè communicare; sed natura intellectualis potest se communicare non *solùm* per intellectum: sed etiam per voluntatem: *ergo* de ratione infiniti boni est, ut nequeat quiescere, nisì infinitè se communicaverit per intellectum, & voluntatem quod fit per generationem filij, & spirationem Spiritûs Sancti. *Subsumo* ulterius: *Atqui* etiam de essentia infiniti boni est, ut habita communicatione infinita *in omni genere*, in quo natura intellectualis est communicabilis, possit *in ea quiescere*, & *nolle se* communicare *ad extra*, cùm com-

communicatio ad extra *eminenter contineatur* in communicatione DEI *ad intrà : ergo.*

Resp. ad 2dum imò: Nimis multum probari, & 28.
quidem probatur *imò*, Deum debere *velle*, & *amare omnia* possibilia, sicut necessariò cognoscit omnia possibilia. Deum autem possibilia quâ talia amare non posse ostendimus *De Deo uno Thesi XIV.* 2dò: Quia probatur non *tantùm moraliter*, sed etiam *metaphysicè* Deum necessitari ad *amorem Incarnationis*, sicut necessitatur *ad cognitionem* illius, ità ut non possit non cognoscere Incarnationem. *Resp.* 2dò *Neg. Conseq. Disparitatem dat S. Thomas imò contra Gentes Cap. 87.* Quia cùm *res intellecta* per sui speciem *sit in intelligente* per hoc, quod *aliquid intelligatur*, intellectus *est perfectus*. *Atqui* intellectus Divinus necessariò *est in se* perfectus: *ergo* necessarium est, ut *omne intelligibile actu* intelligatur à Deo. *At verò* per hoc, quòd voluntas aliquid *velit*, res volita *non est in voluntate*, sed *in se*, & aliquid extrinsecum distinctum à Deo. Divina autem voluntas *non requirit necessariò alia* à se distincta, neque ùt finem, neque ùt medium ad finem: *ergo* non necessitatur ad volendam *ullam* creaturam, licèt *intellectus* Divinus necessitetur ad intelligendam *omnem creaturam.*

Ad 1mam Prob. sequelæ : Resp. Dist. Maj. Necessi- 29.
tatur ad volendum sibi summum bonum, sinè quo non potest esse beatus *Conc.* sinè quo potest esse beatus *Neg. Maj.* & *Conc. Min. Neg. Consequ.* Nam sicut de ratione DEI amantis justos, non est amare *illis summum* bonum, quanquam *intrinsecum*, cum *morali necessitate*, seu diminutione suæ libertatis, sic *nec* est de ratione DEI *amantis se*, amare sibi bonum *summum extrinsecum* Incarnationis cum diminutione

ne libertatis suæ. Cæterùm hæc probatio non tantùm probat moraliter, sed etiam physicè, & metaphysicè necessitari ad summum bonum extrinsecum amandum, nam sic necessitatur ad amandum suam bonitatem. Unde sicut in beatis ex *necessario amore DEI non oritur* necessitas amandi *creaturas*, ità nec oritur ex amore *in Deo necessario* necessitas amandi Incarnationem, ac proinde ex amore Dei erga se ipsum per se non sequitur nisì amor circa *intrinseca DEI.*

30° *Ad 2dam Prob. sequelæ Resp. 1mò: Neg. Ant.* Quia aliàs valde imperfectè amarent Deum, qui non sequerentur consilia Evangelica, & qui non nisì actus Charitatis *continuò* eliceret, &c. *2dò*: quia *majoritas* amoris non est desumenda *à majoritate objecti voliti* sed *à majoritate conformitatis voluntatis amantis cum voluntate amati*. Hinc creatura *perfectè amans* Deum, non amat Deo *bona extrinseca*, nisì ea quæ scit: *Deum sibi velle à Creatura amari*, cùm *ergo ordinariè Deus velit*, ut sibi ab homine amentur *maxima bona extrinseca*, sequitur: quòd homo debeat se conformare voluntati Divinæ, *ùt regulæ*, & quantò perfectiùs se conformat huic regulæ, tantò perfectiùs amat Deum. Porro cùm amor, quo Deus se ipsum amat, sit *per identitatem conformis Divinæ voluntati* cùm *sit ipsa regula* perfectissimi amoris, idcirco Deus seipsum amando amat *perfectissimè*, estque perfectissimè beatus, sive velit, sive nolit sua bona extrinseca. *Hinc etiam est Disparitas*, *cùr* creatura intuitivè videns Deum *amet illa bona extrinseca*, quæ vult sibi absolutè, & rigorosè Deus amari à tali creatura, non verò Deus seipsum comprehensivè videns, sibi necessariò eadem bona extrinseca amet. *Disparitas inquam est*: Quia visio beata est *optimum dictamen rectæ*

rationis, *ratio* autem recta dictat *voluntatem DEI esse præferendam* omnibus objectis creatis, eámque *esse regulam* nostrarum voluntatum, quas *necessariò post se rapit* Deus clarè visus; at verò creaturæ *non sunt regula* voluntatis divinæ cujus *regula* ratione nostra est *ipsa bonitas intrinseca DEI*, cujus nihil interest, major harum, vel illarum creaturarum amor. *Ex hac* autem *independentia* Dei à creaturis consideratur *libertas* Dei in illis amandis, & ex *nostra* dependentia ab ultimo fine, & voluntate Dei, *oritur in nobis obligatio*, & *necessitas* in beatis amandi ea, quæ Deo magis placent, & quæ *absolutè* vult nos sibi amare. Quare cùm amans non amet amico bonum, nisi modô, quô cognoscit illud ei congruere, & quô videt non plus auferri, quàm afferri perfectionis, & felicitatis, Deus autem videat sibi solùm congruere bona extrinseca *sinè imminutione omnimodæ libertatis intrinsecæ*, idcirco *ad nulla bona extrinseca*, adeóque nec ad Incarnationem *moraliter necessitari* poterit se ipso perfectissimus Deus.

Objicies 3tiò: ex eo: *quòd detur moralis necessitas* 31.
antecedens ad alia in Deo. Nam *1mò*: in Deo est omnimoda infallibilitas actionum; *atqui* hæc est necessitas moralis antecedens: *ergo*. *2dò*: Deus moraliter *antecedenter* necessitatur ad hoc, *nè justum gehennâ*, & *injustum* beatitudine afficiat. *3tiò*: Si igne v. g. *debitè* applicato, non necessitaretur saltèm *moraliter* ad combustionem rei combustibilis, nemo prudenter *exspectaret* combustionem *præ non* combustione: *sed* hoc est falsum: *ergo*. *Prob. sequela Maj.* Datô casu, Deus est *liber* physicè, & metaphysicè ob rationem absoluti Dominij sui in ignem, ut illô utatur ad non comburendum, nam exigentia ignis ad comburendum, non necessitat Deum physi-

cè, aut metaphysicè ad combustionem: *ergo* si Deus in eo casu physicè, & metaphysicè liber non necessitaretur saltèm moraliter, ad combustionem, *æqualiter* possemus exspectare combustionem, vel non combustionem, cùm Deus maneret *æquè indifferens ad utrumque*; ab æquè indifferenti autem non magìs unum, quàm alterum oppositum prudenter exspectatur: *ergo*. *4tò*: Patres creati ex vi suæ naturalis inclinationis habent necessitatem *moralem* antecedentem ad benefaciendum filijs, *atqui* huic necessitati similis est necessitas DEI ad benefaciendum creaturis, juxta illud *Isai. 40.* ubi Deus dicit: *Nunquid potest oblivisci mulier infantem suum, & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*: *ergo* in Deo datur ejusmodi necessitas moralis. *Confirm. Hæc necessitas* moralis pro priori ad quodcunque decretum liberum, & præcisè fundata in natura Patris, *eò est major*, quò *minùs depravata* est natura Patris; *atqui natura DEI est minimè* depravata, *ergo* est *maximè moraliter antecedenter* necessitata ad benefaciendum creaturis per Incarnationem.

32. *Resp. ad 1mum. Neg. Min. imò*: Quia ejus falsitas patet *in infallibili prævisione* peccati finalis, v. g. Judæ, sinè omni necessitate antecedente, seu ex parte Judæ, seu ex parte DEI. *2dò*. Quia ad infallibilitatem actionum, & effectuum *sufficit* certitudo *ex quocunque* capite, *ad moralem necessitatem autem requiritur impotentia* moralis, *seu gravissima difficultas* in oppositum, quæ in Deum cadere non potest, sicut certitudo. *3tiò* denique, quia infallibilitas de futuris supponit decretum DEI, adeóque est *consequens*, & non antecedens illud, adeóque etiam fundata in tali infallibilitate necessitas erit tantùm *consequens*, & non *antecedens*, de *qua hic* quæritur.

Ad

Ad 2dum Resp. Neg. Ant. 1mò. *quoad* 1*mam.* Quia Deus id potest ùt *absolutus* Dominus, licèt tunc gehenna *defectu culpæ* non haberet rationem *pœnæ*, sed *instrumenti omnipotentis Domini.* Deinde *Neg. Conseq. ex hac prima parte antecedentis illatam. Vel enim implicat* ut Deus afficiat gehennâ innocentem, *vel non*? si implicat? *ergo* Deus non tantùm habet necessitatem *antecedentem moralem*, sed etiam *metaphysicam*, ad hoc, nè ipsum ità afficiat. Si *non implicat*, dico: Deum nullam habere necessitatem moralem antecedentem ad omissionem similis æternæ afflictionis, idque *ob rationes nostræ Thesis. Neg. etiam* 2*dam partem Ant.* Quia Deus *non moraliter, sed metaphysicè necessitatur* nè injustum beatificet *propter repugnantiam gratiæ*, quæ est *semen gloriæ* cum peccato.

Ad 3*tium Dist. Maj. Non prudenter* exspectàret 33
combustionem *ex præcisa applicatione* ignis *Conc.* ex *natura ignis* applicati *simul* cum Decreto DEI *nobis satis cognito Neg. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Consequ. ad prob. Neg. etiam Consequ.* Licèt enim exigentia ignis præcisè, & sinè Decreto Dei accepta *nullam arguat* necessitatem in Deo *sed æqualem* ad utrumque oppositorum indifferentiam in ipso relinquat, attamen *exigentia ignis cum Decreto* Dei accepta *arguit* in Deo necessitatem *consequentem* ad combustionem, quâ habitâ, *ex suppositione consequenti* Deus non manet indifferens ad non combustionem, quare nec nos prudenter exspectare possumus non combustionem ab igne sic per Decretum Dei applicato. *Notum enim* nobis est *generale* Decretum Dei, quô se *accommodat exigentijs* creaturarum, præterquam in casibus *extraordinarijs* divinæ scientiæ reservatis. Qui cùm nobis *non constent* in particulari *citra novam*, & specialem revelationem divinam, *aliunde* verò

commu-

communis experientia nos de generali illo Decreto Dei edoceat, *non possumus non exspectare prudenter* combustionem *præ omissione* illius ab igne debitè applicato, idque *sinè omni* necessitate morali antecedente ex parte. Sed

34. *Dices.* Potest homo bonæ semper vitæ in articulo mortis à Deo donum *perseverantiæ finalis* petere, & simul pro eo omnes Sancti, & Virgo Deipara intercedere, quô casu quivis prudens judicabit *ipsum consecuturum* gratiam finalis perseverantiæ, licèt Deus illam *absolutè posset non concedere. Atqui* hoc judicium prudens *fundatur in absoluta morali antecedente necessitate DEI: ergo. Resp.admissô casu: Dist. Maj.* Quivis prudens judicabit *ex præcisa* ratione precum *Neg.* ex natura precum, & *simul generalis* decreti Dei *Conc. Maj. & Neg. Min.* Quia fundatur *in natura precum, & simul* decreto *generali* Dei, quô promisit omnibus *debitè petentibus* suam gratiam, & hinc quia quisque prudens in tali casu prudenter judicat ejusmodi preces *tum à petente*, tum ab *intercedentibus esse debitè fusas*, idcirco *arguit* in Deo ratione *precum, & generali* hocce decreto *metaphysicam* necessitatem tali moribundo conferendi gratiam finalem, non autem *necessitatem moralem antecedentem*, in quo *fundet* illud judicium prudens de consecutione finali perseverantiæ. Et quamvìs *absolutè* possit liberrimè tali homini *perseverantiam finalem negare* Deus, tamen ad formandum judicium prudens *sufficit* pro fundamento illud *generale* decretum Dei *accommodandi se naturæ* precum, quousque aliqua particularis exceptio pro rarissimis casibus, divinæ scientiæ reservatis, nobis non innotuit.

35. *Ad 4tum præcedentis num. Conc. Maj. Neg. Min. Rationem dat P.Gormaz hic Disput. 4. sect. 2. num. 174.*

Quia

quia ea *necessitas moralis* in creaturis, cùm consistat in aliqua *sympathia* ratione cujus aliquo modô patitur Parens, dum advertit pati filium, ùt constat in ipsis brutis; idcirco *affert illi difficultatem ad non benefaciendum* filijs: Et hujus *difficultatis*, & compassionis, ac subinde *necessitatis moralis antecedentis* capax est natura creata ejusmodi Patris *creati* ad benefaciendum filio suo. *Ratio* autem hujus *capacitatis* eruitur ex ipsa *natura creata*, hæc enim, cùm non habeat perfectionem, *nisi mixtam imperfectione*, continet etiam potestatem ad benefaciendum *mixtam cum imperfectione aliqualis* imminutionis perfectissimæ *libertatis*, quæ imminutio habetur ab ipsa difficultate, seu morali necessitate *antecedente*. *Cùm igitur* è *contra* natura divina, *nullius* compassionis, & difficultatis sit capax, & potestatem benefaciendi, & reliquas omnes perfectiones *contineat depuratas ab omni imperfectione*, adeóque *essentialiter* excludat imperfectionem *imminutionis omnimodæ* libertatis suæ, idcirco *excludit omnem necessitatem moralem* ad benefaciendum creaturis per quodcunque donum. Unde

Ad Confirm. Neg. Maj. Quia, ùt mox vidimus, ejusmodi necessitas moralis fundatur *in natura ùt mixta imperfectione*, adeóque *eò major est*, quò *magis mixta est* imperfectione talis natura, & eò minor, quò minùs est mixta, & planè *nulla*, si planè non sit mixta, sed depurata ab omni imperfectione, adeóque si *planè non sit depravatæ*, qualiter *omnimode* depurata, & nullatenùs depravata est *sola natura Dei*. *Non esset* autem natura divina ità depurata ab omni imperfectione, *stante necessitate hac morali* in Deo, quia ea stante, *staret* in Deo *carentia omnimodæ libertatis* divinæ, quæ est magna imperfectio. Sed 36.

Q Repli-

37. *Replicabis imò.* In homine ſtante *neceſſitate morali, ſtat libertas*, ſic enim *ſeclusâ ſpeciali gratia* ad longum tempus, ſtat in homine *neceſſitas moralis* peccandi venialiter, & tamen homo peccat *liberè*: *ergo* etiam *ſtat in Deo* neceſſitas moralis cum libertate DEI. 2dò: Stante *infinitate morali* ſtat in humanitate Chriſti *finitas*; *ergo* etiam ſtante *neceſſitate morali* Deo ſtabit *libertas* quia non *magis opponitur* neceſſitas libertati, quàm infinitas finitati, & limitationi. *Reſp. ad 1mum imò*: *Diſt. Ant.* ſtat libertas *phyſica Conc.* moralis *Neg. Ant.* Ad Prob. dico: talem liberè peccaturum etiam moraliter, quia licèt, ùt definit *Trident. ſſ. 6. de Juſtificatione Can.* 23. homo *non poſſit* in tota vita peccata omnia *etiam venialia* vitare, *niſi ex ſpeciali privilegio*, quia tamen poteſt vitare *ſingula*, *cum gratia DEI ordinaria*, idcirco talis habet *ſufficientem* libertatem moralem, *& nullam neceſſitatem moralem* ad peccandum aliquô peccatô *in particulari*. 2dò: *Neg. Conſeq. Diſparitas eſt*: Quia libertas hominis non eſt *eſſentialiter omnimoda*, atque ità non eſt *eſſentialiter* oppoſita *omni neceſſitati tum* phyſicæ, *tum* metaphyſicæ, *tum* morali, ſicut eſt libertas Dei, natura enim hominis, utpote *mixta imperfectione* talis eſt, *ut poſſit defectum* libertatis moralis pati, non verò natura Dei, ùt nuper diximus, quia *hôc ipſo* Deus non eſſet Deus, quia *alicujus* perfectionis *ſimpliciter ſimplicis expers*, ſcilicet *omnimodæ*, adeóque etiam moraliter expeditæ, & perfectæ libertatis ſuæ; imò ipſa neceſſitas moralis *antecedens* eſſet poteſtas, & neceſſitas *antecedens* in Deo *ſe ipſum deſtruendi*, quia eſſet neceſſitas excludendi *omnimodam*, *ſibique per identitatem intrinſecam* libertatem *independenter* ab omni *ſuppoſitione conſequenti*, ùt ſpeculanti patet. *Stat* autem

neceſ-

necessitas *moralis* cum libertate *physica* ad vitanda omnia peccata in homine, quin homo cesset esse homo, sicut stat *necessitas physica* ad comburendum in igne, & in accidentibus Eucharisticis *necessitas physica ad inhærendum cum potentia* metaphysica, & absoluta *ad non comburendum, & ad non inhærendum; quin ignis cesset* esse ignis, & accidentia cessent esse accidentia, eò, quòd hæc sint talis naturæ, quæ *ob immixtam sibi imperfectionem* absolutè ab aliquo fine, *& exercitio* suo *suspendi* possunt. Non sic discurrendum est de natura Dei. Hinc *Resp. ad 2dum Neg. Conseq. Disparitas est*: Quia humanitas Christi non est capax, nisì infinitatis moralis, quam non excludit finitas physica, voluntas autem Dei est capax, & essentialiter includens libertatem *omnimodam*, adeóque essentialiter excludens necessitatem moralem, quæ est imminuens libertatem *omnimodam*: *ergo*.

§. 2.

Objectiones contra secundam partem Thesis, nempe: Deum non fuisse necessitatum ad Incarnationem ex suppositione mundi conditi.

OBjicies primò: ex eo: *quòd ex suppositione mundi conditi, teneatur Deus ponere omnes gradus, & ordines rerum.* Positò: quòd Deus creet mundum, *tenetur naturali* necessitate in eo ponere *omnes gradus*, & ordines rerum, alioquin enim esset Author *imperfecti* operis, & cuncta, quæ fierent essent cum tanto defectu *valde bona*; *sed* Incarnatio est unus, & quidem *nobilissimus* gradus, & ordo rerum creatarum; *ergo* 1.

ex suppositione mundi conditi, tenebatur Deus naturali necessitate ponere Incarnationem. *Resp. Dist. Maj.* Tenetur naturali necessitate ponere omnes gradus, & ordines rerum, quos natura creata ùt sibi *connaturaliter* debitos exigit, *Conc.* Qui sunt *supra exigentiam totius* naturæ creatæ connaturalem *Neg. Maj. sic Dist. Min. & Neg. Conseq.* Ordo enim gratiæ (idem est de ordine gloriæ & unionis hypostaticæ) est quoad *substantiam supernaturalis*, ideóque *supra* exigentiam, & debitum totius naturæ creatæ, adeóque donum *indebitum universo*, ad quod ponendum Deus ùt *Author naturæ*, *nulla* necessitate naturali obligatur.

2. *Objicies 2dò*: ex eo: *quòd repugnet quemquam velle media, quin velit finem.* Repugnat: Deum velle media, & non velle finem, *ad quem* ista media *ordinantur*, *atqui* omnes creaturæ *ordinantur ad Christum* tanquam media ad finem: *ergo. Maj.* patet. Quia media sicut *nullam habent utilitatem*, aut bonitatem, ità *nec amabilitatem* habent ullam *nisi in ordine ad finem*, unde Aristoteles dixit: *nemo desperans de fine operatur*; *ergo. Min.* etiam constat ex illo *1mæ ad Corinth. 3. & 23. omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem DEI.* Nam id, cujusque *suum est*, quod *ad ipsum ùt ad finem* ordinatur, adeóque quod habet rationem medij ad illud, cujus *proprietati* subest. *Conseq.* autem est legitima: *ergo. Confirm.* Ratione *dependentiæ mediorum à fine*, impossibile fuit: Deum *velle* quæ *sunt infra hominem*, quin *connaturaliter vellet* ipsum hominem, & ex amore hominis, *aut*: *velle* Christum, quin etiam *essentialiter vellet* se ipsum, & ex amore sui ipsius; *ergo* etiam impossibile fuit, Deum velle quæ infra Christum & nos sunt, quin vellet Christum existere: *ergo*, &c. *Resp. cum P.*

Espar-

Esparza hic Quæst. 5. *ad imam Dist. Maj.* ad quem talia media per se *absolutè*, *unicè*, & *ab intrinseco*, seu ex natura rei, & *essentialiter* ordinantur *Conc.* ad quem tantùm *conditionatè*, & non unicè *ab intrinseco*, seu ex natura rei, sed ex *voluntate aliqua extrinseca*, adeóque *accidentaliter* ordinantur *Neg. Maj. Dist. similiter Min.* Ordinantur ad Christum *essentialiter*, & ex natura rei *Neg.* quia aliàs *comprehensô universô* ab Angelo potuisset *naturaliter cognosci* possibilitas Christi. Ordinantur *conditionatè*, & ex voluntate DEI extrinseca *Conc. Min.* & *Conseq.* Nempe sub hac conditione ordinantur omnes res *ordinis naturalis* ad Christum: *si Christus existat*, & res illas per *sua merita* petat *suæ gloriæ subordinari*, juxta illud *Psal.* 2. ℣. 8. *Postula à me*, & *dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, & *possessionem tuam terminos terræ.* Ipsa autem hæc ipsa suppositio, & conditio existentiæ Christi, est *indebita*, & respectu omnium creaturarum naturalium, *merè gratuita*, adeóque potuit Deus easdem res *ad alium finem connaturaliter* ordinare. *Hinc patet ad Confirm.* cui neganda est *Conseq. Disparitas est*: quia quæ *infra* hominem sunt, connectuntur saltèm *naturaliter* cum homine, & quæ *infra* Deum sunt, connectuntur *essentialiter cum Deo*, adeóque Deus illorum existentiâ volitâ, *connaturaliter* debuit voluisse existentiam hominis, & etiam *cujuscunque* creaturæ existentiâ volitâ, *essentialiter* debet velle existentiam suam. Nulla autem ejusmodi *naturalis*, *vel essentialis* connexio, & exigentia absoluta est inter res ordinis naturalis cum existentia Christi; *ergo*, &c. Hìc etiam observandum venit, quòd creaturæ non ordinentur tanquam *media ad existentiam* Christi, sed tanquam *media ad gloriam Christi existentis*, & talem gloriam promerentis, sicut eædem crea-

turæ cum Christo non ordinantur *tanquam media ad existentiam* Dei, sed ordinantur tanquam *media ad gloriam* extrinsecam Dei existentis.

3. *Replicabis.* Ex sola suppositione mundi conditi connaturaliter saltèm necessaria fuit existentia Angelorum, *ergo* & Christi. *Respondent* aliqui *Neg. Ant.* dicentes, quòd sicut Deus potuit creare Angelos *solos sinè mundo*, licèt comprehensivos mundi, ità etiam potuerit creare mundum *sinè Angelis*, licèt comprehensibilem ab Angelis. *Resp.* tamen melius *Neg. Conseq. Disparitas est*: ex eo; quòd existentia Angelorum sit ens *naturale*, *purè juxta exigentiam* naturalis ordinis universi, & ex natura rei cum eo connexum: existentia autem Christi est *ordinis supernaturalis*, quia donum supernaturale ordini naturali hujus universi *penitùs indebitum*, & propterea *supra* exigentiam *totius* naturalis ordinis: *ergo.*

§. 3.

Objectiones contra tertiam partem Thesis, quæ dicit, quòd Incarnatio non fuerit necessaria simpliciter ex suppositione hominis ad finem supernaturalem elevati.

1. OBjicies 1mò. *Cum Esparza hic Quæst. 6.* ex eo: *quòd gratia elevationis sit effectus perfectissimus.* Effectus perfectissimus ex natura rei *exigit* causam perfectissimam; *atqui* dona supernaturalia gratiæ, & gloriæ, quibus homo elevatur ad statum supernaturalem, sunt effectus *perfectissimi* inter *omnia dona creata* homini à Deo conferibilia: *ergo ex natura rei* exigit causam sui perfectissimam. *Subsumitur*: *Atqui*

qui hæc perfectissima causa non est alia quàm *existentia Christi*, quæ habetur per Incarnationem, estque principium omnium donorum gratiæ, & gloriæ, & quidem *summum infra* Deum: *ergo*. *Resp.Dist.Maj.* ex natura rei exigit causam perfectissimam *principalem physicè effectivam* sui, nempe Deum *Conc. ex natura rei* exigit causam perfectissimam *principalem solùm meritoriam*, *&* *physicè instrumentaliter* solùm sui effectivam, ùt est Christus *Neg. Maj. Dist. similiter Conseq. & Neg. Conseq.* Ad subsumptum *Neg. Ant. intellectum* de causa perfectissima *physicè* effectiva, quia hæc est Deus, qui potuit conferre gratiam *absolutè*, *& independenter* à causa *instrumentali physica*, *& principali meritoria*, licèt eandem *defactò* intuitu Christi, & meritorum ejus conferat.

Objicies 2dò: ex eo: *quòd dentur aliæ ex natura rei connexiones inter gratiam elevantem, & Christum. Nam 1mò*: Deus nobis omnia donavit cum Christo, *ad Rom.* 8. unde passim in sacris scripturis, *comparatur* Christus nobiscum velut vitis cum palmitibus, caput cum membris, &c. *Atqui* inter hujusmodi datur connexio *ex natura rei*, quia mutilum est corpus sinè capite, palmes est aridus sinè vite, &c. *ergo*. *2dò*: Connaturale est gratiæ ut constituat filios adoptivos Dei, adeóque hæredes Dei, cohæredes autem Christi, ùt dicitur iterum ad *Rom.* 8. *ergo* status gratiæ habet *naturalem* connexionem cum Christo, sicut habet homo cum Deo; *ergo*. *3tiò*: *Ad obtinendum finem gratiæ* elevantis requirebatur *exemplar*, & hominum ductor, quem sequamur; sed hic est Christus: *ergo* est ad ipsum connaturalis connexio tanquam ad causam exemplarem. *4tò* denique: Inter habitus, & objecta est *connaturalis* connexio; *atqui* Christus est objectum habituum supernaturalium, 2.

lium, v. g. *fidei*, per quam *creditur* Incarnatio; *spei*, per quam *speratur* adventus Christi, & *Charitatis*, per quam simus *amici completè* Christi, juxta illud *Marci* 3. *qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est*; *ergo*. *Resp. ad 1mum Dist. Maj.* Deus omnia nobis donavit cum Christo *vi præsentis* ordinationis suæ liberæ, *quâ liberè* voluit existentiam Christi *Conc. de necessitate* absoluta *Neg. Maj.* Poterat nimirum simpliciter Deus omnia bona supernaturalia nobis conferre independenter à Christo, ejusque meritis (ad eum modum, quô multi opinantur *primas* Angelorum, & Protoparentum *gratias non esse datas dependenter* à Christo) in quo casu *ipse solus Deus* fuisset caput universi elevati, ac proinde non fuisset sinè capite, &c. *Ad 2dam Dist. Ant.* Gratia Dei constituit nos filios, & hæredes Dei *absolutè*, cohæredes autem Christi *conditionatè*, & sub hypothesi, quòd Christus aliunde existat, adeóque *accidentaliter Conc.* constituit cohæredes absolutè, & *essentialiter independenter* ab hypothesi *Neg. Ant.* Aliàs enim Christus ipse, utpote habens gratiam habitualem, etiam esset cohæres *alterius Christi* essentialiter. Unde sicut albedo absolutè quidem facit album, eô ipsô, quòd subjecto insit, non tamen facit *simile* alteri, nisì *sub conditione*, si alterum album existat; sic gratia absolutè, & ex natura sua facit nos filios adoptivos Dei, ideóque hæredes Dei, *non tamen cohæredes* Christi, nisì *ex suppositione*, quòd *existat Christus*, quæ suppositio habet se *per accidens* ad statum gratiæ, & sic cohæreditas Christi non provenit *ex natura gratiæ*, sed *ex suppositione accidentali* coëxistentiæ Christi. *Instantia est in humanis*: ubi licèt participare naturam Patris, sit idem essentialiter, ac esse filium, & consequenter sui Patris hæredem, non

non tamen est, nisi accidentale, habere fratrem, & cohæredem. *Ad 3tium Dist. Maj.* Requirebatur exemplar necessariò *necessitate finis secundùm quid*, seu *ad facilius* obtinendum finem *Conc.* necessitate finis simpliciter *Neg. Maj. Conc. Min.* & *Neg.* in sensu distinctionis ad *Maj. Conseq.* *Ad 4tum* denique *Resp. imò*: hoc argumentô probari, quòd supposita productione *cujuscunque sensûs*, debeant produci *omnia sensibilia*, & cujuscunque subjecti recipientis, omne receptibile in ipso: imò, quòd supposita fide, fuerit necessitatus ad ponendum, & quidem in Cathedra Petri Clementem XI. quem esse *verum Pontificem*, *est nobis de fide*: quod tamen falsum est. Licèt enim habitus supernaturalis fidei *capacitatem* habeat, ut eo instructi credant, quidquid à Deo revelatum fuerit, non tamen habet *antecedenter* ad revelationem, *absolutam* & naturalem exigentiam, ut Deus *potius hoc*, quàm illud, ac proinde, ut potius Christum, & Clementem XI. decernat, & revelet, quàm carentiam eorundem. Sic campus (est instantia Patris *Gormaz hìc num.122.*) Hannibalis *capax* est ad sustinendam altissimam turrim, *si ædificetur*, *sinè eo*, quòd *exigentiam* connaturalem habeat, ut turris ibi ædificetur: ità pariter est in habitibus. *Resp. 2dò*: *Dist. Maj.* Inter habitus, & objecta eorum *formalia* est connaturalis connexio *Conc.* inter habitus, & eorum objecta *materialia, subdist. ex suppositione consequenti*, quòd existant, & actu substent objecto formali *Conc.* absolutè, & ex suppositione aliqua antecedente eorum existentiam *Neg. Maj. Dist. etiam Min.* Christus est objectum habituum supernaturalium suppositâ ejus existentiâ à *Deo liberè* decreta, & revelata *Conc.* secùs *Neg. Min.* & *Consequ.* Igitur ordo gratiæ *conditionatam* quandam *connexi-*

 onem,

onem, & necessitatem babet cum Christo ex hac triplici hypothesi. 1*mò*: Si *aliunde* existat. 2*dò*: Si *liberè* eliciat actus meritorios. 3*tiò*: Si *velit* sua merita prœmiari gratiâ alijs conferenda, & tunc Christus cum gratia, & habitibus supernaturalibus connectitur non tantùm *ùt objectum*, sed etiam *ùt principium meritorium principale*, & *physicum instrumentale*; nunquam tamen absoluta necessitate aliqua connectitur ordo gratiæ cum ordine unionis hypostaticæ.

§. 4.

Objectiones contra quartam, & quintam partem Thesis, nempe: quòd Incarnatio non fuerit necessaria ex suppositione hominis lapsi, & reparandi.

1. OBjicies 1*mò*: ex eo: *quòd aliàs frustraretur suo fine tum homo, tum Deus creans hominem.* Non decet divinam sapientiam, ut homines frustrentur suo fine, ad quem sunt à Deo ordinati, *atqui* nisi Incarnatio fuisset, homo lapsus fuisset frustratus suo fine: *ergo Maj. patet. Prob. Min.* Deus creavit hominem ex intentione eum beatificandi: *ergo* si post lapsum illum non reparâsset per Incarnationem, fuisset uterque frustratus suo fine. *Resp. Dist. Maj.* Non decet divinam sapientiam, ut homines frustrentur suo fine, defectu *se tenente ex parte Dei Conc.* se tenente *ex parte hominis Neg. Maj. Dist. similiter Min. vel planè Neg. Min.* quia alij, ùt sæpè diximus, superfuissent modi hominem beatificandi. *Et Neg. Conseq. Prob. Dist. Ant. cum Esparza Quæst. 5. ad 4tum.*

Crea-

Creavit hominem ex intentione prorſus *abſoluta* *Neg. conditionata*, ſi nimirum Adam, & poſteri in gratia perſtiterint *Conc. Ant.* & *Neg. Conſeq.* Nam hinc nulla arguitur major indecentia poſitivè, ſed negativè tantùm talis.

Objicies 2dò; ex eo: *quòd Deus notatus fuiſſet de* 2.
crudelitate, ſi ex ſuppoſitione hominis lapſi noluiſſet Incarnationem. Crudele eſt, nolle alterum ex ſumma miſeria eripere, cùm *id facilè poſſit*, *atqui* implicat Deum eſſe crudelem: *ergo* implicat, *ut nolit* eripere hominem, *ſubſumo*: *Atqui* Deus non poteſt ità eripere hominem, niſi per Incarnationem: *ergo. Prob. ſubſumptum.* Deus eſt ſupremus Judex, *atqui* Judex *tenetur* exigere pro injuria *ſatisfactionem æqualem*, & non poteſt abſque punitione relinquere *liberè omnia hominum delicta.* Tum quia ità poſtulat bonum commune, tum, quia aliàs cenſeretur fovere delicta: *ergo. Reſp.* 1mò *Neg. Maj.* Quia *infligere*, aut *non impedire* illud malum, quod quis meretur ratione peccati ſui, non eſt *vitium oppoſitum miſericordiæ*, ſed *omiſſio* cujusdam operis miſericordiæ per aliud opus juſtitiæ; unde ſi *totum* genus humanum manſiſſet *æternaliter privatum* beatitudine ſupernaturali ratione peccati originalis, *nequaquam* fuiſſet Deus *crudelis*, aut immiſericors, ſed ſolùm (quantum ad opus extrinſecum) *minùs miſericors*, & magìs juſtus. Ex hoc autem, quòd *miſericordia Dei* dicatur *ſuper omnia* opera ejus, *plus non ſequitur*, quàm quod vult Auguſtinus, nimirum, miſericordiam DEI eſſe ſuper omnia opera ejus *quoad univerſalitatem*, quatenùs Deus miſericordiam exercet *in omni opere* ſuo, quod & juſtitiæ commune eſt, juxta illud *pſal. 24. univerſæ viæ Domini miſericordia*, non verò quantùm quoad *neceſſitatem operum.* Unde

claritatis causâ: *Resp.* 2do *Dist. Maj.* crudele est, nolle ex *motivo justitiæ* alterum eripere ex miseria, quam de jure patitur *Neg.* *nolle* ex motivo alterum *injustè affligendi*, ipsum eripere *Conc. Maj. Min.* & *Nego Consequ.* *Subsumpto* Neg. *Ant. cujus Prob. Dist. Min.* 1mò: *quoad* 1*mam partem.* Tenetur, &c. Judex supremus, & infinitæ potestatis *Neg.* Judex creatus, & limitatus *Transeat. Ratio. est*: Quia Judex creatus *subjacet* legibus, & non est supremus Dominus, sed vi contractûs cum Republica initi *debet attendere* bonum commune, per punitionem scelerum, procurare, nam in hunc finem accepit potestatem à Republica, id quod non currit de Deo supremo simul Judice, & Domino. Dixi, *Transeat.* Etenim etiam Judex creatus habens *jus aggratiandi*, quandoque misericordiæ, & clementiæ recordatur, dum nempè, sinè detrimento Reipublicæ fieri potest. *Dist. nunc* 2*dam partem Min.* Non potest *antecedenter*, decernendo cedere juri acquisito contra peccatores *Neg.* non potest *consequenter*, atque ex suppositione, quòd velit condignam satisfactionem *Conc. Min.* cum suis probationibus: & *Neg. Consequ.*

THE-

THESIS IV.

Incarnatio fuit necessaria ex suppositione condignæ satisfactionis pro peccato mortali ab homine præstandæ. Ità D.Thomas 3. *part. Quæst.* 1. *num.* 2. *ad 2dum. Et in 3tio. Distinct.* 20. *Quæstit.* 1. *Art.* 1. *& alibi. Et ferè omnes Thomistæ* Thesim hanc ex *infinitate* malitiæ in offensa repertæ probantes, ità quidem, *ut Salmanticenses Tractat. XXI. Disput.* 1. *Dub.* 5. § 3. *num.* 122. dicant, *inconsequenter procedere omnes illos Authores*, qui ex una parte *negant* gravem Dei offensam esse *simpliciter infinitam*, & ex altera parte affirmant purum hominem *non posse* pro illa æqualem satisfactionem offerre. Nos autem ab hac ratione præscindimus, & Thesim nostram sinè nota inconsequentiæ cum *Suare Disputat.* 4. *sect.* 8.

Probamus. Ex eo: *quòd satisfactio puri hominis non possit adæquare gravitatem offensæ lethalis, licèt enim hæc non sit infinita simpliciter, sed tantùm secundùm quid, seu objectivè, est tamen altioris ordinis in suo genere, quàm sit satisfactio puri hominis in suo genere, ità nempe, ut quodlibet horum ex ijsdem capitibus decrescat, ex quibus crescit alterum, & è contra.* Unde sic: Nulla Persona *purè creata*, quantacunque sanctitate ornata, potest *condignam* satisfactionem exhibere pro ullo peccato mortali, quia juxta *S. Thomam hìc Quæst.* 1. *art.* 2. *ad 2dum. talis* satisfactio est, cujus valor adæquat gra- 1.

 vita-

vitatem injuriæ, & offensæ, nullus autem valor cujuscunque actûs personæ *purè creatæ* potest *adæquare* gravitatem offensæ lethalis, ùt mox probabitur. *Atqui* nec Persona *purè divina* potest illam præstare, quia talis satisfactio, utpote actus justitiæ, requirit aliquam *altereitatem*, & distinctionem, inter satisfacientem, & offensum, cùm autem *omnes tres* Personæ divinæ sint per peccatum mortale offensæ, idcirco *nulla Persona Divina*, quâ *præcisè divina* potest satisfacere pro peccato mortali: *ergo* id præstare potest sola Persona mixta, composita, seu *subsistens in duplici natura, divina & humana*, ità ùt à *divinitate habeatur infinitus valor* operis satisfactorij, ab *humanitate* autem *sufficiens distinctio*, seu altereitas inter satisfacientem, & offensum, cui satisfieri debet; adeóque si Deus voluit hominem liberare à peccato per *viam satisfactionis ab homine* præstandæ, *necessitatus* fuit *ex hac hypothesi*, ad decernendam Incarnationem. *Unde S. Hilarius in Psal. 28. ait: Frater non redimit, redimet homo, non homo purus, sed homo Deus JESUS Christus*, quia nullus alius poterat condignum afferre pretium. *Et D.Thomas* citatus in ⊙. *Homo satisfacere non poterat, Deus autem satisfacere non debebat, unde oportebat Deum & hominem esse JESUM Christum. Min.* hujus argumenti est clara. *Maj.* autem quæ majori explicatione indiget, *Prob. 1mò*: Implicat, ut illa duo se *adæquent*, quorum *unum ex ijsdem capitibus crescit, ex quibus alterum decrescit*, ùt per se notum est: *Atqui* valor *cujuscunque* satisfactionis *à pura creatura* exhibitæ, *ex ijsdem* capitibus *decrescit*, ex quibus *gravitas* offensæ divinæ *crescit*: *ergo* implicat, ut valor cujuscunque satisfactionis *à pura* creatura exhibitæ *adæquet* gravitatem offensæ per peccatum mortale Deo illatæ, adeoque

etiam

etiam repugnat, ut Persona *purè creata*, quantumcunque sancta *de condigno* pro tali offensa satisfaciat. *Prob. Min.* Ex duobus illis Principijs, quibus utitur *S. Thomas hic Quæst.* 1. *art* 2. *ad 2dum, & alibi : & Aristoteles 5. Ethicorum Cap.* 5. Primum est *: quòd gravitas offensæ crescat ex dignitate Personæ offensæ, & ex vilitate offendentis. 2dum est : quòd satisfactio, & exhibitio debiti decrescat ex dignitate Personæ, cui satisfit, & ex vilitate satisfacientis.* Unde sic : Tantò *gravior*, cæteris paribus, est offensa, quantò *dignior* est offensus, & quantò vilior offendens, & è contra tantò *minor* est valor satisfactionis, quantò *dignior est* persona, cui satisfit, & quantò *vilior* satisfaciens : *ergo* valor satisfactionis *à pura* creatura exhibitæ *ex ijsdem* capitibus & principijs decrescit, ex quibus crescit gravitas offensæ divinæ, scilicet *ex infinitate dignitatis*, & Excellentiæ divinæ, & *ex vilitate creaturæ puræ*, infinitè distantis ab excellentia divina: *ergo* repugnat, ut valor satisfactionis *puræ creaturæ* possit adæquare dignitatem offensæ divinæ : *ergo*, &c.

Prob. 2dò. eadem Maj. Offensa est injuria personalis, & contemptus personæ *offensæ*, satisfactio autem pro offensa est *compensatio hujus* contemptûs, adeoque honor personæ contemptæ exhibitus *à satisfaciente* pro injuria *personali* à se illi illata. *Jam sic* : ut quis *condignè*, *& ad æqualitatem* satisfaciat pro offensa, debet tantum honorem *exhibere* per *sua* obsequia, quantum intulit *contemptum* per *suam* offensam. *Atqui* contemptus divinæ Majestatis per *quodlibet peccatum mortale* exercitus est major, quàm sit *honor* exhibitus Deo per quæcunque obsequia, & quantacunque bona opera etiam *supernaturalia* puræ creaturæ, quia per peccatum mortale *infinita* Ma- 2.

jestas

jestas *à vili* creatura postponitur rebus creatis *infinitè minùs dignis*, quàm sit Deus, qui contemptus est maximus; per bona autem opera *præponitur* eadem Majestas infinita à vili creatura rebus creatis *infinitè Deo* vilioribus, qui honor respectivè est exiguus, *gravius* enim & *atrocius* est (*inquit Contenson hìc speculatione 2dâ*) Deum *subjicere* creaturæ, *quàm sit honorificum Deo creaturam ei subjicere*, sicut est *indignius* Regem subdito *mancipare*, quàm sit *honorabile* subditum *Regi subdere*, quia per hoc, quòd creatura subjiciatur Deo, *nullum jus ejus læditur*, sed satisfacit officio, nec deprimitur, aut humiliatur, quin potius perficitur, & honoratur, dum Deo, cui servire regnare est, subordinatur: per *offensam* autem jus divinum læditur, Deus offensus *deprimitur*, & maximè inhonoratur, quia *minùs æstimatur*, quàm creatura *cui postponitur*: *ergo* implicat *ut tantundem honoretur* divina Majestas obsequijs, & submissione puræ creaturæ, *quantum contemnitur, vel unico* peccato mortali: *ergo* implicat ut Deus *à pura creatura* accipiat *æqualem* satisfactionem pro gravi, seu *propriè dicta* offensa.

3. *Prob. 3tio*: Injuria facta Deo, cùm crescat juxta dignitatem personæ offensæ, est in *altiori* ordine, quàm satisfactio *puræ* creaturæ, cùm hæc, utpote honor, sit in *honorante*, adeóque *commensuretur dignitati personæ satisfacientis puræ creaturæ*, & sic est *cum illa inferioris* ordinis: *ergo* quantumcunque satisfactio puræ creaturæ, pro offensa & injuria *personali* Deo illata, augeatur, semper manebit *inferioris* ordinis; *atqui* per illa, quæ sunt *inferioris* ordinis non possunt *adæquari* illa, quæ sunt *altioris* ordinis; *ergo* per satisfactionem puræ creaturæ non potest adæquari, & compensari gravitas offensæ divinæ: ergo.

ergo. *Subsumptum Prob.* instantijs : sic enim *1mò :* nulla, quantumvis *infinita multiplicatio* actuum *purè* naturalium potest *in vi meritoria* æquivalere *uni actui* supernaturali finito, illumque adæquare. *2dò : Infinitæ* cognitiones creaturarum *etiam supernaturales* nequeunt *adæquare visionem Dei.* *3tiò :* Perfectissimus hominum nunquam potest excellentiam Angeli assequi, neque : *4tò : gravissimum* peccatorum venialium pervenire potest *ad malitiam minimi* peccati *mortalis*, nec *denique. 5tò :* Injuriæ factæ in *materia superiori* compensantur *ad æqualitatem* per materiam *inferiorem*, quantumcunque multiplicetur, v. g. injuria *in honore*, non compensatur *perfectè formaliter* per *pecuniam*, neque injuria *in vita* per *honorem* (nisì defectum supplente sententiâ Judicis) idque, quia constituuntur *in diversis generibus*, & sunt *diversi ordinis* : *ergo* à pari.

Prob. 4tò : eadem Maj. Principalis argumenti ; si hæc eadem offensa committeretur à persona *æquali* Personæ Divinæ læsæ, certum est, quòd satisfactio *condigna* deberet esse *simpliciter infinita*, & fieri à persona *æquali* Personæ Divinæ offensæ ; *ergo à fortiori*, si hæc offensa committatur à persona vilissima, satisfactio debebit esse infinita, cùm *aliunde evidens sit : offensam ex eo capite, ex quo crescit, non posse minuere debitum satisfaciendi. Confirm. & simul explicatur hæc ratio :* Juxta omnes gravitas offensæ Divinæ, est in summo gradu offensæ, attentis his terminis : *Persona offendente, Personâ offensâ : ergo* Deus offensus habet jus *non remittendi offensam* passivam, sive non deponendi odium adversus offendentem, donec illi reddatur *satisfactio summa* in genere satisfactionis, attentis *ijsdem* terminis : *atqui* ut satisfactio exhibenda sit *summa* ; & in *supremo* gradu satisfactionis, 4.

 atten-

attentis *personis*: *offendente*, & *offensa*, debet *necessariò* persona satisfaciens esse *in supremo absolutè dignitatis* gradu, si enim *solùm* persona *cui satisfit*, haberet *supremum* dignitatis gradum, *eô ipsô* satisfactio non erit in *supremo* gradu satisfactionis, quia ex *hoc ipso* capite *decrescit* satisfactio, ùt dictum est: *ergo* ut satisfactio sit *condigna*, & se *sola sufficiens* formaliter delere offensam, debet necessariò persona satisfaciens esse *ejusdem* gradûs dignitatis, cujus est persona per peccatum *offensa*, adeóque persona *condignè satisfaciens* pro offensa divina, *debet* esse Deus, sicut persona per peccatum *offensa*, est Deus. *Jam iterum subsumo*: *Atqui* satisfactio exhibita à persona divina est *infinita simpliciter*, ùt videbimus: *ergo* de primo ad ultimum, *nulla* satisfactio erit condigna pro offensa Dei, nisì sit *infinita simpliciter*, adeóque exhibita à Deo homine.

5. *Prob. 5tò eadem Maj.* Major est dignitas illius personæ, cujus offensa non potest via *æqualis satisfactionis tolli* per ulla opera *finiti* valoris, quam sit dignitas illius personæ, cujus offensa *potest tolli* viâ *æqualis* satisfactionis per opera *finiti* valoris, quò enim *major est dignitas* personæ offensæ, eò *difficiliorem* reddit *condignam* satisfactionem pro offensa, ùt patet inductione; sic enim *difficiliùs* satisfacit *rusticus regi*, quàm *alteri rustico* à se percusso, &c. *Atqui* Deus est *tantæ* dignitatis, quâ *major cogitari* non potest; *ergo gravis* offensa Dei est tanta, ut *nullis* operibus *finiti* valoris possit tolli *viâ condignæ* satisfactionis; *Atqui* omnia opera etiam *supernaturalia puræ* creaturæ sunt tantùm *finiti* valoris: *ergo*.

6. *Prob. denique 6tò eadem Maj.* Ab inconvenientia. Si homo purus posset satisfacere de *condigno* pro aliquo peccato mortali, posset etiam satisfacere pro il-

lo *ex toto rigore Justitiæ*, *sed* hoc nullus Theologorum (exceptô Aureolô) admittit: *ergo* pro *nullo* peccato mortali potest homo purus condignè satisfacere. *Prob. autem sequela.* Nam ut satisfactio sit *condigna*, debet esse *æqualis* valoris cum debito *ùt supponitur*; *sed* hoc ipsô, quòd satisfactio puri hominis sit *æqualis* valoris cum *debito* orto ex peccato, *nihil illi deest*, ut sit *ex rigore* justitiæ, quia omnes conditiones rigorosæ justitiæ in illa servantur: *ergo* si homo ad *æqualitatem* satisfaceret pro peccato, satisfaceret ex *rigorosa* justitia. *Min. in qua est difficultas*, *constabit ex dicendis*, *ubi de satisfactione Christi ostendetur*, quòd habeat omnes conditiones *rigorosæ* justitiæ, nam quæ ibi de satisfactione Christi dicuntur, facilè aptantur satisfactioni puri hominis, si semel *in hac* admittatur *æqualitas* cum *debito peccati mortalis*, atque ità manet probata Thesis nostra *sinè recursu ad infinitam* malitiam peccati mortalis ex ratione *num. 1.* insinuata, & per has posteriores amplius confirmata.

P. Gabriel Vaskvetz Disput. 2. c. 5. & 6. Fundat se in alia ratione, & sic discurrit. satisfactio illa, quæ non compensat *totum* debitum, sed *partem* debiti *gratis condonatam* supponit, non est *condigna* satisfactio; *atqui omnis* satisfactio cujuscunque puri hominis pro peccato mortali necessariò *partem debiti gratis condonatam supponit*: *ergo* nulla satisfactio *puri* hominis pro peccato mortali potest esse condigna. *Maj. Vaskvetz* non probat, sed ùt per se notam relinquit. *Prob. autem Min. sic*: Peccator ratione cujuscunque peccati mortalis *contrahit debitum carendi* perpetuò *omni auxiliô* ad resurgendum; *atqui* omnis satisfactio *puri* hominis *hoc* debitum exstinctum *supponit*, cùm per *collationem* auxilij ad satisfaciendum, 7.

debitum illo carendi tollatur, & talis auxilij collatio *necessariò actualem* satisfactionem *præcedat*: *ergo* omnis satisfactio puri hominis *partem* debiti *gratis condonatam* supponit necessariò, adeóque nulla ejusmodi satisfactio potest esse *condigna* pro peccato mortali. Ratio autem hæc, quæ sola Patri Vaskvetz placuit, communiter displicet Theologis non solùm domesticis, ùt Patri Mendoza Disput. 10. subsectio. 1. §. 4. *Francisco Amico Disput. 5. sect. 5. num. 1. 13. &c.* Sed etiam exteris, *ùt Illustrissimo Godoy Quæst. 1. Tract. 1. Disput. 2. §. 2. num. 5. Goneto. Disput. 4. art. 1. num. 2. Salmanticensibus Disput. 1. Dub. 5. num. 122. &c.* cum quibus eandem rationem Patris Vaskvetz rejicimus, *priùs notando*: sententiam Patris Vaskvetz duo sustinere: *1mò*: Tenet cum *Scoto in 3tiò Distin. 20. vers. contra ea, & in 4. Distinct. 15. Vers. Quantum ad istum*: per actum *Charitatis satisfieri* à puro homine pro *offensa*, macula, & peccato. *2dò*: tenet, eam satisfactionem non esse perfectam, quæ non *exstingvit debitum carendi auxiliô efficaci*, quô exercetur ipse actus charitatis, sed supponit illud gratis condonatum, quô notatô.

8. *Rejicitur Ratio Patris Vaskvetz 1mò*: Quia non est conformis statui Quæstionis præsentis; nam, ùt bene observat citatus Godoy, & Amicus, Authores Disputantes: an *pura* creatura possit pro peccato mortali *condignè* satisfacere? *non quærunt*: an possit satisfacere talis creatura *pro omni pœna peccato mortali debita*, sed inquirunt: an possit pro *ipso peccato* mortali secundùm *rationem culpæ, offensæ, & malitiæ suæ* spectato, condignè satisfacere pura creatura? Ratio autem *Patris Vaskvetz* non probat: impotentiam puri hominis ad satisfaciendum *perfectè pro ipso peccato*, quia *Pater Vaskvetz admittit purum* hominem

per actum Charitatis *satisfacere posse pro offensa*, sed *solùm* probat *impotentiam* puri hominis ad satisfaciendum pro aliqua *pœna peccato mortali* debita, nempe pro *carentia auxilij*, quæ per collationem auxilij *supponitur gratis* condonata, quia autem hæc *carentia auxilij* non est *ipsa culpa*, *nec pars culpæ*, sed solum modò *pœna culpæ* debita, cùm ablatâ ejusmodi carentiâ auxilij, per collationem auxilij, culpa non aufertur, sed integra perseverat, *sicut ablatâ culpâ* originali per baptismum non aufertur *carentia justitiæ* originalis, idcirco si juxta *Patrem Vaskvez* per actum Charitatis *de condigno* pro peccato mortali, *exceptâ illâ carentiâ auxilij*, satisfiat à pura creatura, *eò ipsò* creatura *pura* per talem actum condignè satisfaciet pro *ipso peccato* mortali, licet non pro *aliqua pœna* illius, adeóque *Pater Vaskvetz* ratione illa non tam probat, quàm improbat Thesim istam, atque ità malè est ad propositum.

Rejicitur 2dò. Quia si de ratione satisfactionis condignæ pro culpa, ùt *vult P. Vasquez*: esset exstinctio *omnis* debiti, & exclusio *omnis pœnæ illi* debitæ, *sequeretur*: *satisfactionem Christi condignam* non fuisse, quod tamen negat Vasquetz, dum dicit Christum *adæquatè* satisfecisse pro *toto debito* ex peccato contracto. *Sequela* autem probatur: *ex P. Mendoza Cit. §. VI. & Godoy num. 6.* Homo per peccatum *non solùm* contraxit debitum *carendi omni auxilio* intrinseco, sed etiam *extrinseco*, adeoque etiam contraxit debitum *carendi Redemptore*, *actibus satisfactorijs*, & auxilijs Christo ad eosdem concessis: *Atqui* hujusmodi debita per satisfactionem Christi non *fuerunt exstincta*, cùm Christus *non meruerit* suam Incarnationem, sed eam acceperit *gratis*, *nec* actum *primum* meritorium accepit *per meritum*, neque auxilia 9.

lia ad primum meritum concessa: *ergo* sicut propter illam rationem actus *Charitatis puri hominis*, quia *non exstinguit omne* debitum, non est satisfactio condigna, ità propter *eandem* rationem *satisfactio Christi* etiam *non erit condigna*. *Aut certè*: si Christus dicitur satisfecisse condignè, quia satisfecit pro *omnibus debitis* manentibus *post ejus* Incarnationem, & primum actum meritorum: pariter Patri Vasquetz dicendum erit: actum Charitatis *puri* hominis non tantùm imperfectè, *sed perfectè, & condignè* esse satisfactorium pro peccato mortali, cùm admittat illum exstinguere condignè *omne* debitum, manens *post ejus* existentiam.

10. *Rejicitur 3tiò*: Quia actus Charitatis vel *non est* satisfactio actualis pro debito, vel est *adæquata*, adeoque condigna *pro omni debito*. *Prob. 1mà* pars: Quia juxta *Patrem Vasquetz* peccatum mortale *priùs*, *ratione*, *est* remissum per habitum Charitatis, & gratiæ, *quàm* actus Charitatis *sit in anima* peccatoris: *ergo* talis actus non satisfacit *actu* pro *macula* peccati, quia illud *non exstinguit*, sed jam exstinctum, & solutum *præsupponit* debitum peccati, sicut, qui homini occiso vulnus ex se lethale infligit, *non dicitur occidere*, quia jam *præsupponit* occisum, idque hìc à fortiori, quia actus Charitatis ex *natura sua petit* procedere *à gratia*, & habitu Charitatis, adeoque non tantùm talis actus *non exstinguit*, sed nec potest exstinguere *debitum peccati mortalis*, quod semper essentialiter supponit *ante se exstinctum*, adeoque non potest esse satisfactio actualis pro illo. *Confirm.* Ideo juxta *P. Vasquetz Cap. 6. num. 60.* Contritio *non est* meritoria gratiæ, quia *illam supponit*, *atqui* juxta eundem, ibidem, Contritio (idem est de actu Charitatis perfectæ) etiam *præsupponit* culpam remis-

remissam: *ergo* non est satisfactoria pro culpa seu peccato. Nam sicut meritum est via ad prœmium, atque ità *præsupponi* debet ante prœmium, sic est etiam satisfactio *via ad condignè exstinguendum* debitum, adeoque pariter præsupponi debet *ante* exstinctionem debiti. *Probatur nunc 2da pars*, nempe Contritionem v. g. in sententia *Vasquetij* fore *æqualem* satisfactionem non tantùm *pro aliquo*, *sed prò toto*, & omni debito. Nam juxta *P. Vasquetz* Contritio est dispositio in genere *causæ materialis*, cui jam ex natura sua *debetur* auxilium *efficax*, quô fit, ità, ut illi nequeat negari: *ergo* non solùm exstinguit *debitum culpæ*, sed etiam *debitum pœnæ*, seu *carentiæ* auxilij efficacis, & per consequens totum, & omne debitum. *Prob. Consequ.* Debitum exstinguitur per id, quod talis est naturæ, ut cum illo non possit stare debitum; *atqui debitum carendi auxiliô*, non potest stare cum contritione, quia contritio producitur *in toto illo* instanti à Deo per *auxilium efficax*; *ergo*. *Confirm.* Ideo gratia exstinguit actu debitum culpæ, quia est forma incompossibilis cum culpa; *sed* etiam contritio est *incompossibilis* forma cum carentia auxilij efficacis: *ergo, &c.*

Nec obstat: *si dicas*: Contritionem in eo genere non esse *meritoriam* pro illo instanti, quia etiam gratia habitualis non est formaliter meritoria, & libera, & tamen exstinguit peccatum: *ergo* pariter contritio *exstinguet* debitum carendi auxilijs, & *condignè* erit satisfactoria pro illo; *Non inquam obstat* quia teste *P. Mendoza §. II. hic P. Vasquetz* satisfactionem accipit pro *forma incompossibili* cum debito. *Sequuntur nunc objectiones contra Thesim*, & *rationem à nobis propositam.* 11.

Objicies 1mò. Ex eo: *quòd opus bonum puræ creatu-* 12.

ræ

ræ possit adæquare malitiam peccati mortalis. Omne finitum potest *adæquari* ab *altero finito* saltèm multiplicato; *atqui* malitia peccati mortalis est juxta nos *finita*: *ergo* potest per multiplicata bona opera *puræ* creaturæ adæquari.

13. *Confirm. 1mò*: *Ex Gonet hìc Disput. 4. art. 1. num. 8.* Licèt verum sit, quòd unum finitum *physicè* non possit sæpiùs multiplicatum *adæquare alterum* finitum *diversæ rationis*, & ordinis, sic enim v. g. argentum quantumcunque multiplicatum non adæquat *perfectionem physicam* auri, *falsum tamen est*, quòd non possit adæquare *moraliter*: etenim multiplicati centies floreni argentei, non tantùm *adæquant*, sed etiam *superant unum* nummum *aureum*: *ergo* à pari in genere moris multiplicata obsequia puræ creaturæ licèt sint in ratione boni, *inferioris* ordinis, possunt *adæquare* offensam Dei, quæ in genere morali est *superioris* ordinis.

14. *Confirm. 2dò*: Actus inferiorum virtutum moralium ratione multitudinis, difficultatis, intensionis, durationis, sanctitatis majoris, personæ operantis, possunt *adæquare* actum Charitatis *Theologicæ*, licèt hìc sit *altioris* ordinis: *ergo à pari*: *&c.*

15. *Confirm. 3tiò*: Ex *defectu* deliberationis, materiæ levitate, alijsque circumstantijs ità *minui* potest offensa, ut sit valde levis, quæ *in alijs* circumstantijs foret *offensa gravis*; *ergo* etiam ex *aliquibus circumstantijs* ità potest *crescere* satisfactio *puræ* creaturæ, ut sit valde gravis, & *æqualis* magnitudini offensæ Dei, licèt futura esset minor *in alijs* circumstantijs.

16. *Resp. ad argument. cum P. Esparza* hìc *Quæst. 9. ad 1mum 1mò.* Neg. *Maj.* Cujus falsitas patet in multitudine, & magnitudine lapidum, & aliarum creaturarum inferiorum homine, quæ infinities multiplica-

plicatæ nequeunt ascendere ad æqualitatem cum homine: eademque est ratio de quavis multitudine, & intensione *cognitionum naturalium*, *vel* actuum fidei cum visione beata qualitercunque *remissa*, *&* peccatorum venialium cum peccato mortali. *Ratio* autem est: quia ut aliqua extrema se possint adæquare, necesse est; ut utrumque sit *ejusdem ordinis*, & subiens *uniformiter eandem* mensuram, ùt contingit in partibus ablatis ex aliquo finito. Non sunt autem ejusmodi extrema *peccatum mortale, & opera bona puræ* creaturæ; quia ex eadem *ad Deum* comparatione, qui est *utrorumque mensura* communis, non habent se *uniformiter*, nam ratione hujus peccatum mortale ità sub ratione offensæ crescit ut sit in *supremo* genere mali & opus bonum puræ creaturæ non ità crescit in genere boni sub *ratione satisfactorij*, ut sit in supremo genere boni. *Hinc Respond. 2dò: Dist. eandem Maj.* Potest adæquari ab altero finito si utrumque *non sit ejusdem* ordinis *Neg.* si utrumque sit ejusdem ordinis *subdist.* Potest adæquari ab altero finito, si non *decrescat ex ijsdem capitibus*, ex quibus alterum *crescit Conc. secùs Neg. Maj. & Conc. Min. Neg. Conseq.*

Ad 1mam Confirm. Resp. 1mò Dist. 2dam partem 17.
17. *Ant.* falsum est, quòd non possit adæquare moraliter intra *eandem* lineam moralitatis *Conc.* in *diversa* linea moralitatis *Neg. Ant.* licèt igitur argentum sit inferioris ordinis respectu auri, potest tamen æquare, imò excedere humanam æstimationem auri considerantem *eandem in genere moris lineam*, seu commodi, seu difficultatis in consecutione rei, *non* verò potest æquare æstimationem humanam auri considerantem *diversam*, *eamque superiorem* in genere moris lineam, aliàs enim posset etiam *æquari*

 digni-

dignitati hominis, cùm juxta *priorem* consideratio-nem *homo vendatur* pro argento, item posset æquari morali excellentiæ, & dignitati coronæ Regiæ, quæ juxta eandem considerationem priùs artifici argen-tô ex asse soluta est. *Hinc Resp. 2dò: ex Amico: Di-sput. 5. sect. 3. num. 137. Neg. Conseq. Disparitas est*: ex mox dictis. Quia etiam in genere moris satis-factio puræ creaturæ, & offensa Dei. *sunt diversi or-dinis*, & lineæ, & crescunt ex *oppositis principijs*, va-lor autem moralis auri, & argenti *in ratione pretij*, *sunt ejusdem* ordinis, & *valor* unius ex *eodem* capite, & principio crescit, ex quo crescit valor alterius, nempe ex *appretiatione Principij*: unde nobilitas materiæ ad pretium se habet omninò *per accidens*, *appretiatio verò Principis* ordinantis valorem cujus-cunque materiæ *ad eundem* emptionis finem, habet *se per se* ad pretium monetæ. Non enim ideo mi-nùs valet unus imperialis, quàm unus aureus, quia Princeps *ei pretium* imposuit. sed quia ei *non majus pretium imposuit*, qui imperialem etiam *ultra* pretium aurei elevare potuit. Unde sicut argentum, & au-rum in *ratione gravitatis* sunt *ejusdem* rationis, nec unum decrescit inde, unde in *ratione gravitatis cre-scit* alterum, sed crescit utrumque ex *eodem princi-pio* inclinationis ad centrum, & tantùm differunt penes *magis*, *& minus in eadem ratione*, quare argen-tum minùs grave sæpiùs multiplicatum *exæquat* in ratione *gravitatis* aurum alioquin gravius. Econ-tra verò, quia ignis & plumbum in *ratione gravita-tis*, & levitatis sunt *adeò* diversæ rationis, ut plum-bum in ratione *gravitatis decrescat ex illo principio*, ex quo ignis in ratione *levitatis crescit*, idcirco plum-bum quantumcunque multiplicatum non potest adæquare levitatem ignis, imò hoc ipso *fit gravius*,

&

& *non levius*; ità etiam: quia in *genere moris* offensa Dei in gravitate sua crescit ex *dignitate* personæ *offensæ*, & vilitate personæ offendentis; satisfactio puræ creaturæ, quæ ex ijsdem principijs decrescit, & fit levior, *nequit valore*, & gravitate, seu *dignitate adæquare* gravitatem, & indignitatem, seu *malitiam offensæ divinæ*: ac proinde *semper manet inferioris* ordinis in genere moris: idque ex natura sua, & *independenter à libera* determinatione *nostrâ*, sed ex reipsa habetur, quod offensa sit voluntarius *contemptus* Dignitatis personalis, satisfactio verò *obsequiosa submissio personæ satisfacientis* in compensationem offensæ.

Ad 2dam Confirm. Dist. Ant. Possunt adæquare 18. actum charitatis Theologicæ, quoad *bonitatem primariam*, quæ desumitur ex objecto formali Charitatis, sub *qua bonitate* consideratus est actus *altioris* ordinis, *Neg. Ant.* quoad *bonitatem secundariam* meriti, quæ desumitur ex *circumstantijs*, & difficultate operantis, non autem *ex natura operis*, sub qua bonitate consideratus actus Charitatis Theologicæ, *non est altioris ordinis Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Quia actus v. g. temperantiæ, & Charitatis in ratione meriti fundatur *principaliter* in *Divina promissione onerosa*, suntque *ejusdem ordinis ad præmium*, neque temperantia (idem est de omnibus alijs actibus virtutum aliarum (*sub ratione meriti decrescit* ex *eodem* capite, ex quo crescit Charitas in *ratione meriti*, adeoque poterit *adæquare*, imò etiam superare Charitatem sub *eadem ratione meriti* ex majoribus circumstantijs, *ad hanc rationem* conducentibus.

Ad 3tiam Confirm. Resp. cum *P. Gormaz num.* 297. 19. *Conc. Ant. Neg. Conseq.* Quia ubi nulla est libertas, nullum est *formale* peccatum, & cùm in circum-

ſtantijs, in quibus *deficit* deliberatio, deficiat quoque libertas, *ideo in his* circumſtantijs non eſt formale peccatum, quod *in alijs* eſſet valde magnum. At verò *nullæ* poſſunt aſſignari circumſtantiæ, in quibus obſequium puræ creaturæ *tam magnum* ſit reſpectu Dei, quanta eſt offenſa in Deum, quia ex nullis circumſtantijs perſona *purè creata* poteſt adæquare Perſonam increatam, & eſſe *ejusdem* ordinis cum illæ *ergo*.

20. *Objicies 2dò: Cum Illuſtriſſimo Godoy num. 12. & 15. & Mendoza §. 22. & 23.* alijsque. Ex eo: *quòd offenſa Dei non ſit altioris ordinis in genere moris, quàm ſatisfactio puræ creaturæ.* Gravitas offenſæ mortalis, *vel* ſumitur à Dignitate perſonæ offenſæ *tanquam à forma*, *vel* eſt aliqua *realitas* ſive phyſica, ſive moralis actui offenſivo *identificata*, *vel* ad illum conſecuta, quidquid dicatur: offenſa mortalis non eſt *altioris* ordinis, quàm ſatisfactio puræ creaturæ: *ergo*. *Prob. Min.* ſi enim dicatur 1*mum*: cùm dignitas perſonæ offenſæ *infinita* ſit, offenſa non ſolùm erit gravitatis *altioris ordinis*, *ſed etiam ſimpliciter infinita*, ſicut eſt ſatisfactio Chriſti. *ſi 2dum*: Tunc *vel* illa gravitas moralis offenſæ commenſuratur cum principio *efficiente*; ità ut non poſſint illud excedere, *vel non* commenſuratur cum illo; *ſed* neutrum poteſt dici; *ergo*. *Non* 1*mum*: quia ſic non poteſt eſſe ordinis ſuperioris, ad dignitatem *ſatisfactionis elicitæ* à pura creatura, cùm voluntas creata, quæ illius gravitatis *in offenſa* principium eſt; *ordinis ſuperioris non ſit* ad *Perſonam ſatisfacientem*, ſed potius ordinis inferioris ad *illam*, *ut donis gratiæ exornatam*, qualiter ſumpta eſt principium *ſatisfactionis*, & *non offenſæ*. *Non 2dum*: Quia ſic non ſolùm poſſet eſſe *ordinis ſuperioris*, ſed ſimpliciter *infinita*

finita

finita in genere moris, si namque potest à principio *ordinis inferioris* causari aliquid *effectivè* quod sit *superioris* ordinis, cur non possit causari aliquod *infinitum*, ab illo, quod *finitum* est? *ergo.*

Confirm. 1mò: *Offensa* Dei est ordinis Divini *extrinsecè*, *objectivè*, & *terminativè*; *atqui* etiam satisfactio puræ creaturæ est ordinis Divini *extrinsecè objectivè*, *& terminativè*: quia habet etiam *Deum pro objecto* cui satisfacit, sicut eundem habet pro offensa, quæ illum offendit: *ergo.* 21.

Confirm. 2dò: Dum dicitur peccatum esse *superioris ordinis*, quàm satisfactio *puræ* creaturæ, *vel* intelligitur: quòd tantùm sit supra *ordinem naturæ*, *vel* intelligitur: quòd etiam sit *supra ordinem gratiæ*. Nihil horum potest dici: *ergo. Prob. Min.* Non potest dici: *ideo* peccatum esse *superioris ordinis*, quàm satisfactio *puræ* creaturæ, quia *est tantùm supra ordinem naturæ*; quia satisfactio *puræ* creaturæ utpote *à gratia*, *& donis supernaturalibus* procedens etiam est *supra* ordinem naturæ: *ergo.* Nec etiam potest dici; quod sit supra *ordinem gratiæ*, quia esset in ordine *unionis hypostaticæ*, vel *adhuc superioris*; *Atqui* non potest dici; quòd peccatum sit in ordine *unionis hypostaticæ*, quia quæ in hoc ordine sunt, sunt *infinita intrinsecè*, & *simpliciter* in genere moris. Nec etiam potest dici: quòd sit in ordine *adhuc superiori*, quàm sit ordo unionis hypostaticæ. Tum quia esset *imparticipativè ordinis Divini*, adeoque entitativè, & physicè infinitum. Tum quia darentur *quatuor ordines*, cùm tamen hactenùs Theologi tantùm *tres* agnoverint: *ergo.* 22.

Resp. ad argmmentum Neg. Min. Prob. quoad 1mum Neg sequelam. Ratio disparitatis est: Quia licèt persona offensa sit infinita; tamen quia se habet ad offensum 23.

sensum per modum *formæ extrinsecæ*, *finitô modô applicatæ*, idcirco non refundit *in offensam*, nisi infinitatem *extrinsecam*, & secundùm quid talem in genere moris, aliàs enim satisfactio *Christi* non fuisset *superabundans*, ùt docent *PP. & Theologi cum S. Thoma 3. Parte. Quæst. 48. art. 2.* At verò Persona Christi satisfacientis non est forma *præcisè extrinseca*, aut *subjectum denominationis extrinsecæ* respectu satisfactionis, sed est *pars intrinseca*, seu principium *moraliter intrinsecum* formaliter constitutivum *valoris personalis actûs satisfactorij*, & formaliter ipsum dignificans per suam *entitatem physicam*, *secundùm se sumptam*, ùt gratia sanctificans *dignificat* operationes hominis *etiam ignorata*, qualiter crescere non facit malitiam offensionis præ alijs malis persona offensa *secundùm* se sumpta, & *ignorata* ab offendente, ùt suppono ex materia de peccatis: *ergo*. Quô tamen non obstante malitia offensæ est adhuc superioris ordinis, quàm satisfactio puræ creaturæ, *superioritate* nempe resultante *ex dignitate Personæ offensæ* ex una, & ex *vilitate puræ* creaturæ satisfacientis ex altera parte.

24. *Ad 2dam Neg. Min. & Prob. primæ partis.* Licèt enim voluntas, ùt elicitiva actûs honesti, & satisfactorij, non sit altioris ordinis, quàm satisfactio, est tamen *altioris ordinis in genere principij defectibilis*, & elicitivi actuum offensivorum, quia *ùt talis* illam gravitatem offensæ, quæ est altioris ordinis, *radicaliter* continet, utpote radix illius; *ergo*.

25. *Nec obstat*; quòd homo *ùt gratia sanctificante instructus* satisfaciat, sitque *participativè natura divina*, non autem sit natura participativè *divina homo ùt offendens*; Nam etiam ùt sic comparatus cum Deo est *infinitè vilior*, & ordinis inferioris, quàm Deus,

nec

nec proinde potest *condignam æqualitatem* satisfactioni tribuere, siquidem offensa suum ordinem, & quantitatem accipit *à persona imparticipativè divina*; satisfactio autem talis puri hominis, cùm sit obsequiosa *submissio* personæ *satisfacientis* in compensationem Dignitatis personæ læsæ per illam offensam, desumit suum ordinem, & quantitatem à persona satisfaciente, quæ in supposito est *participativè* tantùm divina. Et hinc, ùt bene monet *Amicus num. 131.* cùm persona *purè* humana satisfaciens non exhibeat personæ offensæ in *compensationem* læsæ dignitatis Divinæ *ipsam Dignitatem personæ, cui* satisfit, alioqui non exhiberet illi, *quod suum esset*, sed *suæ personæ* Dignitatem, Proportio inter *offensam*, & *satisfactionem* attendenda est penes personalem dignitatem læsam, & satisfacientem; atque ità satisfactio *puræ* creaturæ à quacunque gratiâ procedens semper erit *inferioris* ordinis, quàm sit offensa Dei in ratione injuriæ personalis, quia hæc semper est *suprema* in *genere mali*, illa autem satisfactio puræ creaturæ *nunquàm est suprema* in *genere boni*. Sed

Dices. Furtum *non crescit* ex *præstantia* personæ, 26.
cui quis furatur, sed magìs *decrescit*, si Dives sit: *ergo* gravitas offensæ *non crescit* ex Dignitate *personæ Divinæ* offensæ, ità ut sit superioris ordinis, quàm satisfactio puræ creaturæ. *Resp. Dist. Ant.* Non crescit, sed minuitur, inquantum est *injuria realis*, comparata ad quantitatem rei ablatæ *Conc.* inquantum est *injuria personalis Neg. Ant. & Conseq.* si quis Regi ex proprio marsupio auferret unum florenum non committeret *tantam* injuriam *realem*, acsì illum auferret *pauperi*, committit autem *injuriam personalem* ob Majestatem personæ regiæ, quam contemp-

sit

sit tantam, ut etiam capitis suppliciô digna censeatur.

27. *Ad 1mam Confirm. Dist. Min.* Est ordinis Divini *extrinsecè, objectivè*, & terminativè, ità tamen, ut satisfactio *puræ* creaturæ *non crescat* ex persona Dei, cui satisfit, & quam habet pro objecto *sed decrescat Conc.* ut *exinde* crescat satisfactio, *sicut* crescit offensa *Neg. Min. & conseq.* Non enim Dignitas, & valor satisfactionis *ab objecto*, sed *à personæ satisfacientis dignitate* sumitur. *Aliàs* enim *obsequium* exhibitum à *rustico* Imperatori, foret *æquale offensæ* illatæ, *ab eodem*, Imperatori, quia quantum decresceret obsequium ex vilitate personæ obsequentis tantum cresceret *ex dignitate objecti*, *cui* exhiberetur: Et quantum crescit *offensa* ex nobilitate personæ offensæ, tantum decrescit *ex ignobilitate* objecti, propter quod Imperatorem offendit. Imò verò, *ejusdem* & *non majoris* valoris foret obsequium *ab Imperatore* impensum rustico, ac est obsequium *à rustico* impensum *Imperatori*, quia, quantum cresceret *primum* ex *Majestate* personæ obsequentis, & decresceret ex vilitate objecti, seu personæ, cui exhibetur, tantum cresceret *secundum* ex *nobilitate* objecti, cui exhibetur, *& decresceret*, ex *vilitate* personæ, à qua exhiberetur. Unde patet falsitas probationis hujus *Min.* propter *ly sicut*; quia satisfactio non habet Deum pro objecto sic, ut inde crescat, sicut ipsum habet offensa. Sed

28. *Dices.* Saltèm *dilectio* Dei super omnia crescit *ex magnitudine objecti infiniti*, sicut crescit offensa, *ex Deo offenso*: *ergo. Prob. Ant.* Dilectio Dei ex magnitudine objecti infiniti sic crescit, ut sit perfectior actus cujusvis alterius virtutis; *sed* etiam offensa ex Deo offenso sic crescit, ut sit *major* omnibus reli-

ma...s:

malis: *ergo* dilectio Dei ex objecto ità crescit sicut offensa: *ergo*, &c. *Resp. Dist. Ant.* crescit *æquando* magnitudinem *suæ lineæ* cum magnitudine *lineæ offensæ Neg.* non æquando *Conc. Ant. sic Dist. Prob. Maj. cum Conseq. & Neg. Conseq.* Quia *incrementum* actûs *dilectionis*, præ actibus reliquarum virtutum, & *incrementum offensæ* præ reliquis malis, sunt lineæ *in genere moris inæqualissimæ*, ac propterea non æquabiles, potest namque aliquid esse *magnum* comparatum cum alijs *ejusdem generis*, ordinis, & lineæ, & esse *parvum*, ùt comparatum cum *alijs diversi generis*, ordinis, & lineæ, & respectivè manere inæquale; sic licèt formica *in sua linea* crescat, & sit magna, sicut in sua linea crescit elephas, nunquam tamen poterit *adæquare* magnitudinem *suæ* lineæ cum magnitudine *lineæ elephantis*, ut sit magna etiam comparata ad elephantem: Et sic dilectio Dei comparata *cum alijs actibus* virtuosis, est quid *magnum*, comparata tamen *ad minimum peccatum mortale*, est quid *parvum*, & valde improportionatum, quia *principium incrementi* sui est valde exiguum respectivè ad principium incrementi juxta quod crescit offensa DEI: *ergo*.

Ad 2dam Confirm. Neg. Min. Prob. Conc. 1mam partem, & Neg. 2dam. Subsumpti *Dist. 1mam partem.* Non potest dici, quòd peccatum ratione sui sit in ordine unionis hypostaticæ *directè*, *& positivè, permodum effectûs*, aut proprietatis ipsius unionis hypostaticæ, aut alterius perfectionis ponendæ *ex vi ordinis unionis* hypostaticæ *Conc. istam partem unà cum Probatione.* Non potest dici, quòd peccatum ratione condignæ pro se satisfactionis, & *reductivè per modum contrarij*, & mali condignè tollendi non sit in ordine unionis hypostaticæ *Neg. istam partem cum* 29.

U Proba-

Probatione. Quia tantùm illud, quod eſt *primô modô* in ordine unionis hypoſtaticæ, eſt *ſimpliciter infinitum* in genere moris, non verò quod eſt *ſecundò modô* in ipſo. Cæterùm *eadem Probatio*, etiam ſic *diſtinguitur*; Quæ in *ordine unionis hypoſtaticæ ſunt*, ſunt *ſimpliciter*, & *intrinſecè* infinita in genere moris, ſi ſint talia, ad quæ ſe Deus per *ſui communicationem* habet *poſitivè Conc.* ſi ſint talia, ad quæ ſe Deus non habet poſitivè, ſed ſolùm *permiſſivè*, ſicuti eſt malum peccati *Neg. 2dam partem ſubſumpti Conc.* unà cum Probationibus; hinc autem nihil infertur contra nos ponentes peccatum mortale tanquam *materiam* per condignam ſatisfactionem *tollendam*, in ordine unionis hypoſtaticæ, ſicut nihil indecens ſequitur, quòd *peccatum* dicatur eſſe *materia ſacramenti*, & virtutis pœnitentiæ illud *abolentis*.

30. *Objicies 3tiò*: ex eo: *quòd purus homo poſſit ſatisfacere pro debito peccati mortalis.* *Nam imò*: qui facit totum, quantum poteſt, ad nihil amplius tenetur; *ſed* qui ad nihil amplius tenetur ſatisfacit *adæquatè* ſuo debito: *ergo* pura creatura faciendo totum, quantum poteſt, ſatisfacit *adæquatè* pro debito ex peccato mortali contracto.

31. *2dò*: Qui ſolvit totum, ad quod tenetur, ſatisfacit ad æqualitatem, *ſed* talis pura creatura ſolveret totum, ad quod tenetur, cùm ad ultra, *ſcilicet ad impoſſibile*, non teneatur: *ergo*.

32. *3tiò*: Homo purus adæquatè ſatisfacit debito gratitudinis, ſi gratias agat pro beneficijs quantas poteſt; *ergo* etiam adæquatè ſatisfacit debito Juſtitiæ per peccatum contracto, ſi faciat quantum poteſt.

33. *4tò*: Qui reddit totum, quod abſtulit, ſatisfacit adæquatè; *atqui purus* homo per actum Charitatis Dei reddit *totum* Deo, quod ipſi abſtulit per peccatum

catum mortale: *ergo*. *Prob. Min.* Peccatum mortale aufert Deo rationem *ultimi finis* tantùm *affectivè*, *non* autem *effectivè*, ità ut Deus in se ipso desinat esse ultimus finis. *Atqui* actus Charitatis puri hominis reddit Deo *affectivè* rationem ultimi finis, inquantum affectu suo *appretiat Deum super omnia*, quæ non sunt Deus: *ergo*.

5tò: Per illam operationem adæquatè satisfit, 34.
per quam in creditore *tollitur jus* ad ulteriorem satisfactionem exigendam, & in debitore *totum debitum* eam præstandi; *atqui* per contritionem, & actum Charitatis Theologicæ, tollitur in Deo jus exigendi aliam satisfactionem à pura creatura: *ergo*. *Maj. patet*: Instantiâ satisfactionis civilis, ubi *exstincto* jure aliquid exigendi à debitore, censetur *adæquatè* satisfactum creditori. *Min. verò Prob.* Hoc Jus exigendi in Deo satisfactionem, & debitum eam præstandi in homine, *fundatur in peccato*; *sed* contritio, & actus Charitatis Theologicæ tollit peccatum: *ergo* etiam tollit illud jus Dei, & *debitum puræ* creaturæ; implicat enim tolli fundamentum, & remanere fundata in ipso.

6tò denique: *Cum Vasquez Disput. 2. c. 5. & 6.* 35.
Tunc pura creatura adæquatè satisfacit pro offensa Dei, quando ponit actum *æquè* bonum, aut meliorem, ac fuit malus actus offensivus Dei; *sed* actus Charitatis elicitus à pura creatura, est actus *æquè* bonus, imò melior, quàm fuerit malus actus offensivus Dei: *ergo* per ipsum adæquatè satisfacit.

Prob. Min. quoad 1mam partem 1mò: Illud, quod Deo 36.
non minùs placet, ac displicet ejus oppositum, est *æquè* bonum, ac est oppositum malum; *atqui non minùs Deo placet observatio* præceptæ Charitatis, quæ est actus charitatis elicitus, quàm ejus *violatio*, seu of-

fensa eidem displicet: *ergo* actus charitatis à pura creatura elicitus est æquè bonus, ac malus actus offensivus Dei, sibi oppositus. *2dò*: DEUS tantum amat carentiam peccati, quantum odit existentiam peccati; *atqui* actus Charitatis est *carentia activa* peccati: *ergo* tantum illum amat, quantum odit existentiam peccati, & per consequens actus Charitatis erit *tantæ bonitatis*, quantæ *malitiæ* est peccatum.

37. *Prob. nunc eadem Min. quoad 2dam partem, nempe, quòd actus Charitatis elicitus à pura creatura sit melior, quàm fuerit malus actus offensivus Dei*, 1*mò*: Major est complacentia DEI in actu charitatis Theologicæ, quàm displicentia in peccatis, cùm illum *magis præmiet*, quàm hæc puniat: *ergo* etiam major est bonitas in illo, quàm sit malitia in istis. *2dò*: Sicut se habet præmium ad pœnam, sic se habet meritum ad demeritum; *atqui* bonitas præmij, quod debetur *merito* puræ creaturæ, est *major*, quàm *malitia pœnæ*, quæ debetur ejusdem *demerito*: *ergo* etiam actus charitatis Theologicæ à pura creatura elicitus, *superat* bonitate sua malitiam actûs offensivi, adeóque est magìs bonus, quàm sit mala offensa Dei.

38. *Resp. ad 1mum. imò: ex P. Esparza Quæst. 9. ad 9num. Dist. Maj.* Qui facit, quantum potest, ad nihil tenetur faciendum *Conc.* Patiendum *Neg. Maj. Dist. etiam Min.* Qui ad nihil amplius tum faciendum, tum patiendum tenetur, satisfacit *adæquatè* suo debito *Conc.* qui ad nihil amplius faciendum, *sed tamen ad patiendum* tenetur, satisfacit suo debito *subdist.* satisfacit suo debito faciendi *Conc.* patiendi *Neg. Min. & Conseq.* Ex quovis enim delicto oritur ex parte delinquentis non tantùm *absolutum* debitum satisfaciendi, sed etiam *conditionatum* debitum satispatiendi, si scilicet *non possit activè* satisfa-

tisfacere pro offensa, juxta illud: *Qui non habet in ære, luat in pelle*. Ita nempe suffragatur justitiæ commutativæ vindicativa: *ergo*. *Resp. 2dò; Dist. aliter eandem Min.* Qui ad nihil tenetur *per se*, & spectatâ tum injuriâ illatâ, tum jure offensi, adæquatè satisfacit *Conc.* Qui ad nihil tenetur *per accidens* spectatâ impotentiâ satisfaciendi, *adæquatè* satisfacit *Neg. Min. & Conseq.*

Ad 2dum Resp. cum Salmanticensibus num. 200. & Godoy num. 28. Dist. Maj. Sic 1mò; Qui solvit totum, ad quod tum activè, tum passivè tenetur, satisfacit *Conc.* secùs *Neg. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Conseq. 2dò:* eandem *Maj. Dist. sic:* Qui solvit totum, ad quod tenetur attentâ *gravitate debiti adæquatè accepti*, satisfacit *Conc.* Qui solvit totum, ad quod tenetur *non attenta gravitate debiti*, sed potentiâ solventis, satisfacit *subdist.* ad æqualitatem proportionis *Conc.* ad æqualitatem arithmeticam, seu quantitativam *Neg. Maj.* Unde patet *ad Min. & Conseq. Tum*, quia talis *teneretur* imperfectis *infinitum* satisfactionibus satisfacere pro peccato mortali. *Tum*, quia teneretur per alium, si posset, satisfacere. *Tum*, quia teneretur ipse solvere, *si miraculosè* fiat potens, qui nunc impotens est ad solvendum, quarè impotentia *non exstinguit*, sed tantùm *suspendit* obligationem solvendi. *Tum* denique, quia aliàs debens 100. & non potens solvere nisi 50. quæ pendit, imò si nihil potens, nihil solveret, diceretur parum, aut nihil solvendo ad æqualitatem satisfecisse, quod falsum est; *ergo*. 39.

Ad 3tium Resp. Neg. Conseq. Disparitas est: ex Esparza ad 10mum; Quia debitum gratitudinis est tantùm debitum *agendi, & faciendi*, debitum verò Justitiæ ex peccato resultans, est insuper debitum *patiendi*, 40.

endi, si reus non possit ponere actiones *æquantes* gravitatem offensæ: *ergo*. Sed

41. *Dices*. Voluntas reputatur pro opere, juxta commune *axioma*: *ergo* qui *vult* Deo satisfacere, satisfacit, sicut qui vult gratus esse, est gratus pro beneficijs. *Resp. Dist. Ant.* Voluntas efficax, quando scilicet opus *per se*, & quidem moraliter est *in potestate volentis*, & tantùm per accidens, hìc & nunc impediatur, v. g. studium per obedientiam *Conc.* Voluntas inefficax, & quando opus *per se non est in potestate volentis*, Sicut non est adæquata satisfactio pro peccato mortali in potestate puri hominis. *Neg. Ant. & Conseq.*

42. *Ad 4tum Resp. cum Gonet §. 2. num. 16. Mezger num. 6. Dist. Maj.* Qui reddit totum actu *adæquante in suo valore* gravitatem injustitiæ ablationis prout hæc habet rationem *offensæ Conc.* Non adæquante, *sub dist.* satisfacit adæquatè pro re ablata, & *injuria reali* ex re accepta *Conc.* adæquatè satisfacit pro *offensa & injuria personali* illata personæ offensæ per injustam acceptionem, & ablationem illius rei *Neg. Maj. Dist.* etiam *Min.* reddit totum actu *adæquante* suo valore gravitatem *injuriæ personalis, &* injustæ ablationis *Neg.* non adæquante *Conc. Min.* Nam potest quis alteri restituere, quod abstulit injustè, & tamen potest *alter* adhuc *rationabiliter* manere *offensus* propter *specialem contemptum suæ personæ*, qui inerat tali læsioni, v. g. si subditus regi ex sacco auferret florenum, regem non placaret florenum *tantùm restituendo*, quia non adæquatè compensaret ablationem floreni, *prout simul est illatio contemptûs Personæ Regiæ*, neque potest eam sic consideratam compensare, nisì restitutio floreni ablati fiat per *actum honoris adæquantem* suo valore gravitatem contem-

temptûs & *offensæ læsæ Majestatis.* Unde probationis *Min. pariter Dist.* actus charitatis *puri* hominis *reddit Deo* affectivè rationem ultimi finis adæquando sua bonitate & valore gravitatem offensæ divinæ *Neg.* non adæquando *Conc. Min. & Neg. Conseq.* Nam peccatum mortale non tantùm est *aversio* à Deo, sed etiam simul *injuria*, *& offensa personalis Dei*: hinc licet quoad *rationem aversionis* tollatur per *conversionem*, seu actum Charitatis, non tollitur tamen quoad *rationem offensæ*, quia hæc non potest tolli, nisi per *condignam* satisfactionem, quæ *puro* homini impossibilis est: quapropter licèt actus charitatis possit dici æqualis *restitutio* honoris ablati; non tamen est æqualis *satisfactio* pro offensa Dei, & *personali injuria* inde resultante. Restitutio enim propriè significat *redditionem rei ablatæ* etiam *citra* injuriam & offensam personalem, satisfactio autem propriè significat *compensationem injuriæ personalis*, & placationem personæ offensæ, quare restitutio cum satisfactione hìc minimè confundenda est. Sed

Dices: Homo etiam defactò satisfacit per actum charitatis pro offensa Dei: *ergo. Resp. Dist. Ant.* satisfacit ex valore *actui intrinseco Neg.* ex valore *satisfactionis Christi*, quam applicat *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Etenim sicut purus homo actum charitatis eliciens, ex eo, quòd sit *membrum Christi* non sanctificatur sanctitate *personali* verbi divini, ità nec satisfactio illius, ex eo, quòd sit *applicativa satisfactionis* condignæ Christi, valoratur intrinsecè, valore, & condignitate satisfactionis Christi, non enim satis est, *inquit Mendoza §. 17.* applicare, & offerre aliquid *æquale peccato*, imò *neque superiùs*, sed ad satisfactionem requiritur, ut à *persona æquali Deo*, refundente *condignitatem* in satisfactionem offeratur. 43.

Quan-

Quantitas personæ offerentis, *non rei* oblatæ, pensanda est. Hinc *nos non satisfacimus* pro nostris peccatis, quamvis Deo offeramus *Christum*, cujus Mater eum obtulit in templo, & sacerdos in altari; E-contra satisfecit Christus, quando obtulit munus aliquod *leve*, v. g. lachrymam unicam, quia ejusmodi oblatio Christi *ex conceptu formali offerentis*, erat digna æstimatione infinitâ.

44. *Ad 5tum: cum P. Mezger hic num. 8. & Ezparza ad 3tium Dist. Maj.* Per illam operationem adæquatè satisfit, per quam tollitur jus exigendi, & debitum præstandi satisfactionem, propter *intrinsecum valorem*, & æstimabilitatem illius operationis *Conc.* per quam tollitur propter *repugnantiam* cum fundamento *talis juris* & debiti, aut propter aliquam *conditionem* non admittentem justam, & æqualem æstimabilitatem in operatione cum offensa *Neg. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Conseq.* Nam ùt bene notat *Gormaz num. 285. ex Ezparza citato*: Vis deletiva juris vindictæ, & debiti satisfaciendi in actu Charitatis & contritionis, desumitur *ex gratiosâ promissione Dei*, & connexione intentionali actûs Charitatis & contritionis cum ea promissione, non autem ex eo, quod ejusmodi actus *puræ creaturæ sit tantæ magnitudinis*, ac debitum. Conditio verò gratiosæ promissionis, & remissionis *est conditio non admittens* justam & *æqualem* æstimabilitatem actûs charitatis & contritionis cum magnitudine offensæ Dei. *Probationi etiam Dist. Min.* Contritio, & actus charitatis tollit peccatum propter incompossibilitatem *vel* naturalem, *vel* intentionalem cum illo *Conc.* *propter* valorem, & *æstimabilitatem intrinsecam* talis actûs adæquantem magnitudinem peccati *Neg. Min. & Conseq.* Etenim, ut quis dicatur pro peccato

satis-

satisfacere, non sufficit causare formam incompatibilem cum illo, nisi hæc incompatibilitas sit *ratione valoris illi formæ intrinseci adæquantis* gravitatem peccati sub *ratione offensæ*; unde si quis in se produceret gratiam habitualem nedum satisfaceret pro peccato; ubi etiam notandum: quòd etiam *post* contritionem, & gratiam sæpè remaneat aliqua obligatio satisfacendi, adeóque hæc non tollunt ex sua intrinseca bonitate *adæquatè*, & omnimodè, perfectè debitum peccati. *Dixi, incompossibilitatem naturalem, vel intentionalem*, quia cum citato *P. Gormaz* sentio; quòd in hypothesi compossibilitatis absolutæ gratiæ cùm peccato, hæc per contritionem, & actum charitatis inducta, nequeat denominare subjectum sanctum, *& plenè* reconciliatum, *si* Deus *non cedat* juri offensi, quia subjectum in se haberet *in tali casu* ad talem denominationem *resistentiam prævalentem*, & provenientem ab inhonoratione à se in Deum commissa, ad eum vix non modum, quô gratia habitualis non reddit Christum filium Dei *adoptivum*, quia invenit *resistentiam* prævalentem ratione *filiationis naturalis*.

Ad 6tam denique Dist. Maj. Quando ponit actum æquè bonum in ratione *satisfactionis*, ac fuit malus actus offensivus Dei in ratione *offensæ Conc. Maj.* Quando ponit actum *æquè* bonum in ratione entis, aut in ratione *meriti*, ac fuit malus actus offensivus Dei in ratione *entis, aut demeriti Neg. Maj.* & in sensu hujus Distinctionis *Neg. Min. Ad cujus probationem quoad 1mam partem vel Neg vel ità Dist. Min.* Non minùs placet, considerando utrumque *quasi physicè, & in genere entis*, vel considerando observationem, & *actum Charitatis* in ratione *meriti*, & *violationem* ejus, seu offensam in ratione *demeriti Conc.* consi- 45.

derando actum Charitatis in *ratione satisfactionis*, & offensam in ratione *offensæ* *Neg. Min. & similiter Conseq.* sicut enim *pejus* est principem *occidere*, quàm *laudabile* sit *servare præceptum* non occidendi eundem, ità *pejus* est Deum *offendisse*, quàm *amatum fuisse à mancipio* ex præcepto, adeoque *non tantum* placet Deo dilectio, *quantum displicet* ejus omissio peccaminosa, in quantum est *offensio* Dei. *Ratio* autem est: quia *dilectio placet ùt meritoria*, & *obsequiosa*, *seu honorativa*, omissio verò ùt *inhonorativa*, & cùm sit major inhonoratio, quàm obsequium, & honor *à pura* creatura Deo præstabilis; *nequit complacere* Deus *tantum* in dilectione honorativa, *quantum displicet* omissio ejus inhonorativa.

46. *Dices.* Deum displicere in ea omissione, est nolle eam omissionem existere; *sed* nolle eam omissionem existere, est velle existere dilectionem; *ergo* quantum vult ut non existat omissio, tantum vult, ut existat dilectio, & per consequens tantum complacet in ista, quantum displicet in illa: *ergo. Resp. Dist. Maj.* Est nolle juxta magnitudinem suæ lineæ *Conc.* alterius lineæ *Neg. Maj. & Dist. similiter Min. & Neg. Consequ.* Licèt enim nolle omissionem dilectionis, sit nolle inhonorationem Dei, simulque sit velle dilectionem, & honorationem Divinam, attamen ille ipse actus Divinus prout tendit ad inhonorationem, respicit *lineam superiorem*, quæ crescit ex ipsa magnitudine Dei, & prout tendit ad honorationem, respicit *lineam inferiorem*, quæ ex ipsa magnitudine Dei decrescit: *ergo.*

47. *Ad secundam probationem primæ partis num. 36. positam: Resp. Dist. Maj.* Deus tantum amat carentiam peccati *adæquatam*, quantum odit peccatum *Conc.* inadæquatam *Neg. Maj. Dist. etiam Min.* actus charita-

ritatis est carentia activa peccati commissi *inadæquata Conc.* est carentia activa *adæquata Neg. Min. & Conseq.* Nam peccatum commissum non tantùm perseverat, & existit *in carentia retractationis*, quæ tollitur per actum Charitatis, sed etiam *in jure vindictæ, quod* Deus habet & in reatu, seu debito sustinendi offensam, & vindictam Dei, cujus debiti subjectum est peccator, quod jus, & debitum ex suo *intrinseco valore* non exstinguit charitas puræ creaturæ.

Ad primam probationem ejusdem Min. quoad 2dam partem Resp. Neg. Maj. unâ cum causali. Non enim ideo Deus magis præmiat actum Charitatis, & minùs punit offensam, *quia sibi magis complacet* in actu Charitatis, quàm displiceat in offensa, *sed ideo*, 1. Quia *complacentia ad* conferendam gloriam, *respicit gloriam ùt finem actûs Charitatis ùt meritorij*, & hunc actum respicit *ùt medium* ad talem finem, cùm autem finis sit nobilior puris medijs, idcirco ex complacentia actûs Charitatis *ùt meritorij*, subsequitur gloria, quæ melior est tali mediô, & meritô. *E contra verò displicentia* de peccato, ex qua infertur pœna, non respicit pœnam *ùt finem peccatorum*, sed ùt *medium* destinatum ad fugienda peccata; cùmque *purum medium* non debeat esse nobilius fine, idcirco licèt *displicentia de peccato* sit longè major, quàm *complacentia* de actu *meritorio* Charitatis, nihilominus ex *complacentia minori* de merito Charitatis, sequitur *gloria major*, & ex displicentia *majori* de peccato, subsequitur pœna minor. *2dò*: Quia quòd Deus præmiet ultra, & puniat infra condignum, non solùm provenit ex natura *medij*, *& finis*, sed provenit etiam partim ex natura *Magnificentiæ*, partim *misericordiæ divinæ*. Nam 48.

de ratione *magnificentiæ est*, etiam parva merita compensare *majoribus respectivè præmijs*, & de ratione misericordiæ est, *magna demerita* vindicare, *minoribus respectivè pœnis*. *Accedit*: quòd in præsenti non controvertatur de actu Charitatis ùt *meritorio*, & de peccato *ùt demeritorio*, sed controvertitur de actu Charitatis (idem est de quocunque bono opere puræ creaturæ) ùt *satisfactorio*, & de peccato ùt *est offensa*, *contemptus*, & *injuria personalis Dei*, quæ formalitates valde distinguendæ sunt: nam meritum Angeli non erat satisfactorium, & in casu, ubi pro operibus creaturæ nullum fuisset *præfixum præmium*, aut pœna, *opus bonum non fuisset meritorium*, nec *malum demeritorium*, unde, licèt detur, quòd major sit complacentia Dei in actu Charitatis ùt *meritorio*, quàm sit displicentia Dei in peccato, ùt *demeritorium*, & inductivum pœnæ est; minùs tamen sibi complacet in actu Charitatis, ùt *satisfactorio*, quàm displiceat in peccato, ùt *offensa divinæ Majestatis* est, nam sic satìs probabiliter invertitur ordo, ità ut actus Charitatis sub *formalitate meriti* spectatus sit *melior*, quàm peccatum malum sit spectatum sub *formalitate demeriti*, & iterum, ut idem actus sub *formalitate satisfactionis* spectatus non sit melior quàm peccatum malum sit, spectatum sub *formalitate offensæ*, & injuriæ personalis Dei, sic enim jam respicit *aliud objectum* scilicet *personam*, *quam offendit*, non verò *pœnam*, quam incurrit, sicuti in materia de spe dicimus inverti ordinem objectorum respectu spei *sub diversa formalitate* consideratæ, nam objectum formale spei ùt importat actum *desiderij*, est *bonitas respectiva*, non verò *potentia auxiliatrix*, ùt verò importat *erectionem animi*, est *potentia*, non verò *bonitas respectiva* permodum finis

desi-

desiderata, fitque, ut illud quod modò ab illo actu spei attingitur ùt objectū *formale*, & magìs amatur, deinde sub *alia* formalitate, & reduplicatione ab actu spei attingatur ùt *materiale* & *saltèm explicitè minùs* ametur, atque ità unus idem actus sit *magìs*, & *minùs* amans sub diversa formalitate.

Ad 2dam Prob. ejusdem Min. Resp. imò: Transeat totus syllogismus: & absolutè Neg. vel sic Dist. 2dam illationem: superat malitiam actûs offensivi *ùt offensivi Neg.* ùt *demeritorij transeat.* Non enim in præsenti comparanda est formalitas *meriti*, quæ est in actu bono, cum formalitate *demeriti*, quæ est in actu malo, sed formalitas *satisfactionis*, quæ est in actu bono, cum formalitate *offensæ & contemptûs personæ* divinæ, quæ est in peccato mortali, hæ autem formalitates diversæ, *diversa* quoque respiciunt objecta, *meritum* enim respicit *præmium*. *satisfactio personam offensam*, *demeritum* pœnam, & *offensa* itidem personam offensam, sed aliter, quàm satisfactio, quia offensa juxta *magnitudinem personæ* offensæ *crescit*, satisfactio verò *decrescit*, atque ità præstita à persona *minore*, quàm sit *persona offensa*, non potest bonitate sua malitiam, & magnitudinem *offensæ quâ talis* adæquare: licèt possit bonitate sua, ùt *meritoriâ excedere* malitiam offensæ ùt *demeritoriæ*, & inductivæ pænæ, quia *meritum non respicit æqualitatem* personæ merentis cum persona præmiantis. Ubi accedit: quòd efficacia meriti in actu secundo non habeatur præcisè ex *bonitate operis*, sed simul ex *liberali acceptatione* prœmiantis: Econtra est in satisfactione. *Dixi autem transeat, & in superiore 2da Responsione satis probabiliter*: quia *Gormaz n. 20. alijque cum Ariminensi & Peretz* tenent, quòd etiam in ratione *demeriti* major sit malitia pec- 49.

cati

cati mortalis, quàm sit bonitas meriti puræ creaturæ, quia tale meritum meretur prœmium *determinatum ad certos* gradus, peccatum verò in ratione demeriti tantum est, ut mereatur privationem *cujuscunque gradûs gloriæ &c.*

50. *Objicies 4tò*: ex eo: *quòd Deus possit puræ creaturæ conferre tantam gratiam, quæ sufficiat valorare satisfactionem puræ creaturæ & æqualitatem cum offensa Dei. Nam imò*: Potest Deus creaturæ gratiam infundere *infinitè intensam*; *sed* actus talis creaturæ condignificatus per gratiam infinitam, esset condigna, & æqualis satisfactio pro offensa Dei, quia esset *à supposito infinitè grato* procedens; *ergo. 2dò*: Potest Deus actui puræ creaturæ conferre *tantam gratiam habitualem*, quantam contulit *Christo*; *atqui* Christus satisfecit pro peccato alieno *satisfactione æquali*: *ergo* etiam talis *pura creatura* potest *æqualiter* satisfacere pro offensa. *3tiò denique*: Poterat Deus post lapsum Adami creare alium hominem in gratia originali constitutum, qui non peccâsset in Adamo, eúmque facere caput hominum: *atqui* talis potuisset pro omnibus satisfacere: *ergo. Prob. Min.* Potuit Adam suô peccatô *omnes homines inficere*: *ergo* etiam posset talis *novus Adam bonis suis operibus* satisfaciendo æqualiter pro offensa, *omnes reficere.*

Resp. ad 1mum. Transeat Maj. Neg. Min. Quia licèt etiam talis actus esset infinitus intensivè, sicut supponitur gratia esse; & procederet à supposito infinitè grato, quia tamen *illius infinitas adhuc esset inferioris ordinis & lineæ, quàm sit gravitas offensæ divinæ*, ideo nedum posset esse *æqualis* satisfactio pro tali offensa, licèt offensa non sit infinita, sicut supponitur illa gratia. *Deinde* observant *Salmant. num.*

119.

119. quòd, quia in tali casu gratia quæ *permittitur* ùt infinita, non dignificaret opera talis hominis per-modum *suppositi*; sed permodum *habitûs influentis* cum potentijs, quòd, *inquam*, gratia nullam influere posset infinitatem, aut superioritatem in talem actum, ut sit *æqualis* satisfactio pro offensa Dei, quia satisfactio ex natura sua petit *dignificari, & crescere à supposito.* Unde sicut *defactò* opera ab homine justo elicita non semper *adæquant intensionem*, & valorem gratiæ habitualis, sed commensurantur *actuali ejus*, & potentiarum influxui, ità etiam contingeret in illo casu: *Hinc ad causalem potest dici imò sic:* procederet à supposito infinitè grato *infinitate inferioris ordinis*, ac est gravitas offensæ Divinæ, sive hæc sit finita, sive infinita *Conc.* ejusdem ordinis *Neg.* 2*dò*: sic: procederet à supposito infinitè grato infinitate se tenente ex parte *rationis formalis constitutivæ suppositi in ratione suppositi*, adeoque procederet formaliter, & reduplicativè à supposito infinitè grato, cadente nimirum infinitate supra suppositum reduplicativè sumptum *Neg.* infinitè grato, cadente infinitate reduplicativè *supra gratiam*, & tantùm specificativè, & *connexivè super rationem constitutivam* suppositi, à qua primo & per se petit æstimari honor, & valor satisfactionis *Neg.*

Ad 2dum Transeat Maj. Dist. Min. Christus satisfecit satisfactione æquali pro offensa ratione *personæ suæ divinæ* infinitè dignificantis opera satisfactoria Christi *Conc. præcisè* ratione *gratiæ habitualis* secundùm se spectatæ *Neg. Min. & Conseq.* Nam gratia, & Charitas in Christo, inquit *Philippus à SS. Trinitate Dub. 6. ad 2dum* concurrunt quidem ad ejus operationes satisfactorias, sed ad infinitatem, & valorem satisfactionis concurrit tantùm *persona Divina Chri-*

sti

sti infinitè digna, & ad summum gratia, & Charitas *ùt conjunctæ tali* personæ, non autem ùt *secundùm se spectatæ*: unde quantumcunque in *pura* creatura augeantur gratia, & Charitas, quia nunquam erunt infinitæ, aut *æqualis* lineæ cum offensa, non poterunt esse principium perfectè, & *adæquatè* satisfaciendi.

Ad 3tium Neg. Min. Prob. Neg. Conseq. Disparitas est 1mò: Quia nullum bonum opus puræ creaturæ potest adæquare valore suo malitiam peccati mortalis *sub ratione offensæ*, ob rationes sæpiùs dictas; potest autem peccatum unius, esse peccatum alterius, si iste in *alterius voluntate sit moraliter inclusus*, sicut omnes posteri erant inclusi in voluntate Adami. 2*dò*: Quia satisfacere pro offensa, est *de genere boni*, sicut suscitare à mortuis est *de genere boni*, peccatô inficere est de *genere mali*, sicut occidere est de genere mali; *sed* quia occidere est de genere mali, potest homo viribus naturæ se, & alium occidere, non tamen suscitare; *ergo* etiam potest se & alios peccatô *inficere*, non tamen *condignâ* satisfactione *reficere*. Sed

51. *Dices*. Si homo non posset per seipsum satisfacere pro peccato suo, haberet *majorem*, & *non æqualem* potestatem perdendi, quàm recuperandi gratiam; *atqui* videtur dedecere providentiam Dei, ut dederit homini *majorem* potestatem perdendi, quàm recuperandi gratiam: *ergo*. *Prob. Min. 1mò*: *Quia Ezechielis* 18. æqualis videtur tribui potestas justo ad perdendam gratiam, & impio ad eam recuperandam his verbis: *Cùm averterit se justus à justitia sua morte morietur, & cùm averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit. ergo. 2dò*: Quia à providentia Divina *major*, & *fortior* posita est

est virtus in voluntate ad bonum, quàm ad malum: *ergo*. *Prob. Ant.* Natura voluntatis imitatur naturam intellectûs; *atqui* in intellectu fortior est virtus *ad actus rectos*, per *quos immobiliter* adhæret objecto, quàm ad actus *irrectos*, per quos non *immobiliter* adhæret objecto: *ergo* etiam in voluntate &c. *Resp.* 1*mò*: hoc argumentum sapere Pelagianismum & *nimis multum probare*, probat enim; quòd, sicut homo non indiget gratiâ Dei ad peccandum, ità nec indigeat gratiâ Dei ad resurgendum ex peccato. *Resp.* 2*dò*: *Neg. Maj.* licèt enim homo non haberet potestatem *satisfaciendi* pro peccato suo, tamen habet potestatem *supernaturalem sibi applicandi satisfactionem*, & recuperandi gratiam; potestatem autem perdendi gratiam tantùm habet *naturalem*, quia autem *supernaturale majus* est naturali, idcirco *potestas peccandi minor* est, quàm *recuperandi gratiam* puri hominis, in ordine suo. *Resp.* 3*tiò Dist. Maj.* Et non æqualem quoad *libertatem* ad utrumque *Neg.* quoad *recuperationem* gratiæ ex viribus *proprijs*, sicut habet potestatem perdendi ex proprijs *Conc. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Conseq.* 1*mæ Prob. Min. pariter explico Ant. & Neg. Conseq.* Nam in citato textu non continetur, nisi *libertas æqualis ad vitam & mortem* ex voluntate creata, & æqualis infallibilitas vitæ, & mortis consecuturæ ex conversione & aversione hominis, & non negatur *dispar* origo, & *dignitas operis boni*, quod nempe sit *supernaturale*, adeoque essentialiter à principio supernaturali procedere debeat, & operis mali, eo, quòd hoc sit naturale, & à principio naturali eliciatur. Neque propterea minùs providè, & beneficè actum est cum natura humana, quia potest concipere tantam spem de liberalitate, & misericordia Dei semper opportunè

 tunè

tunè subventura, & suppletura defectum suæ dignitatis, quantum potest concipere metum de sua fragilitate, & casu ex ea proventuro. *Ad secundam Prob. Min. Dist. Ant. cum P. Gormaz num.* 295. quatenùs per id significatur centrum voluntatis non esse *malum*, sed *bonum Conc.* Quatenùs per id significatur habere *potestatem ad resurgendum* ex *solis* viribus naturæ à malo peccati mortalis *Neg. Ant. & Conseq. Prob. Dist. Maj.* imitatur quoad aliqua *Conc.* quoad omnia *Neg. Maj.* & Permissa *Min. Nego Conseq. Disparitas est* ex eo; quòd intellectus non sit potentia *libera*, sed voluntas, & sic quantùm ad libertatem, voluntas intellectum eâ carentem imitari non potest, qui utique est potentia necessaria, cujus exercitiô veritas *sinè mixtione* ulla falsitatis proposita non opponitur, sed illi ità proportionatur, ut ei *necessariò* adhæreat. Econtra verò, exercitiô liberô, *& meritoriô voluntatis opponitur* bonitas *sinè omni* admixtione mali proposita, quia hæc ità voluntatem *raperet*, ut simul libertatem *everteret requisitam* ad rationem *meriti*; unde non potest *ità firmiter*, & simul *liberè* adhærere tali bonitati. *Diximus permissâ Min.* quæ sanè falsa est. Nam, quod intellectus *rapiatur* ab evidentiâ clarè própositâ, non probat *majores vires* in intellectu, si *ex naturâ suâ* intellectus evidentiam illam *non exigat*, sicut intellectus Divinus, & creatus *ùt elevatus* lumine gloriæ illam exigunt. Imò potiùs probat majores *vires in evidentia*, quibus intellectus rapitur quin veritati *evidenter* propositæ *dissentiri* possit, sicut si homo debilis rapiatur à forti, non probat, quòd sint fortiores vires in debili quam in forti. *Resp. 4tò: Neg. Min. argum.* sicut enim non dedecet providentiam Dei in ordine *naturali*, quòd homini dederit poténtiam naturalem *amittendi*

di vitam corporalem, licèt eidem non dederit potentiam naturalem *recuperandi* vitam perditam, sic non dedecet providentiam Dei in ordine supernaturali, quòd homini dederit potentiam *viribus proprijs perdendi* vitam spiritualem seu gratiam, licèt non dederit potentiam *eam recuperandi*, vel maximè cùm defactò dederit Deus homini potentiam recuperandi gratiam *per applicationem meritorum*, & satisfactionis Christi, de qua *sola* loquitur *Ezechiel.*

Objicies 5tò : ex eo : *quòd juxta hæc principia sequatur, neque inter homines subditum posse satisfacere pro offensa suo regi à se illata.* Nam juxta nos *ad condignam* satisfactionem pro offensa requiritur *æqualis dignitas* inter personam offensam, & satisfacientem; *atqui* subditus non est æqualis *dignitate suæ personæ* vilis, dignitati personæ, & Majestatis Regiæ à se offensæ : *ergo*. *Resp. Dist. Min. subditus* non est æqualis suo regi quoad *dignitatem accidentalem Conc. substantialem Neg. Min. & Conseq.* Rex & subditus sunt æqualis dignitatis *substantialis*, quæ reperitur in persona humana, nam rusticus est tam *bene persona humana*, quàm Rex, potest enim ex rustico fieri Rex, adeóque Rex non est *altioris simpliciter* lineæ & ordinis, licèt sit superior rusticô *secundùm quid*, quoad dignitatem nempe *accidentalem officij* Regij, hæc autem accidentalis eminentia potest adæquari, imò *superari à rustico in alia* ratione accidentali; quia rusticus liberando Regem à morte fieret *ejus salvator*, & eatenùs *superior*, quô casu etiam *superabundanter satisfacere* censeretur pro quacunque offensa regi illata. At verò pura creatura non potest in ulla *ratione esse æqualis* personæ divinæ utpote *à qua infinitè* distat : *ergo*. Unde axioma : *quòd nulla satisfactio inferioris possit esse condigna pro offensa superioris*, limi- 52.

tandum est: ad superiorem *infinitum*, & inferiorem *finitum*. Sed

53. *Dices*. Etiam purus homo potuisset Christum à periculo mortis liberare; *ergo* saltèm talis purus homo potuisset condignam satisfactionem Deo exhibere, *conservando infinitam* vitam Christi. *Resp. cum Amico Disput. 5. sect. 3. num. 139. Neg. Ant.* Quia ut aliquis dicatur alium à periculo *mortis liberare*, requiritur, ut is, qui liberatur, sit *impotens se ipsum à morte* liberare, nam tunc censetur *moraliter ab altero* vitam accipere, quando illam in sua potestate non habet: *ergo*.

54. *Objicies 6tò*, ex eo: *quòd ex nostris principijs sequatur, quòd neque Christus condignè satisfacere potuerit pro offensa à puro homine Deo illata.* Nam juxta nostra principia ad satisfactionem condignam requiritur *æqualitas* inter satisfactionem, & offensam; *atqui* satisfactio Christi non potuit esse æqualis offensæ Divinæ; *ergo*. *Prob. Min.* Quod essentialiter excedit alterum, aut essentialiter deficit à quantitate alterius, non potest esse æquale illi alteri, *sed* satisfactio Christi 1mò: *essentialiter* excedit offensam Dei, & 2dò: *essentialiter in quantitate* ab illa *deficit*: *ergo*. *Prob. hæc Min. 1mò. quoad 1mam partem.* Offensa non est tantum malum, quantum est opus Theandricum Christi, quia hoc est intrinsecè, & simpliciter moraliter infinitum, illa autem tantùm est *extrinsecè*, & secundùm quid infinita, *&* *duntaxat altioris* ordinis: *ergo*. *Prob. nunc eadem Min. quoad 2dam partem 1mò*: Quia satisfactio Christi *non æquè* placet Deo, ac ejus increata bonitas, & persona per peccatum offensa: *ergo*. 2dò: Quia per peccatum offenditur Deus *in seipso*, ùt est Deus, & in propria natura, Christus autem non satisfacit ùt Deus, sed *ùt homo*, *&* *in*

in natura creata, quæ est inferior Deo: *ergo valor satisfactionis* Christi non habet *adæquationem* cum gravi offensa Dei. *Resp. Dist. Maj.* requiritur æqualitas *sinè defectu* ex parte satisfactionis *Conc.* requiritur æqualitas *sinè excessu* subdist. si illa sit possibilis *Conc. secùs Neg. Maj.* Ad satisfactionem condignam non requiritur quidem opus *majoris bonitatis*, quàm sit malitia offensæ, *directè & per se*, requiritur tamen quandoque *indirectè*, & per accidens, quando scilicet *non est possibilis æqualitas* bonitatis in satisfactione *absque excessu*, atque ità contingit in satisfactione pro offensa Dei. *Unde patet ad Min. cujus Prob. Concessa 1ma parte Neg. 2dam. Et hujus Prob. 1mæ Neg. Conseq.* Licèt enim satisfactio Christi non æquè, sed minùs placeat Deo, ac ejus increata bonitas, & persona offensa, magìs tamen eidem placet satisfactio Christi, quàm offensa personæ & bonitati increatæ illata ei displiceat, quia satisfactio Christi *convenit Deo physicè, & elicitivè*, offensa verò *moraliter*, extrinsecè, & terminativè. *Ad 2dam ejusdem partis Prob. Dist. imò primam partem Ant.* Per peccatum offenditur Deus in seipso ùt est Deus, ità ut se Deus ad offensam habeat purè permodum subjecti *denominationis extrinsecæ*, & permodum termini *Conc.* ut se habeat permodum subjecti *physicè recipientis*, aut principij ex propria determinatione elicientis offensam *Neg. Dist. etiam 2dam partem hujus Ant.* Christus non satisfecit ùt Deus *divinitate in abstracto* accepta, sed ùt homo, &c. *Conc.* Non satisfecit ùt Deus divinitate *in concreto humanitatis* accepta *subdist.* non satisfecit ùt Deus, sed ùt homo permodum principij *quô* physicè subjectivi, & elicitivi operationis satisfactoriæ *Conc.* non satisfecit ùt Deus permodum principij *quod*, & formæ valoran-

 tis

tis operationem satisfactoriam etiam supra malitiam offensæ *Neg. Ant. & Consequ.* Nam valorem suum in morali æstimatione hominum infinitum habet satisfactio Christi *ex eo*, quòd Persona Divina subsistens in natura humana *se subjiciat creditori* se dans in satisfactionem pro offensa eidem illata; quæ submissio à Persona Divina elicita, eíque saltèm *mediatè physicè unita*, certè non est inferioris, sed *superioris ordinis*, quàm offensa, quæ non à Deo, sed à creatura procedit, ità *Salmantic. num.* 199.

THESIS V.

Purus homo in gratia constitutus potest satisfacere pro malitia sui peccati venialis. Ità *Communis Theologorum, quam* seqvuntur *Salmanticenses Tract.* 21. *Disput.* 1. *num.* 129. Lorca *art.* 2. *Disput.* 5. *Joannes à S. Thoma Disput.* 1. *art.* 4. *Godoy Disput.* 4. *§.* 10. *num.* 39. *Contenson Lib.* 9. *Dissert.* 2. *Cap.* 1. *speculat.* 3. *& Alij contra Gerson, Almainum, Petrum soto, Parra, & nonnullos alios.*

1. PRob. Ex eo: *quòd malitia peccati venialis non sit propriè offensa Dei.* Unde sic: Ideo *pura* creatura non potest condignè satisfacere pro peccato mortali, quia est *propriè offensa Dei*; *atqui* peccatum veniale *non est propriè* offensa Dei: *ergo. Maj. est certa Min. Prob.* offensa propriè, & simpliciter dicta est illa, quæ *tollit amicitiam*, & ex qua offensus Deus acquirit jus *ad odiô habendum* offensorem, quæ propriè *contemnit* Deum, *postponendo* illum bonis creatis, & quæ propriè *avertit à fine ultimo.*

timo. *Atqui* peccatum veniale 1*mò* : non tollit amicitiam cum Deo, quia *nullum aufert gradum gratiæ*, & Charitatis. *Nec 2dò* ex illo acquirit Deus jus *ad odio habendum* delinquentem, quia aliàs *justè posset odisse amicum*, imò eô ipsô peccatum veniale *perderet essentiam* peccati *venialis*, & transiret in mortale. *Neque 3tiò* : propriè contemnit Deum postponendo illum bonis creatis, sed *minùs actualiter*, & explicitè anteponendo alicui bono creato, quia contemptus, qui in veniali virtualiter includitur, non versatur *immediatè circa increatam Majestatem Dei*, sed circa *aliquid* Dei, adeóque circa *bonum creatum*, nempe circa fervorem Charitatis, quem operans debebat in sua operatione habere, adeóque contemptus peccati non cadit *immediatè in Personam* Dei, sed in illud *bonum creatum*, quia hoc, & non ipse Deus secundùm se voluntariè per peccatum veniale deseritur. *Neque denique 4tò* : avertit à fine ultimo, quia peccans venialiter, retinet *totam adhæsionem*, & conversionem *habitualem ad Deum*, tanquam finem ultimum, & præcisè afficitur *inordinatè medijs*, non quidem *positivè recedendo* à fine ultimo, sed tantùm *non accedendo* : *ergo* peccatum veniale non est propriè, & simpliciter offensa, aut contemptus Dei, sed est *levis* quædam *inordinatio actûs*, per quam *peccans non accedit actu* ad finem ultimum, seu est transgressio legis *non avertens*, *sed tantùm divertens* à fine ultimo, etsi sit avertens à bono *illo creato* immediatè *per legem intento*, ùt v. g. leve mendacium avertit à bono veracitatis debitæ actui in esse.

Confirm. ex Contenson citato. Offensa propriè, & simpliciter talis non est *à puro* homine per principium intrinsecum *integrè reparabilis*, quia aliàs ex ipso posset homo purus pro ipsa satisfacere, *offensa* e- 2.

nim

nim nequit integrè ab *intrinſeco* reparari, niſi *per ſatisfactionem*; *atqui* peccatum veniale eſt *per principium intrinſecum* reparabile, quia relinquit habitum charitatis, & gratiam ſanctificantem, quæ ſunt principia per ſe reparativa omnis defectûs moralis, *ùt docet S. Thomas 1mâ 2dæ Quæſt. 88. art. 1. in* ⊙: *ergo* non eſt offenſa propriè, & ſimpliciter dicta: *ergo.*

3. *Confirm.* 2. Offenſa propriè dicta, & ſimpliciter talis, eſt *altioris ordinis*, quàm ſit actus *gratioſus puræ* creaturæ, *ſed* peccatum veniale non eſt altioris ordinis, quàm ſit actus gratioſus puræ creaturæ; *ergo* non eſt propriè offenſa Dei. *Prob. Min.* Malitia peccati venialis non creſcit juxta *dignitatem perſonæ divinæ*, ſed tantùm *boni creati per legem intenti, cui immdiatè* opponitur; *atqui* illud bonum creatum *non eſt altioris ordinis*, quàm ſit ipſe homo, & actus ejus gratioſus, *ergo.* *Ex quo habetur*, quòd peccatum veniale *non ſit infinitum ſecundùm quid*, ſicut mortale, quia non eſt *immediatus* contemptus *perſonæ ſimpliciter infinitæ.*

4. *Objicies 1mò.* Ex eo: *quòd peccatum veniale ſit propriè offenſa Dei.* Purus homo non poteſt ſatisfacere pro offenſa Dei propriè tali; *ſed* peccatum veniale eſt offenſa Dei propriè talis: *ergo.* *Prob. Min. 1mò.* Peccatum veniale eſt *propriè peccatum* licet leve: *ergo* etiam eſt *propriè offenſa*, licèt levis. 2dò: Unde probatis, quòd ad rationem offenſæ propriè talis *eſſentialiter* requiratur *ſublatio amicitiæ divinæ*: *ergo* non eſt ratio quare peccatum veniale non ſit offenſa propriè talis, licèt levis. *3tiò.* Inter creaturas rationales ſibi invicem amicas dantur offenſæ *propriè dictæ*, licèt *leviores*; *ergo* etiam in homine ad Deum dabitur peccatum veniale, quòd ſit offenſa *propriè dicta*, licèt *levis.* 4tò; Ad offenſam propriam con-

tra

tra Deum *sufficit* actio *displicens Deo*, & quæ est *im-*
mediatè contra ejus voluntatem; *sed* peccatum venia-
le est actio displicens Deo, & *immediatè* contra ejus
voluntatem: *ergo est* offensa *propriè* talis. 5tò. Qui
Deo, & legi divinæ *præfert* bonum temporale *pro-*
priè contemnit, adeóque *propriè offendit* Deum; *sed*
peccans venialiter, *præfert* legi divinæ bonum tem-
porale, pro quo peccat; *ergo est propriè* offensa Dei.
Confirm. Saltèm peccatum veniale est contra Deum
ùt *legislatorem*, seu contra *legem Dei*: *ergo est con-*
temptus DEI ùt *legislatoris*, seu legis divinæ, & per
consequens offensa *propriè talis*. 6tò: Juxta vos il-
lud est offensa propriè talis, quod est *contra amiciti-*
am Dei; *sed* peccatum veniale est *contra* amicitiam
Dei: *ergo*. *Prob. Min.* Peccatum veniale *minuit* fer-
vorem Charitatis; *sed* Charitas est amicitia: *ergo*
minuit amicitiam Dei, adeoque est offensa contra a-
micitiam Dei. 7mò: *Abusus* libertatis creatæ est
propria offensa Dei, quia est propriè injuria facta
Deo, Deus enim ùt supremus Dominus habet *jus pro-*
priè dictum in libertatem creatam; *atqui* peccatum ve-
niale est *abusus libertatis* creatæ invito Domino Deo:
ergo est propria offensa Dei. 8vò: Quod est *contra*
honorem Dei, est propriè offensa Dei, *atqui* peccatum
veniale est *contra honorem* Dei, quia per illud non
honoratur Deus, ùt patet: *ergo*. 9nò: Veniale *exi-*
git satisfactionem; *atqui* quod *exigit satisfactionem*
est offensa propriè talis: *ergo* peccatum veniale est
offensa propriè talis. 10mò: *denique, Trident. sess. 6.*
c. 11. dicit: quòd Deus remittat offensas *tum* gravio-
res, *tum leviores*: *ergo* cùm peccatum veniale non
sit offensa gravior, erit offensa *levior propriè tamen*
talis, sicut mortale est offensa *gravior propriè* talis.

Resp. ad argumentum Neg. Min. Ad 1mam Probatio- 5.

nem Neg. *Conseq. Disparitas est*: quia cùm peccatum veniale sit etiam dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam, aut cùm sit *transgressio libera legis divinæ*, idcirco eidem convenit *ratio peccati ut sic*, quam ponit *S. Thomas 1mâ 2dæ Quæst.* 71. *art.* 6. *ex S. Augustino*. Cùm autem è contra peccatum veniale sit contemptus *immediatus boni alicujus creati*, quod præcipitur, & deseritur, *non* autem ipsius *personæ divinæ*, quem contemptum tamen *offensa DEI essentialiter* importat, ideo veniale non est offensa propriè talis.

6. *Ad 2dam Probationem dico*: Nos probare, quod ad rationem *offensæ* propriè talis requiratur *essentialiter* sublatio *amicitiæ* Divinæ ex contemptu Dei per offensam, Nam contemnere Deum, est *illum deserere, ab illo omnino separari, in alio ultimum finem constituere, & esse reum odij Divini*, quæ separatio, & reatus odij Dei offensi sinè dubio est sublatio amicitiæ Divinæ, seu conjunctionis cum Deo. Cùm igitur *venialiter peccans* à Deo *simpliciter non separetur*, eumque non contemnat, aut deserat, manet enim *habitu dilectionis conjunctus cum illo*, idcirco non dicitur propriè offendere Deum, aut deseri à Deo juxta illud *Trident. & SS. PP. Nunquam Deus deserit, nisi deseratur à creatura. Ubi Teste Amico Disput. 5. sect. 6. num. 224. To deseratur* sumitur pro *omnimoda separatione* à Deo, importante odium Dei, *Unde Neg. Conseq.*

7. *Ad 3tiam Transeat Ant. Neg. Conseq. Disparitas est*: ex Dignitate, & excellentia creaturæ limitata, comparata ad illimitatam, & increatam, cujus *ob infinitam distantiam* non potest dari vilipensio, & *contemptus propriè dictus*, qui sit *levis*, & non sit crimen læsæ Majestatis Divinæ. Dixi *Transeat Ant.* Tum, quia

neque

neque inter amicos purè creatos, omnes illæ actiones, *quæ displicent*, sunt offensæ etiam *leves propriè dictæ*, quia possunt esse tales, ut non sint oppositæ excellentiæ amici, & contemptivæ illius. Tum, quia plures cum *Amico citato num.* 222. dicunt non posse Regem in Regia persona *leviter à rustico offendi*, quia omnis *contemptus* quantumvìs *minimus* Regiæ Majestati *à rustico* factus æstimatur *gravis offensa* Regis. Cæterùm potest in rebus extrinsecis graviter quis peccare contra Regem, quin hoc peccatum sit *gravis offensa*, *aut propriè dicta offensa Regis*, non verò potest quis graviter in rebus extrinsecis peccare contra Deum, quin hoc peccatum sit *propriè dicta*, offensa Dei, & contemptus, *virtualis* saltèm Majestatis Divinæ, quia nulla res potest eximi à Dominio Dei, utì potest eximi à Dominio regis. Quare tunc solùm dicitur Deus in *rebus extrinsecis* leviter offendi, quando contemptus rei extrinsecæ nullô modô involvit *contemptum Dei*, & *imminutionem positivam Dominij ipsius*, licèt circa res, quas adhuc relinquit sub Dominio Dei, *inordinatè* procedatur.

Ad 4tum imò Dist. 1*mam partem Maj*. Ad offensam propriam sufficit actio displicens Deo, ùt *opposita Divinæ Dignitati*, & excellentiæ, cujus est contemptiva *Conc*. ùt opposita tantùm alicui *bono creato* per legem intento, sicut displicet Deo peccatum veniale *Neg.* 1*mam partem Maj.* & *Dist. similiter Min. Neg. Conseq*. Veniale enim est pura *transgressio legis leviter obligantis*, ideoque displicens Deo inquantum est opposita *bono creato* per legem intento, in tantum autem non est propria offensa, cùm nullum det Deo jus ad auferendam, vel minuendam amicitiam, & odiô habendum venialiter peccantem. Quare cùm possit exhiberi actio, quæ tantum placeat Deo in *genere* 8.

 satis-

satisfactionis, quantum veniale *displicet* in *genere transgressionis*, sicuti eidem exhiberi potest *talis passio*, quæ tantum Deo placeat in genere *satisfactionis*, quantum displicuit veniale in genere *transgressionis*, idcirco potest pro peccato veniali ab homine justo exhiberi *satisfactio* æqualis, *sicuti satispassio æqualis*. Atque hinc iterum colligitur: veniale non esse offensam *propriè dictam*, quia pro hac purus homo Deo ad *æqualitatem* satisfacere non potest. *Dist. etiam 2dam partem ejusdem Min.* Quæ est contra voluntatem Dei *ùt graviter*: & sub comminatione offensæ incurrendæ obligantem *Neg.* Est contra voluntatem *ùt leviter*, & sinè comminatione offensæ incurrendæ obligantem *Conc. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Conseq. Amicus citatus num. 209. & 210. absolutè Negat Min.* Quia veniale, licèt sit immediatè contra *rem volitam*, & præceptam à Deo, non est tamen immediatè contrà *ipsam voluntatem Dei*, cùm per illud non deseratur ipsa voluntas Dei secundùm se, & simpliciter, quia ab illa non separat nam taliter peccans adhuc ei manet habitualiter conjunctus; *nec* illam deserit *in alijs præceptis*, sicut mortale, quod non tantùm in *hac determinata* materia, sed *virtualiter*, & interpretativè *in omnibus*, ideoque simpliciter illam deserit. Hæc eadem pars etiam sic benè distinguitur: quæ est immediatè contra voluntatem Dei, ùt prohibentem (saltèm exercitè) contemptum, & *desertionem sui Conc. ùt* prohibentem contemptum, & desertionem *boni* duntaxat *creati Neg. Maj. Dist. etiam Min.* Est contra voluntatem Dei ùt prohibentem exercitè contemptum, & desertionem *sui Neg.* Boni creati *Conc. Min. & Neg. Conseq.* Diversi namque ordinis est actio *contra* voluntatem Dei, *ùt prohibentem* contemptum, & deser-

tionem *sui*, ab actione ùt prohibente contemptum, & desertionem *boni creati*, licèt enim utraque sit *contra voluntatem* Dei, attamen non hæc, sed illa, est offensa Dei propriè dicta.

Ad 5tam Prob. Resp. Neg. Min. Quia peccans venialiter saltèm habitualiter paratus est contemnere bonum illud temporale, si Deus ipsum ad hoc graviter obligaret, unde potiùs Deum præfert *saltèm habitualiter* illi bono temporali, pro quo venialiter peccat. Neque ex alia ratione peccat venialiter, nisì quia *minùs præfert Deum illi bono temporali*, quàm deberet, & quia simul ponit peccando venialiter *impedimentum perfectæ* prælationi. *Confirm. Resp.* 1mò: *cum S. Thoma 1mâ 2dæ Quæst. 88. ad 1mum Neg. Ant.* Peccatum veniale non est *contra*, sed tantùm *præter legem*, & voluntatem Dei, quia esse contra *legem Dei* & voluntatem est præferre aliquid *Deo ut legislatori*; *atqui* id non facit peccans venialiter ùt ex mox dictis patet: *ergo. Resp.* 2dò: *Dist. Ant.* Peccatum veniale est *contra* legem Dei leviter obligantem *Conc.* obligantem graviter *Neg. Ant. & Conseq.* 9.

Ad 6tam Conc. Maj. Neg. Min. Prob. Dist. Maj. Veniale minuit fervorem Charitatis, quâ diligimus Deum *actu*, & à qua *possumus* nonnunquam cessare *sinè ullo peccato Conc.* minuit fervorem Charitatis *habitualis Neg. Maj. sic Dist. Min. & Conseq. & Neg. Conseq.* 10.

Ad 7mam Neg. Min. sicut enim propriè uti libertate nostra, est per eam tendere *in finem ultimum*, sic *abuti propriè*, est tendere *aversivè à fine ultimo* cum contemptu ipsius præfigendo sibi alium finem ultimum *per prælationem* alicujus boni *creati*, & postpositionem boni increati, quòd non facit peccans venialiter. Quare leve mendacium *non est immediatè* 11.

con-

contra finem ultimum, sed proximum scilicet veracitatem creatam, quæ est *medium conducibile* ad finem ultimum, unde leviter mentiens, non propriè abutitur libertate sua, *sed minùs utitur* illa, quàm deberet, quia potiùs liberè verum dicere, quam mentiri debuisset, eò, quod *illud sit conducibile* ad finem ultimum, non verò hoc, licèt *nec* hoc ejusmodi leve mendacium *sit abducens* ab illo, sed *solùm non conducens* ad illum.

12. *Ad 8vam Neg. Min.* Licèt enim per peccatum veniale non honoretur Deus, tamen *propriè* per illud etiam *non inhonoratur*, quia non est actio *immediatè opposita* ipsi Dignitati, & Excellentiæ Divinæ, sed tantùm est contemptiva *boni creati*, unde à Persona Divina *infinitatem secundùm* quid, & rationem *offensæ propriè* talis contrahere non potest.

13. *Ad 9nam Dist. Maj. sic 1mò*: Veniale exigit satisfactionem pro offensa propriè dicta *Neg.* impropriè dicta *Conc. Maj. Dist. etiam Min.* quod exigit satisfactionem pro offensa propriè dicta, est offensa propriè talis *Conc. secùs Neg. Min. & Conseq.* *2dò*: sic: Veniale exigit satisfactionem impropriè dictam, scilicet restitutionem ad bonum per legem intentum *Conc.* propriè dictam *Neg. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Conseq.*

14. *Ad 1mam Explico Trident.* Deus remittit offensas tum graviores tum *leviores*, hasque *impropriè dictas Conc.* propriè dictas *Neg. Ant. & Conseq.* Diximus enim, jam sæpiùs ad offensam propriè dictam requiri ut sit actio *immediatè contemptiva* personæ offensæ, & *aversio ab illa* cum postpositione illius alicui alteri, quod vilius est, hoc illi *positivè* præferendo.

15. *Objicies 2dò*: ex eo *quòd satisfactio à pura creatura præstita non sit ad æqualitatem cum malitia peccati venia-*

venialis. *Nam imò*: ſatisfactio, quæ eget gratia creditoris non poteſt eſſe æqualis, & condigna ſolutio debiti; *ſed* ſatisfactio à puro homine juſto procedens eget gratiâ Dei: *ergo* non poteſt eſſe æqualis, & condigna ſolutio debiti peccati venialis.

2dò: Illa ſatisfactio non eſt æqualis, quam creditor *non tenetur* acceptare; *ſed* ſatisfactionem puri hominis non tenetur Deus acceptare: *ergo*. 16.

3tiò: Non eſt neceſſe orare pro remiſſione illius debiti, pro quo poteſt quis ad æqualitatem ſatisfacere; *ſed* juſti in oratione Dominica orant pro remiſſione peccatorum etiam venialium: *ergo* non poſſunt pro illis ad æqualitatem ſatisfacere. 17.

4tò: *Denique*: Si purus homo ad æqualitatem poſſet ſatisfacere pro veniali, ſatisfactio, & merita Chriſti non eſſent neceſſaria ad illorum remiſſionem, adeoque Chriſtus *non eſſet Redemptor* reſpectu peccatorum venialium, imò poſſet homo etiam ſinè gratia pro illis ſatisfacere; ſed hæc omnia ſunt falſa: *ergo*. 18.

Reſp. ad 1mum Diſt. Maj. Satisfactio, quæ in actuali ſolutione debiti eget gratiâ creditoris remittente aliquid de quantitate debiti gratìs non poteſt eſſe æqualis ſolutio debiti *Conc.* quæ *antecedenter*, imò etiam *concomitanter* ad ipſam ſolutionem debiti eget gratiâ creditoris, *nihil remittente* de quantitate debiti *Neg. Maj.* tam autem gratia ſatisfactionem antecedens, nihil remittit de debito ſed *eſt radix, & principium* illius ſatisfactionis per quam debitum ad æqualitatem ſolvitur. Non enim ſupponitur gratia eſſe collata, & infuſa hìc & nunc à Deo ùt *gratuitò remittente* peccatum veniale, ſicut confertur, & infunditur ad remittendum peccatum mortale, ſed ſupponitur *antecedenter ante peccatum* veniale obten- 19.

tenta, possessa, & sub dominio justi constituta, ùt inquit *P. Metzger Disp.* 2. §. 2. *num.* 6. Quare dum scripturæ, Canones PP. & Doctores dicunt *remissionem* peccatorum *etiam venialium fieri gratis*, intelligendi sunt, quòd remissio peccatorum venialium *fiat gratis in radice*, quatenùs nequit fieri sinè gratia, quæ nobis datur ut satisfaciamus, quâ suppositâ, & non aliter, possumus *æqualem* satisfactionem offerre pro venialibus. *Ità Salmantic. Disp.* 1. *num.* 133. *Dist. similiter Min.* eget gratiâ Dei ùt *gratis remittente debitum*, & supplente defectum, & insufficientiam illius *Neg.* eget gratiâ Dei præcisè ùt *principiô* condignæ, & æqualis satisfactionis *Conc. Min. & Neg. Conseq.*

20. *Ad 2dum Dist. Maj.* Quam creditor non tenetur acceptare, ex eo, quòd *sit insufficiens* ad extinguendum debitum *Conc.* ex eo, quòd eam non acceptando *velit liberaliter* remittere debitum *Neg. Maj. Dist.* similiter *Min. & Neg. Conseq.* licèt enim Deus istam satisfactionem pro veniali possit non acceptare, imò licèt etiam ùt absolutus Dominus possit justum æterna beatitudine privare, ex hoc tamen non sequitur, quòd satisfactio *justi pro veniali* non sit *æqualis.* Quia Deus ut Judex justus, ligatusque legibus, quas ipse sibi imposuit, nequit hanc satisfactionem *insufficientem* judicare, vel *aliam in sufficientiæ titulô* exigere.

21. *Ad 3tium Dist. Maj.* Pro quo potest quis ad æqualitatem satisfacere, si habeat principium satisfaciendi *ex proprijs* viribus *Conc.* si non habeat illud ex proprijs, sed *aliunde accipiat Neg. Maj.* sic enim Petrus debitor 100. non potens eosdem solvere ex proprijs creditori Joanni, orat amicum Paulum pro mutuo eorundem, ut possit *ad æqualitatem* satisfacere

cere *creditori Joanni*. *Dist. etiam Min.* orant pro remissione venialium, intelligendo *per remissionem gratias actuales*, seu excitantes nos ad ponendam æqualem satisfactionem *Conc.* intelligendo per remissionem, *gratuitam condonationem* peccati venialis *propter insufficientiam satisfactionis* ab homine justo præstitæ *Neg. Min. & Conseq.*

22. *Ad 4tum Neg. sequelas Maj.* Cùm enim ad remissionem venialium indigeamus partim gratiâ sanctificante, partim gratiâ actuali sive auxiliô gratiæ excitantis & cooperantis, sinè cujus viribus utì *non possumus* ullum opus *supernaturale*, ità *nec* satisfactorium pro veniali elicere, quia utrumque est *ex ordine gratiæ, & gloriæ*, utpote *per se* conducens ad gloriam: hæc autem gratia cum conferatur nobis ex satisfactione, meritis, & *redemptione Christi* in hocce Decretorum ordine, in quo ex plenitudine ejus accipimus omnes, idcirco copiosa redemptio ejusdem omninò est necessaria *ad habendum principium* satisfactionis *æqualis* pro veniali, licèt *non* fuerit necessaria ad *supplendam insufficientiam* in ipsa satisfactione ab homine justo procedente, & tali quidem necessitate necessaria est, ut in hoc ordine Decretorum satisfactio secuta non fuisset. *Ultimum*: non tantum in hoc Decretorum ordine, & ex *suppositione Christi*, sed *absolutè*, & simpliciter repugnat, cùm enim *ordo naturæ nihil* habeat *æquale* cum *ordine gratiæ*, implicat satisfactio pro venialibus sinè gratia, quia talis satisfactio est ex ordine gratiæ, ùt diximus.

23. *Quæres.* An defactò purus homo justus condignè satisfaciat pro culpa peccati venialis alterius hominis? *Resp. Neg. imò.* Quia culpa defactò remittitur juxta *intrinsecam dispositionem* subjecti, & consequen-

quenter defactò solùm fit satisfactio pro qualibet culpa per actus, qui simul subjectum, cui culpa remittitur, *disponunt intrinsecè*, nemo autem disponitur *intrinsecè* per actus *in alio existentes*, ùt per se patet; *ergo* nec liberatur à culpa per satisfactionem *alterius*. 2*dò*. Quia si quis posset condignè satisfacere pro culpa aliena etiam veniali, posset etiam *condignè* mereri *alteri* gratiam, & augmentum gratiæ; *sed* hoc juxtà præsentem Dei providentiam nemo potest, quantumvìs justus & sanctus: *ergo*. *Maj. est* certa, quia defactò abolitio culpa non fit, nisì vel per *gratiam simpliciter*, vel per *augmentum* gratiæ: *Min. autem Prob.* Quia nullus purus homo defactò accepit *gratiam capitis perfectivam* alieni subjecti, sed tantùm gratiam perfectivam *proprij subjecti*, ejusque perductivam in finem vitæ æternæ: *ergo*. Dixi *defactò & juxta præsentem Dei providentiam*: Quia *absolutè* non implicat, quin Deus ordinare potuerit, ut purus homo habeat *gratiam capitis* respectu *aliorum* venialiter peccantium, atque ità possit pro illorum culpa veniali ad æqualitatem satisfacere, potest namque contingere, ut aliena peccata *non exigant majorem* satisfactionem quàm propria: si ergo potest satisfacere pro proprijs, poterit etiam *Deo sic ordinante* satisfacere pro alienis: *ergo*.

24. *Dices*. Potest defactò purus homo justus pro pœna: *ergo* etiam poterit pro culpa veniali alterius satisfacere. *Resp. Neg. Conseq. Disparitas est*: quia pœna temporalis non mensuratur juxta *dispositionem subjecti*, cùm quandoque ille, qui melior & sanctior est, habeat majoris pœnæ reatum; & idcirco actus unius hominis, etsi alium non disponat, *pro pœna alterius* temporali defactò multoties satisfacit: non

item

tem pro *culpa* veniali, quia hæc defactò mensuratur juxta dispositionem subjecti, *cui remittitur*. 2dò: Quia ad hoc, ut quis satisfaciat pro pœna alterius, non est necesse, ut induat rationem *capitis*, sicuti indueret is, qui defactò satisfaceret pro culpa alterius; potest enim *æqualis pro pœna satisfacere*, aut satispati: *ergo*.

THESIS VI.

Potest de potentia absoluta homo purus constitui aliorum caput in ordine gratiæ, & illis mereri condignè gratiam justificantem incompossibilem cum peccato mortali, atque ità indirectè remissionem illius. Ità *Illustrissimi Arraujo 1. 2. Quæst. 118. art. 6. & Godoy hic Disput. 2. §. 8. Joannes à S. Thoma 2. Tom. in 1. 2. Disput. 31. art. 2. & hic Quæst. 1. Disput. 1. art. 2. ad 6. Lorca hic Disput. 6. Suaretz Disput. 4. sect. 7. & est contra Oviedo controversia 7. de Merito puncto 5. & contra Joannem Baptistam Gormaz hic Disput. 8. sect. 1. num. 305. Aliosque.*

PRob. 1. *Authoritate, & ratione D. Thomæ 3.* 1.
Part. Quæst. 64. art. 4. in ☉*re.* Ex eo: *quòd puro homini possit de absoluta potentia concedi potestas excellentiæ Christi.* Nam ait S. Thomas ibidem, duplicem distinguens potestatem in Christo, *Authoritatis* nempe, convenientem illi secundùm *quod est Deus*; & *Excellentiæ* eidem convenientem ùt *est homo*, negansque primam posse communicari *puræ creaturæ*: *De 2da sic ait*: Et talem potestatem potuit

tuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur *ad Sacramentorum effectum.* Unde cum citato *Godoy num. 52. sic argumentor*: Potest absolutè purus homo tantam gratiæ plenitudinem à Deo accipere, ut *vi meritorum* præstet *eundem* effectum, quem *defactò* præstat Christus *per Sacramenta*; *atqui* hic effectus est *gratiâ sanctificans* & remissio peccati idque *de condigno*, quia Christus ratione hujus potestatis *Excellentiæ condignè* meruit hominibus gratiam remissivam peccati; *ergo* in casu sibi communicatæ talis potestatis, poterit etiam *purus* homo *condignè* alijs promereri gratiam remissivam peccati.

2. *Prob.* 2. Ex eo: *Quòd opus meritorum talis hominis sit æquale gratiæ remissivæ peccati alterius,* Mereri de condigno est ponere opus, quod juxta moralem æstimationem est *æquale præmio*, ad quod conferendum inducit & movet voluntatem præmiantis per modum retributionis. *Atqui* homo justus potest ponere opus gratiosum, quod juxta moralem æstimationem est æquale gratiæ remissivæ peccati alterius: *ergo.* *Maj. est certa. Min. Prob.* Opus dignificatum à gratia habituali, à qua procedit est *in eodem ordine dignitatis* & valoris, in quo est ipsa gratia, quam vult mereri alteri. Nam gratia prima extraneò subjecto conferenda non excedit augmentum gratiæ conferendum subjecto merenti; *sed* hoc augmentum non excedit, sed est *juxta moralem* æstimationem *æquale* merito & gratiæ, à qua procedit meritum hominis justi: *ergo* etiam gratia prima *alieno subjecto* conferenda, erit æqualis merito talis hominis justi in morali æstimatione, *& vicissim* hoc meritum erit æquale illi gratiæ, adeóque condignum, impli-

cat

cat enim, ut æquale ipsi *B.* non sit *in eodem genere*, & ordine æquale, æquali *B.* Sed

Dices: Verum quidem esse, quòd palmus *A.* v. g. 3.
qui est æqualis palmo *B.* possit esse æqualis æquali palmo *B.* scilicet palmo *C. seorsim*, non autem *copulativè* accepto cum palmo *B.* aliàs palmus *A.* esset æqualis duobus palmis, adeoque esset bipalmaris, & eò ipso per *excessum inæqualis* cuilibet seorsim accepto: *ergo* etiam verum tantùm erit: quòd opus talis hominis possit esse *æquale*, vel suo augmento gratiæ, vel gratiæ *primæ* alterius, non verò, quòd possit utrique huic præmio esse *copulativè* æquale. *Resp.* *Neg. Conseq. Disparitas est*; quia in casu antecedentis palmo *A.* nulla supponitur accedere *nova extensio*, neque supponitur ex ulla ratione palmus *A. virtualiter, & æquivalenter duplex*. *At verò* in casu consequentis opus talis hominis ob ordinationem ad succurrendum alteri per primam gratiam eidem conferendam, *suppositô pactô* divino, est opus *virtualiter, & æquivalenter* duplex, quia *amor sui & proximi*, atque ità fit extensione utrique huic præmio æquale, sicut per unius relationis extensionem v. g. Paternitatis, *unus Pater formaliter*, *æquivalenter* tamen multiplex, fit *plurium* filiorum Pater. At

Replicabis. Tale opus meritorium non potest se 4.
ulterius extendere quàm *suum principium*; *sed* principium hujus meriti, scilicet *gratia*, non potest fructificare in *alieno* supposito: *ergo*. *Prob. Min.* Gratia fructificat, ùt est *semen gloriæ*; *atqui* semen v. g. arboris non potest fructificare *in alieno* supposito: *ergo* nec gratia. *Resp. Neg. Min.* Licèt enim gratia habitualis physicè solùm seminet fructus in *subjecto proprio*, præterquàm tamen quòd sit semen *physicum*, physicè potens fructificare in subjecto proprio, potest adhuc

huc esse, *accedente pactò divinò*, & ordinatione *subjecti proprij* eam ordinantis ad subveniendum subjecto alieno, *semen morale*, & ùt tale seminare moraliter in subjecto *alieno* gloriam per *primam gratiam* eidem conferendam; aliàs enim homo justus *nec peccati venialis* remissionem condignè promereri, vel satisfactionem *condignam* ponere posset. *Prob. Dist. Maj.* ùt est semen gloriæ *physicum*, & *morale Conc.* fructificat tantùm ùt est semen physicum *subdist.* fructificat physicè *Conc.* moraliter *Neg. Maj.* Nam moraliter fructificat ùt est semen morale etiam *in alieno* subjecto. Instantia est: nam licèt gratia unionis hypostaticæ sit etiam *semen gloriæ*, tamen potest dignificare merita Christi, in ordine ad præmia *alijs* conferenda: *ergo* ratio *seminis non obest*, quin seminet etiam *moraliter in subjecto alieno*, si non sit *purè semen physicum*: *ergo* à pari, licèt gratia habitualis, ùt semen physicum physicè seminet fructus in subjecto proprio, poterit tamen interveniente pacto fieri semen morale, & *moraliter* seminare primam gratiam in *subjecto alieno*.

5. *Nec dicas*: quoad hoc *disparitatem esse inter* unionem, & gratiam habitualem ex eo, quôd unio hypostatica sit *moraliter infinita*, non verò gratia habitualis *puri* hominis. *Nam contra est*: Quia ex limitatione gratiæ habitualis tantùm infertur, quòd *nequeat infinitè* dignificare, & ad præmium infinitum, *non verò* quòd non possit *dignificare finitè*, & ad *sibi æquale* præmium finitum, quale juxta moralem æstimationem est gratia, & gloria aliena.

6. *Prob. Thesis 3tiò* ex eo: *quòd talis purus homo justus possit aliquid majus mereri, quàm sit gratia remissiva peccati alterius subjecti.* Qui potest de condigno mereri alteri præmium *majus*, potest etiam alteri mereri

compa-

comparativè ad illud alterum præmium, præmium *minus*; *sed* talis *purus* homo poteſt alteri mereri *de condigno* præmium majus, quàm ſit gratia remiſſiva peccati: *ergo* etiam poterit eidem mereri gratiam remiſſivam peccati. *Prob. Min.* Talis purus homo poteſt alteri de condigno mereri *incapacitatem* peccandi, *nempe*; *gloriam* ſeu *viſionem beatificam*, quæ eſt *ipſa activa excluſio*, *& incapacitas peccandi*, gloria enim mea, & aliena eſt *ſubſtantialiter eadem*, adeoque poſſum mereri gloriam alij, æquè ac mihi; *ſed* gloria eſt præmium majus, quàm gratia remiſſiva peccati, quia illa *habet ſe ùt finis*, hæc ùt *medium*; *ergo* ſi meritum talis hominis eſt *proportionaliter* æquale, & juxta moralem æſtimationem *condignum* ipſi gloriæ, quæ eſt prœmium *majus*, quàm gratia, etiam erit proportionaliter æquale, id eſt: *non inæquale* per defectum ipſi gratiæ remiſſivæ peccati, adeoque ſi *dignitas* gloriæ *non excedit* valorem meriti de condigno talis hominis puri, neque *dignitas* gratiæ excedet, ſed pariter poterit *cadere ſub meritum* talis hominis.

Confirm. 2dò. Poteſt juſtus mereri *alteri* gratiam 7.
de condigno in alia providentia divina, prout gratia *eſt participatio naturæ divinæ*, & forma amicitiæ, & adoptionis divinæ; *ergo* etiam ùt eſt remiſſiva peccati: cùm enim expulſio, & remiſſio peccati ſit effectus *ſecundarius*, amicitia autem & *adoptio* ſit effectus *primarius*, videtur gratia ùt conſiderata in ordine ad hunc effectum *ſecundarium* eſſe *quaſi quid minus*, adeóque ſub hac *reduplicatione* præmium minus, quàm ùt conſiderata, & *reduplicata in ordine ad effectum primarium*, ſub qua reduplicatione acceptam adverſarij non negant cadere ſub meritum juſti in alia providentia.

Confir-

8. *Confirm. 2dò*: Majus beneficium est *præservatio*, quàm *liberatio* à peccato contracto, ùt patet in Privilegio immunitatis Deiparæ ab originali: *atqui* justus potest mereri *alteri præservationem* à lethali; *ergo* etiam poterit *in alia providentia* mereri de condigno *remissionem* peccati lethalis. *Prob. Min.* Justus *potens* alteri mereri *gratiam habitualem*, potest etiam illi mereri *auxilium efficax*, quod *minus est*, quàm gratia, finè quali non adimpleret præceptum: *ergo* potest illi mereri præservationem à lethali transgressione præcepti.

9. *Objicies 1mò.* ex eo: *quòd gratia habitualis non sit principium merendi alijs.* Gratia *habitualis* in altera providentia Dei est *ejusdem rationis* cum hac, quæ defactò datur; *atqui* hæc, quæ defactò datur puro homini non est principium merendi *alijs* remissionem peccati mortalis *de condigno*: *ergo* nec illa esset: *ergo &c. Confirm. Ex P. Gormaz num. 305. SS. PP.* absolutè dicunt: non potuisse Christum nobis afferre medium, nisì esset *DEUS*; *atqui* si per *meritum* à gratia *puræ* creaturæ dignificatum, nobis potuisset remitti peccatum, potuisset nobis afferre Christus medium, quin esset DEUS: *ergo* ex doctrina SS. PP. non potest *pura creatura* habere gratiam, quæ sit principium merendi remissionem peccati alijs. *Resp. ad argum. Dist. Min.* Quæ *defactò* datur non est principium merendi alijs, &c. ex *defectu ordinationis, & pacti divini Conc.* ex defectu sufficientiæ, & dignitatis *intrinsecæ Neg. Min. & Consequ. Confirm. Dist. Maj. SS. PP.* docent non potuisse Christum nobis afferre medium nisì esset Deus, stante *moderna* providentia, & ordinatione divina *Conc.* supposita illa possibili providentia, & ordinatione divina *Neg. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Conseq.*

Dices.

Dices. Promissio, seu *ordinatio Dei* non dat ope-
ribus *valorem*; *ergo* nec supposita *alia* ordinatione
divina opus talis puri hominis justi valebit ad remis-
sionem peccati alterius. *Resp. Dist. Ant.* Non dat
valorem quoad *sufficientiam intrinsecam Conc.* non dat
valorem quoad *actualem efficaciam*, & infallibilem
connexionem talis operis cum remissione peccati le-
thalis alterius *Neg. Ant. & Conseq.* Si enim homo sua
cooperatione potest gratiam *sufficientem* reddere in actu
secundo *efficacem*, cur non Deus *sua ordinatione* pos-
set gratiam, & opus meritorium unius justi homi-
nis reddere ità efficax, ut eadem possit, si velit al-
terius peccati remissionem infallibiliter per modum
prœmij actu consequi, cùm ex se, & in actu primo
sit sufficienter illi proportionatum.

Urgebis. Gratia habitualis dignificat opera meri- 11.
toria in genere *causæ formalis*; *sed* quia subjectum
proprium in genere causæ formalis *sanctificat*, non
potest *aliud* à proprio subjecto sanctificare: *ergo*
etiam, quia opera meritoria *proprij subjecti* dignifi-
cat, non potest illa valorare, ut sint merita *con-
digna alteri* quàm proprio subjecto. *Resp. cum Go-
doy num. 64. Conc. Maj. & Min. Neg. Conseq.* Quia
ex præmissis solùm sequitur non posse, gratiam ha-
bitualem in uno homine existentem dignificare ope-
ra *elicita ab alio homine*, quod ultro fatemur. *Non
verò sequitur*: quòd gratia habitualis non possit
dignificare *opera proprij* subjecti ut *sint alijs merito-
ria*; licèt enim satisfactio, & dignificatio sint præ-
cisè in genere *causæ formalis*, atque ità se non ex-
tendant ad subjectum alienum, quia tamen ratio me-
riti juxta *S. Thomam Quæst. 29. de Veritate art. 6. in
Ore. reducitur ad causam efficientem*, in quantum sua
bonitate *movet intentionaliter* causam physicè effi-
cien-

cientem inducendo voluntatem illius ad aliquid agendum, nempe ad prœmium aliquod per modum retributionis *propter eandem honestatem*, & bonitatem suam conferendum: Causa autem efficiens cùm non sit alligata *proprio* subjecto, sed possit agere in *subjectum extraneum*, idcirco gratia, & opus dignificatum ab illa possunt in genere *causæ efficientis* fructificare moraliter, & meritoriè prœmium gratiæ remissivæ peccati in subjecto *extraneo*, quo casu opera dignificata à gratia proprij subjecti, ab eadem valorantur, ut sint merita condigna non *alterius*, sed alteri, aut potius *pro altero subjecto*. Sic unio hypostatica *in genere causæ formalis* opera Christi dignificat, & humanitatem *Christi sanctificat*, non verò opera, aut subjecta *aliena* & tamen ità valorat opera Christi, ut in genere causæ *moraliter efficientis, & meritoriæ in nobis* fructificent gratiam remissivam peccati.

12. *Objicies 2dò*: ex eo; *quòd inter meritum puri hominis justi & remissionem peccati nulla possit esse æqualitas*. Nam *1mò*: Remissio peccati, est *tantæ bonitatis*, quantæ *malitiæ* est peccatum: *atqui nullum meritum* puræ creaturæ est tantæ bonitatis, *quantæ malitiæ* est peccatum: *ergo* nullum meritum *puræ* creaturæ est tantæ bonitatis, quantæ bonitatis est remissio peccati; *ergo* inter meritum puræ creaturæ, & remissionem peccati non est æqualitas.

13. *2dò*: Gratia collata ipsi merenti est longè majus prœmium *merenti*, quàm si detur *alteri*: *ergo* si detur alteri, merens non habebit prœmium æquale.

14. *Confirm.* Quidquid meriti homo alteri impendit, id sibi detrahit, quod videtur esse contra ordinem Charitatis, adeoque imprudens: *ergo* tale meritum nequit esse in prudenti æstimatione *æquale* alteri prœmio: *ergo*.

Ad

Ad 1mam Resp. 1mò: *Neg. Maj.* Nam peccatum 15.
est *ordinis altioris*, & quidem *supremi*, cùm sit offensa *Personæ infinitæ*, remissio autem peccati per gratiam est bonum *inferioris ordinis* cùm dentur majora bona, ùt est bonum gloriæ, & bonum unionis hypostaticæ. *Resp.* 2dò *Dist. 1mum Conseq. 1mò sic*: *ergo* nullum meritum puræ creaturæ, est *tantæ bonitatis*, quantæ bonitatis *est remissio* peccati tantitate, & *æqualitate rigorosè satisfactoria Conc.* æqualitate *solùm meritoria Neg. Conseq.* 2*dò sic*: Nullum meritum puræ creaturæ est tantæ bonitatis, quantæ bonitatis est remissio peccati *immediatè*, *directè*, & per se 1*mò* talis *Conc.* non est tantæ bonitatis, quantæ bonitatis est remissio peccati *mediatè*, *indirectè*, *& non per se* 1mò *talis Neg. Conseq.* licèt enim meritum condignum *per se primò* terminatum ad remissionem, id est: *ad non esse peccati* sit æquale *non esse peccati*, meritum tamen condignum à pura creatura elicitum non terminatur *immediatè*, directè, & per se *1mò* ad non esse peccati, sed ad *effectum positivum gratiæ* incompossibilem cum peccato per se *1mò* sub *ratione maculæ*, & ex *consequenti* sub ratione *offensæ*. Quare meritum effectûs positivi gratiæ *secundariò tantùm* extenditur ad merendum effectum negativum, nempe *destructionem maculæ*, & offensæ. Unde sicut in ipsa gratia *secundariò* expellente rationem offensæ, non est opus ut sit *æqualis gravitati* offensæ, aut bonitati adæquatæ carentiæ illius, ità nec opus, ut meritum condignum gratiæ secundariò se extendens ad non esse offensæ, & remissionem illius, sit æquale gravitati offensæ, & bonitati carentiæ illius, ità *Illustrissimus Godoy num. 72.*

Ad 2dum Resp. Dist. Ant. Quàm si detur alteri cum 16.
præjudicio, aut detrimento merentis *Conc.* si detur

finè præjudicio, & detrimento, sed ex liberalitate, & intentione meritis *Neg. Ant. & Conseq. Confirm. Neg. Maj.* Quia talis potiùs *sibi auget præmium,* meretur enim prœmium secundùm *valorem Charitatis* erga Deum, & proximum, ex qua Charitate alteri applicat suum meritum v. g. jejunij, plus namque meretur exercens actum Charitatis erga Deum, & proximum, quàm præcisè exercens actum jejunij: *ergo.*

17. *Objicies 3tiò* ex eo: *quòd implicet puram creaturam posse satisfarere pro peccato mortali I.* Meritum condignum gratiæ remittentis peccatum, est *condigna satisfactio* ; *sed condigna* satisfactio repugnat puræ creaturæ: *ergo* etiam eidem repugnat meritum condignum gratiæ remittentis peccatum. *Maj. Prob. 1mò*: satisfacere condignè, est debitum contractum ex offensa exstinguere: *atqui* merens gratiam *condignè exstinguit* debitum ex offensa contractum: *ergo. Confirm.* Christus non aliter satisfecit offensa nostra Deo, quàm merendo nobis *gratiam remissivam offensæ*; *ergo* mereri condignè hanc gratiam, est satisfacere: *ergo* pura creatura sic merendo satisfaceret.

18. *Prob. 2dò*: Sola condigna posita satisfactione creditor obligatur ex justitia ad remissionem offensæ; *sed* posito merito condigno, gratiæ remissivæ peccati à tali pura creatura, Deus obligaretur ex justitia ad remissionem offensæ: *ergo* ejusmodi condignum meritum esset condigna satisfactio.

19. *Prob. 3tiò*: Condignè merens *condonationem* pecuniæ debitæ, *adæquatè* restituit: *ergo* etiam merens remissionem offensæ *de condigno*, *adæquatè satisfacit*: satisfactio namque, & restitutio habent *se*

æqua-

æqualiter & ſunt tantùm in materia diverſa, reſtitutio v. g. in pecunijs, ſatisfactio verò in honore.

20. II. Plus eſt de condigno mereri *remiſſionem* offenſæ, quàm pro illa *ſatisfacere*; *ſed* talis purus homo poſſet mereri remiſſionem offenſæ: *ergo* etiam poſſet pro illa ſatisfacere, quia potens plus, poteſt & minus. *Prob. Maj.* Plus eſt facere Deum ſibi *debitorem*, quàm *creditorem*; *ſed in ſatisfactione* Deus eſt creditor, *in merito autem* condigno remiſſionis peccati Deus eſt debitor: *ergo* plus eſt de condigno mereri remiſſionem offenſæ, quàm pro illa ſatisfacere. *Prob. Min.* Quia ſatisfactio reſpicit *offenſam*, quâ *ſatisfaciens* factus fuit *debitor*, & *offenſus creditor* proindeque ejus ſolutio eſt ſatisfactio, meritum autem reſpicit prœmium debitum merenti, adeoque *merens eſt creditor*, & *prœmians debitor*, ejúsque ſolutio eſt prœmium: *ergo* in ſatisfactione Deus eſt creditor, in merito autem eſt debitor: *ergo*.

21. III. Quia ſacramenta ſunt moraliter operatio Chriſti, non tantùm moraliter, ſed etiam phyſicè inſtrumentaliter cauſant gratiam: *ergo* etiam, quia bona opera puri hominis ſunt moraliter operationes Chriſti, non tantùm meritoriè, ſed etiam ſatisfactoriè delebunt offenſam, ſed hoc implicat: *ergo* & illud unde ſequitur.

22. *Reſp. ad 1mum cum Contenſon hìc Diſput.* 2. C. 1. *Neg. Maj.* Plus enim requiritur ad ſatisfactionem, quàm ad meritum condignum. *Nam 1mò* ſatisfactio requirit *æqualitatem* inter ſatisfacientem, & offenſum, meritum verò non ſolùm exigit æqualitatem, ſed potius *ſupponit ſubjectionem*, & inferioritatem in perſona merente, & petit ſolùm proportionem, & moralem æqualitatem inter opus meritorium, & prœmium. *2dò*: Etiam in hoc differt ſatis-

satisfactio condigna à merito condigno, quòd efficacia meriti *in actu secundo* non habeatur præcisè ex *valore operis condigni secundùm se*, *sed simul requiratur acceptatio*, & consensus remunerantis, sinè hoc enim non habet meritum condignum suam efficaciam, neque eidem debetur prœmium ex justitia, ùt patet in merito militis tentantis generosum facinus; hoc opus fortitudinis, est quidem meritorium, & condignum *in actu primo* respectu prœmij, adeoque ex *naturâ suâ* èst inductivum prœmij, si tamen Dux non est stipulatus militi illud prœmium, tale meritum non est inducens *in actu secundo* ducem ad retribuendum pro illo exhibito merito tale prœmium, *nec* Dux facit militi injuriam, si illi prœmium *non promissum* neget. *At verò* supposita acceptatione, & promissione prœmiantis, habet meritum condignum suam efficaciam in actu secundo, atque merenti *de condigno* debetur prœmium ex justitia. Ità, ut Dux illud negans, sit injurius. Instantia etiam est in *contractu emptionis*: ubi offerens pretium justum pro mercibus, ponit *condignitatem in actu primo*, ut tamen pretium sit efficax in actu secundo, & fiat vera emptio cum *jure exigendi* merces, requiritur *acceptatio* vendentis. *Econtra* verò satisfactio *nullam* respicit ad sui efficaciam *actualem acceptationem*, & favorem offensi, sed præcisè ex *valore exhibiti* operis secundùm se, exstinguit debitum ità, ut Creditor *nihil possit* deinceps *exigere*. Et hinc per satisfactionem spoliatur offensus suo jure ad odiô habendum offensorem, per meritum autem exhibitum non spoliatur illo jure nisi sponte cedat pacto interveniente.

23. *Ad 1mam Prob. hujus Maj. Dist. Maj. cum Godoy num. 68. & Gonet num. 23.* Est debitum exstinguere

per

per *viam solutionis*, & ratione obsequij secundùm se adæquantis suo valore intrinseco gravitatem injuriæ, adeoque *independenter* à liberalitate acceptantis satisfactionem *Conc.* per viam prœmij, & liberalis retributionis, adeoque *dependenter à liberali acceptatione* meriti pro prœmio exstinguente offensam *Neg. Maj.* *Aut. sic brevius*: Est debitum exstinguere ratione *obsequij* ex se adæquantis gravitatem offensæ *Conc.* ratione *oppositionis* termini cadentis sub meritum cum offensa, & injuria *Neg. Maj.* Denique *sic eadem Maj. distinguitur*: Est debitum exstinguere *immediatè*, directè, & formaliter *Conc.* mediatè, indirectè, *&* *causaliter* *Neg. Maj.* & sub ijsdem Distinctionibus *Conc. Min. & Neg. Conseq.* Quia merens non exstinguit debitum ex offensa ratione obsequij adæquantis gravitatem offensæ, nec independenter ab acceptatione remittentis debitum, sed dependenter ab illa, ratione gratiæ habitualis seu *termini cum offensa incompossibilis*; neque exstinguit illud immediatè, directè, & formaliter, sed tantum *mediante gratiâ*, adeoque *indirectè*, & causaliter. quatenùs directè merens gratiam, indirectè meretur remissionem offensæ cum *gratia incompossibilis*, sicut emens calorem, indirectè emeret *expulsionem frigoris* connexam cum calore.

Confirmationis Dist. Ant. Christus non aliter satisfecit pro nobis, nisì nobis merendo gratiam per *obsequia adæquantia*, imò excedentia gravitatem offensæ *Conc.* non adæquantia *Neg. Ant. & Consequ.* licèt enim virtus condignè meritoria gratiæ, *quatenùs infinita*, & connaturaliter, debita: sic Christo conveniat ratione unionis hypostaticæ: sicut *satisfactoria* pro offensa, ideoque sub tali ac tanta perfectione, quæ creaturæ communicari nequeat: tamen est *pu-* 24.

re

ræ creaturæ communicabilis, quatenùs eſt ex *gratuito favore Dei, & finitô modô* procedens.

25. *Dices.* Juſtificatio impij juxta *S. Thomam* eſt majus opus, quàm mundi creatio: *ergo* ſicut iſta non poteſt communicari creaturæ, ità nec illa. *Reſp. Diſt. Ant.* Eſt majus ex parte *effectus* producti, nempe *gratiæ* formaliter juſtificantis *Conc.* exparte *modi producendi* ex nihilo *Neg. Ant. & Conſeq.*

26. *Ad 2dam Prob. Maj. num. 17. Diſt. Maj.* Obligatur ex juſtitia ad remiſſionem offenſæ directè, & per viam ſolutionis adæquantis gravitatem offenſæ *Conc.* indirectè, & per viam prœmij incompoſſibilis cum offenſa Dei *Neg. Maj. vel ſic*: obligatur ex juſtitia *independenter* ab acceptatione creditoris *Conc.* dependenter *Neg. Maj. ſic Diſt. Min. & Neg. Conſequ.* Sed

27. *Dices cum P. Gormaz num.* 311. Sicut non poteſt quis mereri pro alio ſinè acceptatione præmiantis, ſic non poteſt quis ſatisfacere pro alio, nisì priùs *acceptetur in fidejuſſorem* pro alio, nemo enim tenetur admittere ſatisfactionem fidejuſſoris, quam non acceptavit: *ergo* in merito, & ſatisfactione pro alio, *æqualis intervenit acceptatio*, & per conſequens non obſtante acceptatione, opus talis puræ creaturæ non *tantùm* eſſet *meritorium*, ſed etiam *ſatisfactorium* pro offenſa aliena. *Reſp. Neg. Conſeq.* Propter ly *æqualis*, licèt enim *utrobique* interveniat acceptatio, non tamen *utrobique eſt æqualis*, quia inæquales pariens effectus, & *diverſa reſpiciens objecta. Nam* 1*mò.* Acceptatio meriti ſuperaddit operi meritorio de condigno *efficaciam* in actu ſecundo, adeóque *ſupponit* ipſum meritum quoad condignitatem ſuam in actu primo. Acceptatio autem fidejuſſoris non ſuperaddit efficaciam ipſi ſatisfactioni, ſed tantùm facit,

cit, ut *fidejussor sit moraliter*, & *interpretativè debitor*, adeóque satisfactionem non *præsupponit*, sed habet se *antecedenter* ad illam; sicut debitor habet se antecedenter ad satisfactionem à se præstandam. *2dò.* Acceptatio fidejussoris *non extingvit* in acceptante eo ipso formalitatem *creditoris*, sed ut diximus, tantùm *generat* in fidejussore *formalitatem debitoris*. *E contra* verò acceptatio *meriti* condigni *extinguit in acceptante* formalitatem creditoris, & generat in ipso formalitatem *quasi debitoris*, & *in merente* formalitatem *creditoris*. *3tiò.* Denique acceptatio fidejussoris pro satisfactione præstanda pro immediato objecto *respicit personam*, quia satisfactio est quid personale, & fidejussio pro ipsa, cautio personalis: acceptatio autem meriti non respicit pro objecto immediato *ipsam personam*, sed opus *meritorium personæ*: *ergo* in merito, & satisfactione non intervenit utrobique æqualis, sed inæqualis acceptatio.

Ad 3tiam Prob. Neg. Consეq. Ideo enim respectu 28.
debiti pecuniarij non est dabile meritum condignum condonationis absque restitutione æquali *formaliter*, *vel æquivalenter tali*, quia non est dabilis *terminus incompatibilis* cum debito pecuniarum non æquivalens adæquatæ solutioni debiti, nam si esset dabilis, posset stare meritum condignum condonationis debiti pecuniarum absque restitutione æquali *formaliter, vel æquivalenter tali*, scilicet illud, quod mereretur ejusmodi terminum incompatibilem cum debito pecuniarum, non tamen *æquivalentem* ipsi adæquatæ solutioni. In nostro casu autem datur talis terminus, nempe gratia sanctificans, quæ est incompossibilis cum offensa Dei, ideóque potest dari meritum non æquivalens satisfactioni, & tamen condignum ad remissionem offensæ per hoc, quòd condignè,

dignè, & directè mereatur gratiam habitualem incompossibilem cum offensa, & sic indirectè etiam remissionem offensæ. *Ità Illustrissimus Godoy num. 70.*

29\. *Ad 2dum argum. num. 20. propositum Neg. Maj. Prob. Dist. Maj.* Plus est facere Deum debitorem, &c. *independenter* à voluntate divina *Conc.* dependenter ab illa, & insuper dante ipsis meritis *hanc efficaciam* per gratuitam eorundem acceptationem ut possint in actu secundo Deum obligare *subdist.* si id fieret cum *diminutione* ipsius Dominij divini, utì *in creatis fit* cum diminutione Dominij creati *Conc.* si non fieret, utì revera nec fit, nec fieri potest cum diminutione, sed potius cum *incremento extrinseco* Dominij divini *Neg. Maj.* Cùm enim Deus præmiando nostra merita *sua dona coronet*, sic dona donis, & bona bonis suis extrinsecè multiplicando *quasi ditescit*, & Dominium suum ampliat, quia hoc non facit quidpiam *alienando à se*, sed sibi omnia ista *appropriando*, & in suam gloriam *extrinsecam* convertendo, nosque specialiter in suos hæredes, & filios adoptando, adeóque agit *cummulativè*, *& non privativè*, quasi sicuti ordinans, conferens *alteri* ordinem non *privat se simili* ordine alteri collato.

30\. *Ad 3tium argum. num. 21. positum. Resp.* 1mò: *Retorquendo argum.* Opera nostra bona sunt moraliter operationes Christi: *ergo* sunt moraliter infiniti valoris, sicut sunt operationes Christi, non sequitur: *ergo nec ex eo*: quòd sint moraliter operationes Christi, sequetur: quòd sint satisfactoria, sicut sunt operationes Christi. Hinc *Resp.* 2dò *Neg. Conseq.* Quia sacramenta sunt *elevata* per virtutem *physicam* causativam gratiæ, ùt suppono *ex 3tia Parte*: Opera bona autem *puræ creaturæ* in ratione satisfactionis non sunt elevabilia *ultra dignitatem* personæ

crea-

creatæ, quæ cùm *essentialiter sit inferioris* ordinis, ac sit persona Dei offensa, & sit mensura, ultra quam crescere nequit dignitas operis boni, idcirco hoc nunquam crescere, & elevari potest ad æqualitatem offensæ divinæ sumentem *gravitatem* suam *à Majestate Personæ Divinæ* : *ergo*.

Objicies 4tò : ex eo : *quòd peccatum alienum resi-* 31.
stat gratiæ inducendæ in subjectum peccati. Peccatum resistit exigentiæ meriti alieni petentis gratiam remissivam peccati alterius : *ergo* meritum alienum non potest condignè, & efficaciter mereri gratiam remissivam peccati alterius. *Ant.* quod hìc profert *P. Gormaz Citatus num. 309.* Probat *in materia de merito Disput. 4. sect. 2. num. 224.* tali modo : peccatum utpote Dei *inhonoratio* prævalet merito : *ergo* resistit meriti causalitati cum prævalentia, ac proinde licèt meritum possit causare gratiam in subjecto in quo non est renitentia, non poterit tamen eam causare in subjecto, in quo renitentia reperitur. *Resp. Dist. Ant.* Peccatum resistit, & tamen supposito pactô divinô *non prævalet* merito, sicut nec prævalet sacramentis *Conc.* resistit, & prævalet *Neg. Ant.* & *Conseq. Prob. Dist. Ant.* Peccatum, non tamen gratia remissiva peccati prævalet merito alieno *Conc.* Et ipsa etiam gratia remissiva peccati prævalet merito alieno *Neg. Ant. Dist. etiam Consequens.* Resistit meriti causalitati satisfactoriæ, & ùt *immediatè* terminatæ ad ipsum peccatum abolendum *Conc.* meritoriæ, & ùt *immediatè* terminatæ *ad gratiam* abolitivam peccati *Neg. Conseq.*

Dices. Peccatum *actuale* resistendo prævalet me- 32.
rito alieno : *ergo* etiam *habituale*, adeóque omne mortale prævalebit merito de condigno gratiæ permodùm præmij alij subjecto conferendæ. *Resp.*

1mò : retorquendo : Peccatum actuale prævalet merito de congruo alieno gratiæ permodum præmij actu conferendæ : *ergo* etiam prævalet habituale? quod tamen adversarij negant, & expresse Gormaz de merito *Citato num.* 215. *Resp. 2dò* : *cum P. Mezger Tract.* 18. *Disput.* 28. *art.* 3. *num.* 19. *Neg. Conseq. Disparitas est* : Quia si Deus habenti peccatum habituale infundat gratiam permodum prœmij propter meritum alienum, eodem instanti *destruit privationem gratiæ* ei repugnantem & oppositam, adeoque *primum esse gratiæ* sanctificantis *componitur* cum *primo non esse peccati* habitualis, quod non repugnat. Si autem DEUS infunderet gratiam *actu* peccanti, non posset destruere privationem gratiæ, sed *primum esse* privationis gratiæ, & ipsa gratia, hoc est : primum *non esse*, & primum *esse* gratiæ componeretur *in eodem* instanti, quia in instanti *quô quis peccat*, indispensabiliter ponitur *primum esse aversionis* à Deo, quod ipsum est primum non esse gratiæ sanctificantis, adeoque duo contradictoria essent simul, quod omninò implicat.

THE-

THESIS VII.

Satisfactio Christi non solùm fuit ex se, & valore suo intrinseco (I.) sufficiens (II.) independenter ab omni acceptatione DEI, sed etiam (III.) superabundans. Est D. Thomæ hic art. 2. ad 2dum & Quæst. 48. art. 2. & lib. 3. sententiarum Distinct. 20. art. 2. Cui subscribunt Salmanticenses Tract. 21. Disput. 1. §. II. num. 35. Authoribus ibidem citatis à se. Estque teste Amico hic Disput. 5. sect. 8. num. 288. contra Calvinum, Scotum, Almacinum, Durandum, & reliquos ibidem citatos.

PRob. Thesis quoad 1mam partem. Ex eo: *quòd satisfactio Christi fuerit æqualis offensæ Divinæ. Nam 1mò*: sæpissimè in scripturis, ùt ad Titum 2. Apocal. 5. 1mâ Petri 1. 1mâ ad Corinth. 6. & 7. dicimur *empti & redempti* pretiô sanguinis Christi. *Atqui* leges emptionis, & redemptionis requirunt *pretij æqualitatem*: *ergo* Christi sangvis fuit pretium æquale, & per consequens facta per ipsum satisfactio, & redemptio fuit ad æqualitatem offensæ, adeoque *sufficiens intrinsecè* ad extinguendam offensam. 1.

2dò: Illa satisfactio est ab intrinseco æqualis, & condigna, cujus valor in morali æstimatione adæquat gravitatem injuriæ; *sed* valor satisfactionis Christi, ex se, & ab intrinseco adæquat gravitatem offensæ Deo irrogatæ: *ergo Prob. Min.* Gravitas offensæ contra Deum pensatur *ex eo*: *quòd sit offensa* Dei, sed satisfactio Christi est *etiam satisfactio Dei*, 2.

&

& personæ Divinæ; *ergo* adæquat gravitatem offensæ Dei. *Confirm. Non minùs* est potens *Dignitas* personæ *satisfacientis* ad influendum valorem moralem in actum satisfactorium, quàm dignitas personæ offensæ ad influendam gravitatem in offensam ipsi irrogatam: *ergo* cùm satisfactio Christi sit satisfactio personæ Divinæ, illius valor *ad minus adæquat ratione sui*, & ab intrinseco gravitatem offensæ Divinæ; *ergo*.

3. *3tiò*: *Cum Godoy num. 10.* offensa irrogata *Deo-Homini* non est minoris gravitatis, quàm illa, quæ *Deo soli* irrogatur, *sed* gravitas offensæ irrogatæ *Deo-Homini non est major* in æstimatione morali valore satisfactionis præstitæ ab Homine-Deo, sed ei æqualis: *ergo* &c.

4. *4tò*: Peccatum Adæ ex sua *intrinseca malitia* fuit efficax, & sufficiens ad *offendendum* Deum: *ergo* etiam *operatio Christi* ex sua *intrinseca* bonitate erit *efficax*, & sufficiens ad *satisfaciendum* Deo. Quia *Apostolus ad Rom. 5.* præfert satisfactionem Christi peccato Adæ *quoad efficaciam, dicens*; Ubi abundavit delictum, *superabundavit* & gratia, scilicet satisfactionis Christi, quod non verificaretur: si peccatum ex *sua intrinseca*, satisfactio autem ex sua *virtute extrinseca* esset efficax, & sufficiens.

5. *5tò. Denique*: seu supponatur offensam esse *infinitam simpliciter, seu secundùm quid.* Nam si *supponatur* offensam Adami in Deum, esse *infinitam simpliciter* ex eo, quod Deus *simpliciter infinitus* sit offensus, consequitur: quòd etiam satisfactio Christi sit simpliciter infinita, quia in satisfactione *Christi Deus est satisfaciens*, Deus autem non minùs est infinitus ùt *satisfaciens*, quàm *ùt offensus*: *ergo*. Si autem supponatur: offensam non nisi *secundùm quid esse infinitum*, ex eo; quia

quia respicit ex *parte objecti* Deum infinitum, *iterum consequitur*: satisfactionem Christi saltèm ex hoc capite esse offensæ æqualem, quia etiam respicit Deum infinitum cui satisfit: *ergo.*

Prob. Thesis quoad 2dam partem 1mò: ex Salmantic. cit. num. 167. Ex eo: *quòd, ùt ad Hebræos 5.* habetur: Christus exauditus *sit pro sua reverentia.* Unde sic: Christus exauditus *pro sua reverentia*, & non quidem pro sua reverentia *activa*, quâ ipse Deum reverebatur *super omnes homines*, sed pro sua reverentia *passiva*, quia filius Dei erat, & dignitati ejus debitum, ut exaudiretur, hæc enim est interpretatio hujus loci *SS. PP. ergo* non ex sola voluntate acceptantis, sed ex *majestate offerentis*, adeoque *ab intrinseco* erat dignus clamor, & lachrymæ Christi ut exaudiretur pro salute generis humani. 6.

2dò: Ex eo: *quòd aliàs ex suppositione condignæ satisfactionis Incarnatio non fuisset necessaria.* Unde sic: *cum Amico num. 296. & Godoy num. 8.* Satisfactio ex *acceptatione condigna* illa est, quæ quamvis de *se* non æquivaleat injuriæ, ab *offenso* tamen acceptatur, *acsi* æquivalens esset: *sed* satisfactionem *ejusmodi* potuisset *purus* homo exhibere, cùm posset Deus illius satisfactionem, etsi *ratione sui non æquivaleret* offensæ, *pro æquivalente acceptare*: *ergo* ad satisfactionem *ab extrinseco*, & ex Dei acceptatione condignam, nam fuisset necessaria Incarnatio. 7.

3tiò: *Ex eo*: *quòd sequeretur*; quòd non tantùm contritio, & attritio cum confessione haberent *de facto* condignitatem *ad remissionem peccati*, & primam gratiam sibi impertiendam, quia Deus utramque ad hunc effectum acceptat, *sed etiam satisfactio puræ creaturæ* esset *major* satisfactione Christi, in casu, quo ipsam acceptaret, sicut posset, non solùm *ad delen-* 8.

delenda peccata *hominum*, ſed etiam *dæmonum*, quia ſatisfactio Chriſti *ſolùm* fuit acceptata ad delenda peccata hominum, *ſed* hoc non: *ergo*.

9. *4tò: Ex eo: quòd operationibus Chriſti tribuatur valor, & condignitas ſatisfactionis pro offenſa ex ratione unionis hypoſtaticæ ad Verbum.* Unde ſic: Quòd operibus Chriſti tribuitur *ratione unionis* ad Verbum, id *non* provenit *ab extrinſeco* v. g. ab acceptatione Dei, conſtat enim unionem ad verbum *non eſſe* prædicatum *extrinſecum* reſpectu ſangvinis, & operum Chriſti, cùm ſint *ipſi immediatè*, *vel mediatè unita*, ſed infinitus valor tribuitur operibus Chriſti ratione unionis ad Verbum, ùt conſtat ex *Extravag. Unigenitus de Pœnitentijs*; *& Remiſſionibus. Ubi Clemens VI.* expreſsè docet: vel unicam guttam ſangvinis Chriſti *propter unionem ad Verbum* pro redemptione *totius generis* humani ſatisfeciſſe: *ergo*.

10. *Prob. 5tò: Ex eo: quòd ſatisfactio ſolùm ex DEI acceptatione condigna offenſæ ſit imperfecta in ratione ſatisfactionis.* Nam, qui debens 100. & ſolùm 50. ſolvens *exſtinguit* debitum, *quia creditor voluit* illos acceptare pro centum non perfectè, ſed imperfectè ſolvit, quia creditor reliquos 50. *gratiosè* condonat; *ergo* ſolutio, & ſatisfactio *condigna non ex ſe*, & ab intrinſeco, ſed ſolùm ex *acceptatione creditoris* talis, eſt *imperfecta* in ratione ſolutionis, & ſatisfactionis; & conſequenter, ſi ſatisfactio Chriſti fuit *ſolùm ex acceptatione* Dei condigna, erit *imperfecta* in ratione ſatisfactionis, ſicuti contritio, & attritio peccatoris, *licèt acceptata* à Deo pro offenſa, eſt *ſatisfactio imperfecta*.

11. *Prob. denique 6tò: Ex eo: quòd nulla ſatisfactio indigeat acceptatione in ratione ſatisfactionis.* Satisfactio *quâ talis* eſt ſolutio *æqualis* aut etiam *ſuperabun-*

bundans exhibita à persona offendente pro illata injuria; *atqui* talis solutio *ex natura sua* non indiget acceptatione, cùm enim solvitur *adæquatè* debitum, *eô ipsô, desinit formaliter esse creditor: ergo* essentiale satisfactionis est non indigere acceptatione. *Atqui* satisfactio Christi est solutio non modò æqualis, sed *abundans*, ùt mox videbimus: *ergo* etiam satisfactio Christi non indiget acceptatione.

Prob. 3tia pars Thesis 1mò, Ex eo; quòd valor satisfactionis Christi excedat gravitatem offensæ in morali æstimatione. Nam 1mò: *ad Rom. 5. de satisfactione Christi ità prædicitur*: Non *sicut* debitum, *ità* & donum *multò magis gratia DEI, & donum in gratia hominis unius JEsu Christi in plures abundavit. Et Psal. 129. De Christo.* Quia apud Dominum misericordia, & *copiosa* apud eum redemptio: *ergo.* 12.

2dò: Quia valor, & dignitas satisfactionis Christi fundatur in *reali*, & *physica unione hypostatica*: per quam saltèm mediatè operationes uniuntur *Divino supposito*, tanquam *formæ dignificanti*, fiuntque Theandricæ: Econtra neque *mediatè*, aut physicè, unitur *offensa ulli supposito Divino*, neque etiam moralis unio offensæ fundatur *inmediata* unione physica. Aliunde verò constat: *ab eadem* forma *perfectiori modo* unita perfectionem effectum præstari: *ergo* Deus tanquam forma perfectiùs unita operibus Christi, quàm offensæ, perfectiùs illa, quàm hanc in *morali æstimatione*, & genere suo magnificat. *Confirm.* Sic enim si actus increatus esset meritorius, ut est meritorius actus Theandricus, & creatus Christi, esset majoris valoris meritorij, quàm actus creatus Christi, idque ideo, quia licèt respectu utriusque actûs esset *eadem forma* valorans, nempe Deitas, quia tamen actum increatum valoraret per *unionem essen-* 13.

 tialis

tialis identitatis, actum autem creatum Christi non valoraret *per tam eximiam unionem*, sed tantum per *unionem communicationis*, quæ *respective* esset unio imperfectior in data hypothesi: *ergo* à pari hìc, quia unio moralis fundata *in unione physica* est perfectior, quàm sit *non fundata* in illa, idcirco &c.

14. *3tiò*: Quia offensa tantùm est objectivè, & extrinsecè infinita secundùm quid, ècontra satisfactio Christi est infinita etiam subjectivè, intrinsecè, adeoque simpliciter, ùt *sequenti Thesi videbimus*, *sed ergo &c.*

15. *5tò*: Per satisfactionem Christi persona Divina suam dignitatem *realiter* submittit; per peccatum autem *tantùm interpretativè*, & affectivè, seu *tentativè* dignitas personæ Divinæ offendenti *subjicitur*, & *in hac* unione, & *affectiva* subjectione morali, *non verò* in ulla unione physica etiam mediata, offensæ cum offenso fundatur gravitas offensæ, *sed* &c. ergo &c.

16. *5tò*: Quia etiamsi offensa esset *simpliciter* infinita in ratione offensæ, adhuc deberet considerari juxta *moralem æstimationem* in linea *valde inferiori*, ad lineam satisfactionis, sicut v. g. linea infinita argenti ad lineam infinitam auri est *inferioris* ordinis: *ergo*. *Prob. Ant. offensa* est opus *puræ* creaturæ, & satisfactio est *opus ipsius Dei*, ad eum modum, quô operatio facta *ab Angelo* est Angelica, *non verò*, quæ fit *circa Angelum*, *sed &c. ergo &c.*

17. *6tò*: Quia si consideremus offensam, deprehendemus eam ultimatè crescere ad tantam gravitatem ex *ratione offensi*, ex *reliquis* verò capitibus videbimus eam *decrescere* multipliciter, nempe ex *fragilitate* creaturæ offendentis, ex *ignorantia*, ex magnitudine tentationis, &c. si verò consideretur satisfa-

ctio

ctio Christi ex *pluribus capitibus crescit* in æstimatione morali: *superat* enim magnitudinem offensæ consideratâ etiam personâ offensâ cui per ipsam satisfit, non quasi major sit persona satisfaciens quàm offensa, cùm sit idem Deus; sed quia, ùt diximus, in ratione *secunda*, plus valet ad augendum valorem satisfactionis infinitas personæ, posita ex *parte principij*, quàm ad augendum valorem offensæ infinitas importata ex *parte objecti*, quia sic non mediatè physicè, & realiter unitur offensæ. Et præterea etiam crescit, & augetur satisfactio Christi ex *magnitudine scientiæ*, & cognitionis, ex *perfecta* deliberatione ex *constantia* voluntatis, & firma erga Deum adhæsione: *ergo* absolutè omnibus consideratis satisfactio Christi in ratione satisfactionis in *morali* æstimatione *excedit* gravitatem offensæ.

7mò: Quia Christus satisfaciens majus aliquid 17.
exhibuit Deo, quàm exigeret *recompensatio totius offensæ*, & quidem *majus* quid, non tantùm *intensivè*, eò, quòd satisfactio Christi sit in genere moris intrinsecè infinita, non verò offensa, quæ proinde pro sui recompensatione directè satisfactionem intrinsecè infinitam exigere non potuit, sed etiam exhibuit *plus extensivè*, eò, quòd vitam suam, & *totum sangvinem* obtulerit, cùm interea vel *unicus* actus illius, & *unica guttula* sangvinis illius ùt ait Clemens VI. in Extravag. Unigenitus, suffecisset. Quòd autem *satisfactio Christi etiam fuerit abundans independenter ab acceptatione Dei, sic Prob.* Ex *ijsdem* principijs convenit satisfactioni Christi, quòd sit *superabundans*, ex quibus provenit, *quòd sit condigna*, *sed* quòd sit condigna, id provenit illi *ab intrinseco*, quia ratione unionis hypostaticæ; *ergo*. Quòd sit superabundans, ei provenit etiam ab intrinseco, quia id

etiam habet ratione unionis hyppoſtaticæ ad Verbum Divinum.

§. I.

Solvuntur Objectiones contra primam partem Theſis.

18. OBjicies 1mò. Ex eo: *quòd ſatisfactio Chriſti non adæquet gravitatem offenſæ.* Offenſa irrogatur Deo, ùt Deus eſt; *ſed* Chriſtus non ſatisfecit ùt Deus, ſed ùt homo 1*mò*: quia aliàs *idem eſſet offenſus*, & ſatisfaciens. 2*dò*: Quia humanitas eſt principium quô operationum Chriſti. 3*tiò*: Quia Chriſtus ùt homo fuit prædeſtinatus, non verò ùt Deus: *ergo* etiam ùt homo fuit ſatisfaciens, non verò ùt Deus; *ergo* valor ſatisfactorius operationum Chriſti *non adæquat* gravitatem offenſæ Deo irrogatæ. *Prob. hæc ultima Conſeq.* 1*mò*: Cùm exceſſu in forma, non ſtat æqualitas cum effectu, *ſed* Deus qualiter eſt forma gravificans offenſam, eſt dignior Verbo, qualiter eſt forma dignificans ſatisfactionem: *ergo* valor ſatisfactorius operationum Chriſti non adæquat gravitatem offenſæ, quia gravitas offenſæ eò major eſt ſatisfactione, quô dignior eſt formâ gravificans offenſam formâ dignificante ſatisfactionem Chriſti. *Prob. Min.* Verbum valorat operationes Chriſt *ùt homo*, id eſt: ùt humanitati unitum, ly *ùt* dicente ſaltèm conditionem, licèt non rationem formalem valorandi; *Atqui* Deus gravificat offenſam ùt Deus *in ſe ipſo injuriatus*, & *non ùt unitus* alicui extremo creato etiam *ly ùt dicente* conditionem: *ergo* plus gravificat offenſam, quàm dignificet ſatisfactionem Chriſti, ſicut Deus ut immediatè, & intuitivè viſus, plus

plus perficit; intellectum, & cognitionem cognoscentis, quàm ùt mediatè, & abstractivè visus.

2dò. Christi satisfactio non tantum placet Deo, 19.
quantum displicet ei peccatum; *ergo* non adæquat offensam. *Conseq. patet. Prob. Ant.* Peccatum non minùs displicet Deo, quàm ipsi placeat *propria bonitas*, peccatum enim est *de se distructivum divinæ bonitatis*, quantum autem amatur aliqua res, tantum odiô habetur, & displicet destructivum illius, *atqui* satisfactio Christi non ità placet Deo, quantum ei propria bonitas, ùt patet: *ergo* non ità placet Deo, quantum ipsi displicet peccatum.

3tiô. Ad satisfactionem adæquantem offensam re- 20.
quiritur: ut personæ satisfacientis dignitas tantum superet personam *offensam*, quantum persona offensa superat *offendentem*, aliàs enim non tollitur *tota inæqualitas* & in proportio inter offendentem, & offensum, *atqui* Christus satisfaciens non potest superare infinitam DEI offensi dignitatem: *ergo. Confirm.* Si peccaret Christus, illius offensa minor esset, quàm offensa *à puro* homine illata propter *vilitatem personæ humanæ* offendentis: & tamen ad æqualem satisfactionem pro illa *requiritur* persona divina: *ergo* ad satisfactionem pro offensa majori, scilicet *à puro* homine illata, requiritur plus; *ergo* persona dignior, quàm divina, quæ cùm repugnet, repugnat etiam satisfactio Christi adæquans offensam à puro homine Deo illatam.

4tò. Si per impossibile DEUS offenderet alium 21.
Deum, valor satisfactionis Christi *solùmmodò adæquaret* gravitatem offensæ Deo illatæ ab *altero* Deo, *atqui* gravitas offensæ illatæ à creatura est *major*, quàm sit gravitas offensæ illatæ ab altero Deo: *ergo*

 defa-

defactò valor satisfactionis Christi non adæquat gravitatem offensæ illatæ à creatura.

22. *5tò*. Offensa creaturæ est infinita ex duplici capite. *1mò*: ratione personæ infinitæ, quæ est offensa. *2dò*: ratione *infinitæ distantiæ*, quæ est inter personam offendentem, & offensam; *sed* satisfactio Christi *non est* infinita *ex duplici* capite, non est enim infinita ratione infinitæ distantiæ inter personam cui satisfit, & personam, quæ satisfacit, utraque enim est divina: *ergo* non est æqualis offensæ: *ergo*, &c.

23 *Resp. ad 1mum cum Illustrissimo Godoy num.* 15. *Conc. Maj. Dist. Min.* satisfacit ùt homo tantùm *Neg.* ùt homo simul & Deus *Conc. Min. & Conseq.* Satisfactio Christi offertur à Christo, qui est Homo Deus. Homo Deus autem utpote *verus Deus* non est minor Deo, sed infinitæ dignitatis; *ergo* & valor satisfactionis, qui desumitur à dignitate satisfacientis est dignitatis infinitæ. Itaque in actu satisfactorio duo considerantur: substantia actus, & valor illius in æstimatione morali. *Primum* præstat humanitas ùt principium *quò* eliciens, & Verbum ùt homo tanquam agens *quod* constitutum per humanitatem. *Secundum* autem præstat verbum non ratione humanitatis, sed ratione Deitatis, adeoque ipsum Verbum est *principium quò formaliter*, & in genere quasi causæ formalis dignificativum, & valorativum actûs satisfactorij quoad æstimationem moralem. Et hinc quia offensa Dei non *intrinsecè* gravificatur à Deo tanquam à quasi causa formali, sicut dignificatur satisfactio Christi, sed tantùm *extrinsecè* tanquam *à termino*, inde non tantùm æqualis, sed *major est satisfactio* Christi in genere satisfactionis, quàm sit offensa in genere offensæ. Nam satisfactione

Chri-

Christi etiam Deus *physicè ùt quod* satisfacit, offensâ autem physicè non læditur. *1mæ Prob. Min. Dist. Ant.* Idem eôdem modô consideratus *Neg.* diversô modô consideratus *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Nam Deus fuit offensus, ùt abstrahit ab humanitate Christi, fuit autem satisfaciens ùt non abstrahens ab humanitate, sed ùt unitus illi. *2dæ Prob.* iterum *Dist. Ant.* humanitas est principium quô, operationum Christi elicitivum *Conc.* valorativum, & dignificativum *Neg. Ant.* *3tiæ Prob. Neg. Conseq. Disparitas est ex Salmantic. num.* 224. *Ex eo*, quòd Christus non ùt Deus, sed solùm ùt homo potuerit esse capax ullius gratiæ, cùm autem prædestinatio *sit gratia*, non potuit prædestinari *ùt Deus*, sed solùm *ùt homo*, seu ratione humanitatis, quæ se habet ùt ratio formalis receptiva, *seu ut subjectum* quo respectu gratiæ prædestinationis; quia persona Christi *ratione humanitatis habet*, ut prædestinari queat, sicut ratione humanitatis habet, ut satisfactionem eliciat, non verò ratione DEItatis: quia secundùm hanc rationem est *incapax* ut *sibi gratia fiat*, bene verò *est capax*, ut *gratiam præstet* dignificando permodum formæ satisfactionem Christi ad valorem infinitum, adeoque majorem, quàm sit gravitas offensæ, idque ùt diximus, independenter à gratia sibi facta. *Ad Prob. ultimæ Conseq. Neg. Min. Prob. Neg. iterum Min.* Nam Deus gravificat offensam, ùt cognitus, ly *ut* dicente conditionem, & unionem duntaxat accidentalem creaturæ cum Deo, quæ multò inferior est, illâ unione substantiali humanitatis Christi cum Verbo Divino. *Et Neg. Conseq.* Quia non injuriatur ùt *est in se*, sed ùt est *in intellectu* injuriantis, & abstractivè illam cognoscentis.

Ad 2dum Neg. Ant. Prob. Neg. Maj. Nam, ùt inquit 21.

quit *Gonet num. 37. ad 2dum.* Licèt peccatum mortale sit destructivum Dei, *moraliter*, & inefficaciter, non tamen est destructivum ipsius *realiter efficaciter*, seu physicè, quod esset necesse, ut tantum odio habeatur, quantum diligitur ipsa bonitas Dei, quæ est infinita in omni genere: *ergo.*

25. *Ad 3tium Neg. Maj.* Sufficit enim ad satisfactionem æqualitas inter personam offensam, & offendentem. *Causalem autem Neg.* Imò eô ipso, non servaretur æqualitas, *quia excederet* offensam satisfactio. Unde licèt, ùt bene observat *Amicus Disput. 5. sect. 8. num. 317,* satisfactio Christi non compenset *formaliter* infinitum illum excessum, qui est inter personas offendentem, est offensam, quia est à persona *æquali ad æqualem*, offensa autem est à persona *vilissima* ad *dignissimam*, recompensat tamen illum excessum *æquivalenter* exhibendo pretium *infiniti valoris*, præsertim cùm ille infinitus excessus in offensa *limitetur* à *cognitione finita* offendentis. Unde *materialiter* tantùm concurrit ad offensam, cùm tamen persona Christi satisfaciens *formaliter* concurrat ad satisfactionem, quia illa *non* dignificat *ùt cognita*, sed ùt *physicè unita* cum natura operante.

26. *Confirmationi Resp. 1. casum implicare.* Nam si ponas Christum peccare, & durare unionem, ille homo posset satisfacere, quia *infinitè gratus* Deo, & Deus ipse *simul non posset*, quia esset *inimicus* Dei. Si autem per peccatum *destruatur* unio, jam non esset *idem* suppositum, quod peccavit, satisfaciens, & ideo verè non posset satisfacere, quia non esset Christus, de quo loquimur.

Resp. 2dò Dist. 1mam partem Ant. Esset minor secundùm quid *Transeat*: Minor simpliciter *Neg. Ant. & Conseq.* stat autem, aliqua esse æqualia, & *similia*

sim-

simpliciter & tamen esse *inæqualia secundùm quid.* Sic enim peccatum mortale angeli, & hominis sunt in ratione offensæ *æqualia simpliciter*, & tamen ratione *plenioris cognitionis*, peccatum angeli est *gravius secundum quid.* Sic duo alba sunt *simpliciter* sibi similia, & tamen *magis album* est alteri secundùm quid, nempe *ratione intensionis* aliqualiter dissimile. Dixi *Transeat.* Quia *posset negari Ant. quoad hanc* partem, & dici: quòd in illo casu peccatum Christi foret malitiæ simpliciter infinitæ, adeoque major, & non minor offensa: illo enim casu infinita dignitas personæ Christi *intrinsecè efficeret* offensam, adeoque ipsam non minùs intrinsecè infinitaret, quàm nunc infinitat satisfactionem in æstimatione morali.

27. *Ad 4tum. Cum citato Gonet Dist. Min.* Gravitas offensæ illatæ Deo à creatura est major secundùm quid, & *extensivè Conc.* est major *simpliciter*, & *intensivè Neg. Min. & Conseq.* Nam sicut perfectiones Divinæ, cùm *in se eminenter* contineant omnes perfectiones creaturarum non sunt majores intensivè, sed tantùm *extensivè* si sumantur *cum perfectionibus creatis*, sic etiam gravitas offensæ ab altero Deo, Deo irrogata, quæ esset in ratione *offensæ simpliciter infinita* (utpote facta à persona Divina infinitam Excellentiam Dei *infinitè cognoscente*) contineret in se etiam offensam creaturæ solùm *infinitam secundum quid*, & sic offensa creaturæ cum offensa irrogata à Deo, esset solùm major extensivè. Atque ità satisfactio Christi suo valore adæquans gravitatem offensæ irrogatæ à Deo conficto, etiam adæquaret offensam creaturæ eminenter contentam in offensa à Deo ficto. Sicut (inquit *Godoy num.* 18. *si* opus aliquod esset *condignè* meritorium

 Dei-

Deitatis in se mereretur etiam condignè Deitatem, & humanitatem simul, eò, quòd humanitas *nihil superaddat* Divinitati, quod in ea eminenter non præhabeatur.

28. *Ad 5tum. Transeat Maj.* Quam aliqui *Negant* propter ly *ex duplici capite*. Ratio negandi illorum est: Quia licèt offensa crescat ex vilitate personæ offendentis, non tamen *hæc sola vilitas* secundùm se absolutè considerata auget offensam (nam vilitas personæ offendentis v. g. mopsi non auget offensam commissam contra personam æquè vilem v. g. Tytirum) sed *ùt comparata cum excellentia* offensi. Sic autem facit *unicum principium* & caput ex quo crescit. *Sed permissa Maj. Resp.* imò *cum Mauro. Neg. Min. Ratio est: ex Richarde à S. Victore Lib. De Incarnatione.* Quia sicut homo infinitè vilis per peccatum se *extulit supra Deum*, ità Christus persona infinitè digna se *humiliavit* subdendo se hominibus peccatoribus, & dando se crucifixoribus *infinitè vilibus*, & sic in hac disproportione sevatur perfecta forma æqualitatis peritæ ratione *infinitæ distantiæ* inter personam satisfacientem, & offensam, sicut enim *per peccatum* creaturæ, *infimum* elevatur *supra summum*, ità per satisfactionem Christi *summum deprimitur subtus infimum*, adeoque satisfactio Christi est infinita etiam ratione personæ *Christi se humiliantis*, & vilificantis se infinitè, & *personæ Divinæ* cui se humiliavit. *Sed clarius. Resp.* 2dò *Dist. Maj.* offensa creaturæ est infinita ex duplici capite; ità, ut altera infinitas, quæ desumitur ex ratione infinitæ distantiæ offendentis ad Deum offensum, sit tantùm major *extensivè*, secundùm quid, & *eminenter contenta* in infinitate offensæ, quæ desumitur ex ratione personæ infinitæ, quæ est offensa *Conc.* ut sit major

jor etiam intensivè, simpliciter, & non eminenter in altera illa infinitate contenta. *Neg. Maj. sic Dist. Min. & Neg. Consequ.* Cùm enim infinitudo distantiæ inter offensam & offendentem contineatur eminenter in ipsa infinitudine offensæ, quæ desumitur à Deo offenso, idcirco valor satisfactionis Christi adæquans infinitatem offensæ, quæ desumitur à Deo offenso, etiam adæquat infinitatem illam offensæ, quæ desumitur ab infinita distantia personæ offendentis à persona offensa. *Responderi potest 3tiò Dist. Conseq.* Non est æqualis quoad numerum principiorum *Transeat* : quoad valorem, & æstimationem moralem *Neg. Consequ.* Quia valor utrobique desumitur ex infinitate personæ, hac tamen disparitate, quòd valor & gravitas offensæ desumatur ab infinita persona tanquam à termino, & extrinsecè; satisfactionis Christi verò tanquam à principio, & forma *intrinsecè* valorante. Unde licèt *cæteris paribus*, id, quod crescit ex *uno principio*, non possit adæquare id, quod crescit ex *duobus*, aut pluribus principijs, potest tamen *adæquare si non sint paria* illa principia, & si unum alterum, aut plura alia *eminenter contineat*, ùt hìc contingit : sic certò quoad numerum principiorum discursus humanus non adæquatur à cognitione angelica aut visione Beatifica, quæ intellectu *agente non egent*, & tamen quoad valorem, & perfectionem claritatis, & certitudinis non tantùm adæquatur, sed etiam exceditur ab illis. *Item : quoad numerum* sacramentorum status legis novæ non adæquat statum legis veteris, & tamen *excedit illum* quoad *valorem*, & efficaciam suorum sacramentorum, licèt numero pauciorum. *Denique* majoritas numeri, vel ex eo, non facit formaliter ad majoritatem perfectionis, quando ex

universali inductione illa eò sunt perfectiora, quæ magis *accedunt ad unitatem*, & simplicitatem tam in essendo, quàm operando.

29. *Objicies 2dò*, Ex eo: *quòd Christus non potuerit condignè gratias agere pro beneficijs in humanitate susceptis.* Juxta *Aristotelem 8. Ethicorum Cap. 13.* Dijs, Parentibus, & Magistris non possumus reddere *æquale pro beneficijs* acceptis: *ergo* neque Christus potuit Deo reddere pro beneficijs in humanitate sua susceptis: *ergo* minus poterit æquale pro offensa *aliena* Deo reddere: quia primùm debetur ex justitia, alterum ex gratitudine: *ergo* si Christus *non potest* condignè *gratias agere*, id quod minus est, minus poterit *satisfacere*, quia hoc est id, quod plus est. *Resp.* 1mò: *Cum Salmantic. Disput* 1. *num.* 200. *Godoy num. 26. Suaretz Disput. 4. sect. 3. ad 3tiam Transeat* 1*ma Conseq. Neg.* 2*dam. Disparitas est* 1*mò*: Quia beneficia data humanitati v. g. unio hypostatica est altioris ordinis *in ratione beneficij*; quàm sit *offensa in ratione offensæ*: *ergo* mala est *Consequ.* sic esset illa, quâ quis inferret: Christus non potuit *reddere plus*: *ergo* nec *æquale. Disparitas est 2dò*: quia ad *compensationem perfectam ex gratitudine* requiritur reddi *plus*, quàm sit beneficium acceptum, ad compensationem autem ex justitia perfecta *sufficit reddi æquale*: unde ex eo, quòd Christus non potuisset ex *gratitudine* perfectè compensare beneficia facta humanitati, non sequitur: ipsum non potuisse perfectè satisfacere ex justitia pro offensa. Quia satisfactio est in *materia justitiæ*: gratiarum actio autem in materia *gratitudinis*, cujus est plus reddere, quàm acceptum sit. *Disparitas est tertiò*: Quia in gratiarum actione Christi *includebatur* semper *novum beneficium* humanitati collatum, nempe *excitatia*

Di-

Divina ad gratias agendum, & ſic pro illa non potuit agere gratias, niſi per aliam excitationem, unde quævis gratiarum actio (adeoque & hæc gratiarum actio Chriſti) fuit, & eſt *novum beneficium* Dei per ſeipſum non compenſabile, quapropter quælibet gratiarum actio Deo facta, conſequenter etiam à Chriſto exhibita *relinquit* aliquod beneficium *non recompenſatum*, & ſic nulla eſt ad æqualitatem. At verò ſatisfactio Chriſti pro peccato non ſupponebat ſemper novum peccatum, & injuriam, neque fuit, neque affert novum peccatum injuriam aut novum debitum pro quo eſſet rurſus ſatisfaciendum: *ergo. Prob. hujus 2dæ Conſequ. Neg. Ant. cujus Prob. Diſt. 2dam partem.* Majus eſt debitum ex juſtitia majoritate *majoris obligationis Conc. materiæ* majoris ſatisfactionem reddendæ *Neg. Ant.* Materia enim gratiarum actionis pro beneficijs debet eſſe major quia excedens beneficium acceptum, quàm compenſationis ſatisfactoriæ pro offenſa, quia ad hanc *per ſe* non requiritur *ut excedat* illatam offenſam, ſed ſufficit *ſi adæquet.*

Reſp. 2dò. Neg. 1mam Conſeq. argument. Licèt e- 30
nim *Axioma Ariſtotelis* verum ſit de *pura creatura*, non tamen eſt verum de Chriſto qui eſt ſimul Deus & Homo. *Ratio* autem eſt, 1*mò*: Quia quælibet actio Chriſti eſt valoris ſimpliciter *infiniti in toto genere majoris*, cujus eſt capax, adeóque etiam eſt *infinita in genere gratiarum actionis*, & conſequenter ſufficiens pro omnibus beneficijs. Et quamvis cæteroquin beneficium non ſemper poſſit eſſe recompenſatio beneficij, quando tamen ipſum beneficium eſt actus *liber*, ideoque ſubſtans Dominio liberæ voluntatis, prout fit in merito Chriſti, *tunc* poteſt eſſe *redditio beneficij* ſaltèm *præteriti*, præſertim ſi actus illę

ille liber secum includat universaliter omnem valorem omnium beneficiorum prout iterum fit in merito Christi. *Ratio est 2dò* : Quia propter infinitam dignitatem personæ, Christus non tantùm pro acceptis beneficijs creatis obtulit actiones creatas, sed etiam valorem increatæ personæ, quæ nullam habebat obligationem ex beneficio. Unde respectu *illius* non habet gratiarum actio *rationem novi beneficij*, licèt eam habeat respectu humanitatis: imò hæc, & alia dona, quæ respectu *humanitatis* erant gratiæ & beneficia, respectu *personæ divinæ* erant debita permodum proprietatis, unde nihil obstat, quô minus Christus per actiones suas ut sic valoratas non tantùm possit gratias agere pro beneficijs, non tantùm præteritis, præsentibus, & futuris, sed etiam satisfacere *pro injuria aliena.* Quia valor illarum *simpliciter infinitus* ad hæc omnia recompensanda sufficit. Quare sicut per actum, quô quis vult DEO *omne bonum*, vult exercitè etiam *illummet actum*, cùm etiam contineatur intra omne bonum, licèt *se non respiciat directè* per modum objecti voliti. Ità Christus per actum, quô *gratias Deo agit* pro beneficijs in humanitate acceptis, gratias etiam egit pro *ipsâ gratiarum actione*, cùm hæc etiam computetur inter reliqua beneficia, licèt se directè non respiciat. Sed *contra hanc secundam Responsionem.*

31. *Replicabis.* Ad *perfectam* compensationem beneficij ex gratitudine, non sufficit *reddere æquale*, sed requiritur reddere plus supra acceptum; atqui Christus non potest Deo *reddere plus* cùm & *beneficium* unionis hypostaticæ, & gratiarum actio Christi sit æqualis dignitatis, nimirum, *infinitæ*: *ergo. Min. est certa. Prob. Maj. ex S. Thoma 2da 2dæ Quæst.* 10. *art.* 6. *in corpore*, quia gratitudo respicit beneficium secun-

secundùm *affectum dantis*, eò, quòd beneficium intenderit *gratis dare* id, ad quod non tenebatur. *Atqui* si solùm æquale reddatur nihil rependitur gratis; *ergo* ad gratitudinem requiritur aliquid plus, quod pro unione hypostatica non potest præstare Christus. *Resp.-Dist. Min.* Christus non potest Deo reddere plus *in re Conc.* plus *in affectu Neg. Min.* & *Conseq.* Sic enim affectus erat Christus ut si plus quàm à Deo accepit, reddere posset, redderet; id quod sufficit ad perfectam gratitudinem, ùt patet *ex S. Thoma citato*, ubi dicit: quod sicut in justitia attenditur *æqualitas rerum*, ità in gratitudine attendatur *æqualitas voluntatum.* Unde sicut excessus ille in gratitudine requiritur *propter affectum* liberaliter donantis, ità sufficit excessus propter affectum ex parte retribuentis. Et hinc, quamvis filius Patri ex *parte rei acceptæ*, scilicet: *esse* & *vivere* nihil æquale reddere possit, ex parte tamen *affectûs* dantis, & retribuentis potest *aliquid majus* Filius Patri retribuere.

Dices. Hinc sequi: puram creaturam posse ad æqualitatem gratias agere pro beneficijs acceptis. 32. *Prob. sequela.* Licèt enim pura creatura non possit reddere plus, aut æquale *ex parte rei*, potest tamen æquale, aut plus reddere, quàm acceperit *secundùm affectum*: *sed* hoc sufficit, juxta dicta, ad gratitudinem, *ergo. Resp.Neg. sequelam. Prob. Dist. 2dam partem Maj.* Potest plus reddere per actiones inferiores ad beneficia Dei *Conc.* æquivalentes beneficijs Dei *Neg. Maj. Dist. similiter Min.* & *Neg. Consequ.* Nam ad perfectam gratitudinem requiritur: ut recompensatio beneficij fiat per actiones *in re æquivalentes*, & *in affectu excedentes*, hujusmodi autem erant operationes Theandricæ Christi, & non potuerunt

runt

runt esse operationes *puræ creaturæ: ergo. &c.* *Sed*

33\. *Instabis.* Beneficium Incarnationis, seu Personalitas divina humanitati *communicata*, *est* simpliciter infinita in genere entis, actio autem Theandrica Christi tantùm est infinita in determinato genere, scilicet, *in genere moris*, & in æstimatione morali: *ergo* hæc non est æquivalens illi beneficio. *Resp. cum Salmantic. citatis Neg. Ant. licèt enim Personalitas* divina sit *in se physicè* infinita, adeoque *in genere entis*, tamen non est *infinitè physicè communicata humanitati*, sed finitô modô ob *limitatam* humanitatis *capacitatem*, & ideo beneficium Incarnationis, seu unionis ad personam divinam humanitati collatum non fuit *physicè* sed solùm *in genere moris* infinitum, quâ infinitate etiam gaudent actiones Theandricæ Christi.

§. 2.

Objectiones contra 2dam, & 3tiam partem Thesis.

34\. OBjicies *imò contra 2dam partem*, ex eo: *quòd satisfactio Christi ratione suæ intrinsecæ insufficientiæ indigeat acceptatione extrinseca Dei:* Nam *imò*: Merita Christi indigent acceptatione extrinseca DEI, *ergo* etiam satisfactio, *ergo* &c. *2dò*: Si satisfactio Christi esset intrinsecè sufficiens, & non indiga acceptatione Dei, Deus non posset à nobis exigere aliam satisfactionem, *atqui* exigit, nempe pœnas temporales, ùt patet *ex Trident. Sess. 6. cap. 14. ergo.* *3tiò*: omnis acceptatio est Deo libera, cùm sit opus ad extra: *ergo* Deus potuit non acceptare satisfactionem Christi; *subsumo*: *sed* illa satisfactio, quæ potest non acceptari, non est intrinsecè sufficiens:

ciens: *ergo*. *Resp. ad 1mum Dist. Ant.* Merita Christi indigent acceptatione *ex ratione meriti Conc. Ant.* Quia sub hac ratione habent rationem *pretij ementis*, quod non habet efficaciam in actu *secundo* invito *venditore*, licèt si sit condignum, habeat intrinsecam sufficientiam. *Ex defectu* valoris, & sufficientiæ intrinsecæ, & sub ratione satisfactionis *Neg. Ant.* Quia ùt sic, habent rationem *compensationis* injuriæ illatæ, & per consequens rationem solutionis debiti, quæ si in se condigna, & sufficiens est, habet suam efficaciam in actu secundo extinguendi debitum invito etiam creditore.

Ad 2dum Dist. Maj. Non posset à nobis exigere aliam satisfactionem, si satisfactio Christi semper in actu secundo, & quoad omnem effectum nobis applicaretur *Conc.* sin, ùt contingit in præsenti ordinatione Christi *Neg. Maj.* Nam applicatio satisfactionum Christi dependet à cooperatione hominum adultorum, ità ut Christus defactò *noluerit* suam Passionem habere *plenum effectum, nisi nobis cooperantibus*, & eam applicantibus per sacramenta, aut amorem Dei super omnia, vel per indulgentias, vel per opera pœnalia. *Etenim* juxta S. Thomam, Passio Christi operata est justificationem, & salutem nostram, tanquam causa *universalis*, causa autem universalis non excludit consortium *causæ particularis*, quia licèt ab illa non accipiat virtutem, *per illam* tamen *virtus illius descendit* in effectum, ùt patet in cœlo, sole, alijsque causis universalibus; *ergo* à pari hìc &c. *Sed*

Dices. Hanc responsionem derogare valori satisfactionis Christi. Prob. si Petrus satisfaciens pro captivo Paulo, non obtineret liberationem Pauli, nisì cooperante Paulo, derogaretur valori satisfa- 35.

ctionis Petri ; *ergo etiam &c.* *Confirm.* Juxta hanc responsionem homo se immiteret in officium redemptoris, & *faceret se corredemptorem sui* : *ergo* derogaret valori, & dignitati redemptionis, & satisfactionis Christi. *Resp. Neg. Ant. Prob. Dist. Ant.* derogaretur valori satisfactionis Petri, si Pauli cooperatio requiratur ex *defectu sufficientis* satisfactionis Petri *Conc.* si fiat *præcisè ex voluntate Petri* volentis ut Paulus sibi applicet suam satisfactionem *Neg. Ant. & Conseq.* sicut enim *medicus perfectè* medetur, licèt *æger* medicinam *sumendo sibi eam applicet*, ità Christus perfectè satisfacit, licèt homo *purus* satisfactionem *Christi sibi applicare debeat. Ad Confirm. Neg. Ant.* Nam officium redemptoris propriè consistit in solutione *æqualis* pretij, quod dedit solus Christus, & non purus homo. Unde sicut rex dicitur solus liberator captivi, qui solvit *condignum litrum*, licèt illud *extradat captivus*, & non rex, ità Christus *solus* dans *condignum* redemptionis pretium, solus nos redemit, licèt *nos illud nobis applicando*, quasi illud *simul extradamus* Deo à nobis offenso.

36. *Ad 3tium num. 24. Dist. Ant.* Omnis acceptatio positiva est Deo libera *Conc.* negativa *Neg. Ant.* Sic *Dist. Conseq. & Neg. Consequ. subsumptum etiam Dist.* Illa satisfactio, quæ potest tum *positivè*, tum *negativè* non acceptari, non est intrinsecè sufficiens *Conc.* quæ potest quidem non acceptari *positivè*, sed non *negativè Neg. Ant. & Conseq.* Acceptare positivè est satisfactionem præstitam ut in se sufficientem admittere, *acceptare autem negativè*, est condigna satisfactione *exhibita*, justè *non exigere* aliam ejusdem generis satisfactionem. Sic si is, qui Paulo furatur eqvum, restituat eundem eqvum, & compenset omnia damna emergentia, etiamsi Paulus nollet accepta-

ceptare eqvum per actum poſitivum, reſtitutio tamen hæc teneret, & debitor maneret liber ab onere reſtituendi, & ſatisfaciendi pro illa injuria reali, neque Paulus poſſet juſtè aliam reſtitutionem exigere, ac propterea *teneretur* eam acceptare *in ſenſu negativo*. *Idem Ant. ſic ſubdiſtingvi ulterius poſſet*: acceptatio poſitiva eſt Deo *libera ex ſuppoſitione antecedente Conc. ex ſuppoſitione conſequente Neg. Ant.* Nam Deus eò ipſo quòd voluerit Chriſtum eſſe caput, & vadem noſtrum, neceſſariò etiam ſimul voluit eſſe contentus ſatisfactione Chriſti, atque ità illam etiam *poſitivè acceptare* debuit *ex ſuppoſitione conſequente* ſuæ liberæ determinationis. *Sed*

Dices. Satisfactio Chriſti non eſt forma phyſicè in- 37
hærens homini: *ergo* non mutat hominem intrinſecè: *ergo* manet ùt antè; *ergo* ut tollatur culpa, & totum debitum exinde contractum, requiritur acceptatio Dei. *Reſp. Diſt. 2dam Conſeq.* Manet ùt ante quoad ſuum *eſſe phyſicum Conc.* quoad ſuum *eſſe morale Neg. hanc, & ultimam Conſeq.* Ad hoc enim, ut tollatur culpa *viâ ſatisfactionis*, non requiritur per ſe forma aliqua phyſicè inhærens, ſed ſufficit forma moralis moraliter inhærens homini, nempe adæquata ſolutio debiti, quemadmodum ipſa culpa *moraliter tantùm perſeverat* in ſuo effectu morali, nempe in reatu ſuſtinendi offenſam, & vindictam. Unde duplex eſt effectus hodiernæ ſatisfactionis Chriſti. Primus eſt in genere ſatisfactionis præcisè, & iſte eſt ſolutio perfecta debiti, & ablatio juris odij, & inimicitiæ, ad quam nulla requiritur acceptatio. Secundus eſt in genere *meriti*, & iſte eſt inſuper juſtificatio hominis, & interior renovatio, faciens ex indigno dignum amicitiâ Dei, & *ad hunc* effectum requiritur *acceptatio Dei*. Et hinc ſatisfactio Chriſti defa-

defactò nobis sinè merito Christi non prodest. *Ratio est*: quia defactò non deletur peccatum, nisi per *renovationem interiorem hominis*, transferentem peccatorem ex statu inimicitiæ ad statum amicitiæ, licèt aliàs *satisfactio* ex genere suo non transferat ad statum amicitiæ, sed tantùm tollat titulum *inimicitiæ*.

38\. *Objicies 2dò: contra 3tiam partem Thesis.* Ex eo: *quòd satisfactio Christi minoris sit efficaciæ, quàm peccatum in genere suo.* Peccatum Adami defactò *pluribus* nocet, quàm *prosit satisfactio* Christi; *ergo* hæc non est superabundans, quia minoris efficaciæ. *Prob. Ant.* Quia peccatum Adæ *omnibus* nocet, *non autem omnibus prodest* Christi meritum, & satisfactio: *ergo. Resp. Neg. Conseq.* Non enim est hic defectus *satisfactionis*, sed *malitiæ humanæ non* cooperantis satisfactioni Christi, quia *non salvamur nos sinè nobis*. Nam *peccatum* Adæ propagatur per realem generationem, *satisfactio* verò per *voluntariam regenerationem: ergo.*

THESIS VIII.

Satisfactio Christi fuit valoris in genere moris simpliciter infiniti. Est communis Thomistarum contra Scotum, & nonnullos alios.

1\. PRob. I. *Authoritate.* Nam *Clemens VI.* in Extravagante, *Unigenitus. De Pœnitentijs & Remissionibus*, de *Thesauro Ecclesiæ ait: de cujus consumptione, vel minutione non est aliquatenùs formidandum tam propter* infinita *Christi merita, &c. &*

D. *Thomas* hic *Quæst. 1. art. 2. & in 3. Distinct. 20. art. 2. in Corpore* docet: *pro mortali requiri satisfactionem DEI Hominis, quia requiritur satisfactio* infinita: *ergo.*

Prob. II. Ex eo: *quòd satisfactio Christi processerit* 2. *à persona infinita.* Tantò major est valor *satisfactionis*, quantò *major est dignitas* personæ satisfacientis: *sed dignitas* Christi satisfacientis est *simpliciter infinita*: *ergo* & valor satisfactorius illius operationum est in genere moris simpliciter infinitus. *Min. est de fide. Maj. verò Prob.* satisfactio pro offensa fit *per exhibitionem honoris*, & reverentiæ; *sed* homo tantò est major, *quantò dignior* est persona honorans, quia honor sic est in honorante, quòd honorans honore & reverentia, quam honorato præstat, simul eidem *suam personam submittat*; *ergo* tantò *major* est satisfactio, *seu submissio*, quantò major est dignitas personæ satisfacientis, & *se submittentis. Confirm.* 1mò: & explicatur ex *Amico hic Disput. 6. sect. 2. num. 73.* Quantò una persona in dignitate superat alteram, tantò ipsius operatio in *dignitate, & valore personali superat* operationem alterius: *sed persona verbi infinita* dignitate superat quamcunque personam creatam: *ergo* etiam ipsius operatio infinita dignitate superabit operationem cujuscunque personæ creatæ. *Subsumo*: *Atqui* quod *excessu infinitæ* dignitatis *superat* aliud, est infinitæ dignitatis *in se*: *ergo* operatio Christi est sic infinita. *Confirm. 2dò*: Opera Filij DEI *adoptivi* constituuntur formaliter & *intrinsecè*, *finitè* tamen sancta per gratiam adoptivam, per quam operans constituitur intrinsecè, & finitè sanctus: *ergo* etiam opera Filij DEI *naturalis* constituuntur *intrinsecè*, & *formaliter*, *sed infinitè* sancta per sanctitatem substantialem Verbi, per quam Chri-

Christus constituitur intrinsecè, formaliter, & infinitè sanctus.

3. *Respondent Scotistæ.* Satisfactionem non crescere *arithmeticè* ad incrementum Dignitatis *personæ satisfacientis*, id est: æqualem dignitatem cum illo participando, sed *geometricè* tantùm, & secundùm proportionem, taliter scilicet: quod si persona satisfaciens sit superior, illius etiam satisfactio *excedat* satisfactionem *personæ inferioris*, ac proinde ex hoc, quòd persona Christi satisfaciens sit infinitæ dignitatis, non sequi; illius satisfactionem esse *infiniti* valoris, sed solùm quòd sit *altioris ordinis*, & excedat omnes satisfactiones personæ creatæ. *Ratio* illorum est: Ex eo: quòd persona satisfaciens non influat in operationes *immediatè se ipsâ*, sed *mediô principiô* quô operativô. Unde quando hoc est finitum, qualiter in Christo evenit, qui *media humanitate*, & gratiâ habituali tanquam principijs finitis influit in operationes, nequit persona satisfaciens illis dare suam infinitatem. Sed *Contra est ex Illustrissimo Godoy num. 21. 22.* Quia ex hac Responsione, contra scotistas sequitur: quòd persona Christi satisfaciens, si non *immediatè valoret* satisfactionem, nequeat illi dare valorem à satisfactione *puræ creaturæ non adæquabilem*, & subinde, quòd satisfactio Christi non *sit altioris* ordinis, quàm *puræ* creaturæ in sententia scotistarum, quod tamen Negant. *Prob. sequela.* Principium quô, quô *mediante* influit persona Christi valorem in opera est *ejusdem rationis*, cum *principio quô* satisfactionis præstitæ *à pura creatura*, nempe: *humanitas*, & *gratia habitualis*, nam hanc *ejusdem intensionis* potest Deus etiam dare puræ creaturæ: *ergo* si persona Christi nullum valorem præstat *immediatè seipsâ*, sed *mediante principio* quô

quô limitatô, & finitô, satisfactio Christi non erit inadæquabilis, *& altioris ordinis*, quia *principium illud quô finitum* cum sit *ejusdem rationis* cum principio quô satisfactionis *puræ* creaturæ, non potest illi majorem valorem tribuere. *Nec dicatur*: ideo satisfactionem Christi habere valorem *à nulla pura creatura* adæquabilem, quia persona Christi influit ipsum *mediante humanitate*, *ùt à se immediatè dignificata*.

Nam contra est. Quia ex hoc ipso iterum contra 4.
Scotistas sequitur: Quòd satisfactio Christi sit in genere moris *simpliciter infinita*. *Probatur* juxta scotistas: Tunc valor satisfactionis *non est* in genere moris simpliciter infinitus, quando persona satisfaciens illum influit *mediante principiô infinitô* in ipsam satisfactionem; *atqui* humanitas Christi ùt *immediatè* dignificata à persona Verbi, non est principium finitum in genere moris, *sed infinitum*, quia valorem, & dignitatem suam *in hoc genere immediatè* accipit à principio *infinito*, non verò à principio aliquo *intermediante finito*: *ergo* Persona Christi influens mediante humanitate valorem in satisfactionem Christi, ipsam in genere moris facit infinitam.

Prob. III. Ex eo: *quòd concretum, cujus vel unicum constitutivum est infinitum, nequeat non esse infinitum*. Satisfactio Christi est concretum ex *entitate* satisfactionis *ùt subjecto morali*, & infinita Dignitate personæ Divinæ ùt *constitutivo intrinseco*, & forma intrinseca morali; *atqui* concretum est simpliciter infinitum, cujus vel *unicum* constitutivum intrinsecum est simpliciter infinitum: *ergo*. *Prob. Min.* 5.
ximò. *Ex Esparza hìc Quæst. X. & XI. in resolutionibus Quæstionum*. Concretum nequit esse minus, & imperfectius suo constitutivo, sicut totum nequit

esse

esse minus, & imperfectius sua parte, *sed* hujus concreti constitutivum intrinsecum *per modum formæ* moralis, est *simpliciter infinitum*, nempe *dignitas personæ infinitæ*: *ergo* etiam hoc concretum, satisfactio Christi erit simpliciter infinitum. *2dò*: Ut concretum sortiatur denominationem *positivam affirmativam*, & perfectivam, *non requiritur*; ut eam habeat *ratione omnium* constitutivorum. Sic homo est intellectivus, licèt materia de se non sit intellectiva, sic concretum Theandricum est simpliciter infinitum, licèt humanitas sit finita, *quia infinita dignitas Verbi non est deprimibilis* per humanitatem, sed *elevativa illius* ad infinitatem in ratione personæ: *Atqui* dignitas infinita est positiva, & *affirmativa* perfectio, licèt *explicetur* per terminum negativum, sicut immateriale; *ergo*. *Min. Prob.* Negatio activa negationis passivæ, seu non entis est affirmativa, & quò *major est* ejusmodi negatio, eò *major est affirmativa perfectio*, ità ut ens purum, quod est summo, & omni modo negatio non entis, seu nihili, sit maxima affirmativa perfectio: *Atqui* infinitas est negatio negationis, est enim *negatio limitaionis*, seu non entis, *& admixtionis nihili* in suo genere, quia omnis limitatio quâ talis est carentia entis: *ergo*. *3tiò*: Concretum ex duplici extremo, quorum *unum alterum non vitiat*, non minùs valet, quàm valeat unum ex suis extremis, ùt patet inductione, *sed* satisfactio Christi concrescit ex *actione creata* & dignitate *Personæ Divinæ* simpliciter infinita, quæ ab actione creata non vitiatur, *sed immutata & immutabilis manet*: *ergo* est *simpliciter* infinita *non* quidem in *omni genere*, sed solùm *genere moris*, cujus solius infinitatis simpliciter capax est. Sed

6. *Dices*. Ex Persona Verbi, & operatione Christi

non

non sit unum opus *simpliciter æternum*, quamvìs *contineat* constitutivum *simpliciter infinitum*: *ergo* etiam non fiet *simpliciter infinitum* in genere moris, quamvis *contineat* extremum simpliciter infinitum. *Resp.* *1mò. retorquendo argumentum imò*: licèt Christus contineat immensitatem, non tamen existit ubique: *ergo* etiam licèt contineat extremum simpliciter infinitum, non erit simpliciter infinitus. *2dò.* Licèt opus Christi contineat extremum *magis æternum*, non reddit illud *magis æternum*, quàm opus *puræ creaturæ*: *ergo* licèt contineat extremum magìs dignum, non reddet illud magìs dignum, quàm opus *puræ* creaturæ? *Resp. 2dò. Neg. Conseq. Disparitas est*: Quia ad hoc, ut opus sit simpliciter æternum requiritur: ut exstiterit *ab æterno*, certum autem est: quòd opus Christi non exstiterit ab æterno: *ergo* etiam certum est: illud non fuisse *simpliciter* æternum, sicut fuit in genere moris infinitum, quia ad hoc requiritur, *& sufficit, forma infinitè valorans*, quam habuit opus Christi.

Prob. IV. Ex eo: *quòd vis satisfactoria operum Christi sit sufficiens pro infinitis offensis.* Satisfactio, quæ *est sufficiens* pro *omnibus peccatis totius* mundi etiamsi in infinitum multiplicarentur, debet esse valoris simpliciter infiniti; *sed* satisfactio Christi est *sufficiens* pro omnibus peccatis totius mundi, *etiamsi in infinitum* multiplicarentur: *ergo. Min. Prob.* Tum quia si satisfactio Christi solùm esset sufficiens pro *determinato* numero peccatorum, timendum esset, nè in tantum multiplicarentur peccata, ùt *terminum præfixum excederent*, *& satisfactio Christi*, *exstingueretur*, quod repugnat verbis supra *ex Clementina relatis.* Tum etiam, quia cùm peccatum Adæ sit sufficiens *inficere infinitos* homines si nascerentur 7.

rentur ex Adamo, sequeretur: quod si Christi satisfactio non esset *de se sufficiens* ad delenda omnia peccata in infinitum multiplicata, sequeretur inquam: quòd satisfactio Christi esset *minor*, quàm peccatum Adæ, quia *hoc esset extensive infinitum*, non illa, quòd est contra *Apostolum ad Rom.* 5. *Maj.Prob.* Virtus effectiva effectuum syncategorematice infinitorum debet *esse simpliciter infinita*; *sed* satisfactio Christi sufficiens pro omnibus peccatis, etiam infinities multiplicatis est effectiva effectuum syncategorematicè infinitorum: *ergo. Prob. Maj.* Tum, quia ex hoc colligimus omnipotentiam DEI esse infinitam, quòd possit effectus syncategorematicè infinitos producere. Tum, quia effectus nequit excedere perfectionem causæ: *ergo* effectus *infinitus* nequit in *virtute finita* suæ causæ contineri: *ergo* ut aliqua causa habeat *virtutem causativam effectuum in infinitum* multiplicabilium, debet habere *virtutem physicam* (si sit continentia physica) vel moralem (si sit continentia moralis) infinitam: Ac proinde si satisfactio Christi gaudet *virtute satisfactoria* sufficienti pro culpis *syncategorematicè infinitis*, *continebit* valorem moralem *simpliciter infinitum*, sicut v. g. si pecunia esset *tanti valoris*, ut sufficeret ad emendum *infinitas merces*, deberet esse *infiniti valoris* in ratione pretij.

8. *Respondent iterum scotistæ* recurrendo ad altiorem ordinem, & dicunt: quòd, ut satisfactio Christi sit sufficiens pro culpis infinitis, sufficiat: quòd sit *superioris* ordinis ad offensam, cùm res inferioris ordinis, licèt infinitæ, nequeant adæquare id, quod est superioris ordinis. Sed

Contrà est 1mò: Licèt infinita ordinis inferioris nequeant physicè adæquare rem ordinis altioris, in illa

illa tamen, *nisi physicè* infinita sit, nequeunt physicè efficienter contineri, aliàs ex continentia effectiva infinitorum effectuum, *non probaretur* omnipotentiæ Divinæ *infinitas*, sed tantum *superioritas altioris ordinis*: *ergo* licèt infinita inferioris ordinis in genere moris nequeant adæquare id, quod in genere moris est superioris ordinis, in illo tamen effectivè contineri non poterunt, nisi in tali genere sint infinita. *Subsumo*: *atqui* satisfactio Christi *moraliter effectivè continet* remissionem peccatorum *etiam infinitorum*: *ergo*.

Contra est 2dò: *Quia sequeretur 1mò*: Quòd *etiam si offensa esset moraliter infinita*, non requireretur satisfactio infinita moraliter, quod est contra omnes, *ut inquit Godoy num. 9. Theologos*. Ratio autem est: quia offensa *licèt infinita*, *esset inferioris* ordinis, quàm satisfactio Christi juxta Adversarios finita: *ergo* &c. 2dò *Sequeretur*: satisfactionem *puri hominis* posse *adæquare* satisfactionem Christi. *Probatur*: ideo satisfactio *puri* hominis potest adæquare offensam, quia *persona Divina offensa non* tribuit offensæ *infinitatem*; *sed* etiam juxta scotistas persona Christi satisfaciens non tribuit satisfactioni Christi infinitatem: *ergo*.

Prob. V. Ex eo: *quòd nullum sit principium in genere moris limitans satisfactionem Christi*. *Nam* illa 9.
limitatio non potuit desumi ex *ipsa voluntate Christi*. Nam licèt Christus *liberè* satisfactionem elicuerit, *ex suppositione tamen consequenti*, quòd eam liberè elicuerit non potuit impedire, *quò minùs processerit à persona Divina* & facta sit Theandrica, *sed* hoc ipso est in genere moris infinita: *ergo*.

II. Nec potuit desumi *ex limitatione creatæ cognitionis Christi*. Nam ut operatio Christi sit Theandrica, 10.

drica, & in genere moris infinita, non requiritur, *ut cognoſcatur dignitas perſonalis* Chriſti à Chriſto eliciente ejusmodi operationem, ſed ſufficit, quòd *procedat à perſona divina, & infinita*; ſicut ad opus condignè meritorium non requiritur, ut merens præcognoſcat ſe *eſſe in gratia*, ſed ſufficit, quod hoc opus procedat a perſona *Deo grata*, *Ratio autem eſt ex Salmantic. num.* 177. Quia nec *ſtatus gratiæ*, nec *dignitas perſonæ* eſt circumſtantia ſe *tenens ex parte objecti*, ideóque nec requiritur: ut *cognita* ad valorem moralem operationis concurrat. Hujusmodi enim valor non dicitur *moralis per conformitatem ad regulas rationis*, quæ media cognitione applicantur, ſed *per ordinem ad prudens judicium*, quô tantò majoris æſtimatur operatio, quantò à perſona digniori procedit, idque ſalvatur, *ſive* perſona cognoſcat ſuam dignitatem, *ſive* non. *Per quod tamen non negamus*: quòd *conditio perſonæ poſſit eſſe circumſtantia moralis, & objectiva*, ſi ſe cognoſcat. Sed cum *D. Thoma* 1*ma.* 2*dæ. Quæſt.* 7. *& citatis Salmanticenſibus obſervamus*, quòd *eatenùs* perſona in operationem *per modum objecti* influens, non influat valorem in genere moris *infinitum*, *ſed finitum*, quia ùtſic influit valorem *moralem* per ordinem *ad regulas morum*, non verò per ordinem ad illud prudens judicium, hic, non verò ille in genere moris eſt infinitus. *Et ratio ulterior eſt*. Quia *objectum* non influit in ſuo genere in operationem niſì *influxu phyſicè limitato*, & præter hunc influxum *nullum habet alium*. Perſona verò Chriſti *præter* influxum phyſicum, & limitatum *à principio proximo*, concurrit in operationem altero concurſu *morali in genere moris illimitato*, ſumpto ab infinitate Perſonæ Divinæ in *ordine ad judicium prudens* in æſtimatione morali: *ergo*, &c.

III.

III. *Non potuit* limitatio satisfactionis Christi desumi ex *principio quô sui* elicitivo. 1mò: Quia licèt det *entitatem, non tamen dat dignitatem* personalem, & per consequens *nec valorem*, illam consequentem satisfactioni Christi, adeoque *nec* habet *illa limitare* nisì *entitativè*, & physicè, quô sensu in satisfactionem influit, *non autem moraliter*, cùm *moraliter*; *& dignificativè* non influat. 2dò: Hoc ipsum principium *quô* licèt sit *entitativè* finitum, tamen est *moraliter infinitum*: *ergo* non limitat, sed potius attollit ad infinitatem moralem satisfactionem, quam elicit.

3tiò: Principium *proximum ùt quô*, non limitat satisfactionem Christi ad inferiorem ordinem, & non impedit, ùt sit altioris ordinis: *ergo* nec limitabit ipsam, neque impediet, quò minùs in genere moris sit infiniti valoris. 11.

IV. Nec limitatur satisfactio Christi *à limitatione unionis operationum ad suppositum* Verbi Divini. 1mò. quia etiam hæc ipsa unio est in genere moris infinita. 2dò: Quia *limitatio physica unionis* humanitatis Christi ad Verbum Divinum non obstat, quin *humanitas* Christi *infinitetur* à Verbo Divino; *ergo nec limitatio unionis* physica operationum Christi ad suppositum divinum obstat, quò minùs infinitetur in genere moris à Verbo Divino. 3*tiò*: Quia unio est tantùm *conditio*, non ratio formalis dignificandi: *ergo*. 12.

V. *Nec ipsa limitatio physica ipsarumet operationum Christi obstat infinitati morali earundem.* 1mò: Quia hæc non obstat *infinitati morali in humanitate* Christi, quæ est *finita physicè*, *& infinita moraliter*: *ergo* nec obstat in *ipsis operationibus*, ut sint infinitæ in genere moris. 2dò: Quia limitatio subjecti solùm 13.

solùm potest limitare *formam educendam* ex illo, aut intrinsecè physicè; *& connaturaliter* in illo *recipiendam*, non verò illam, quæ per eductionem ex illius potentia non fit, *nec* etiam in illa physicè, & *connaturaliter recipitur*, quia hæc tantùm *perficit subjectum*, *non autem est perfectibilis*, adeoque *nec limitabilis* a subjecto; *sed* persona divina non est forma educta, nec *connaturaliter* physicè recepta in operatione, & humanitate divina: *ergo* sicut non physicè, ità nec moraliter ab illa limitatur. Adeoque cùm satisfactiò Christi *nec* à voluntate, *nec* à cognitione, *nec* à principio *quò*, *nec* ab unione, *nec* denique *à propria sua physica* limitatione in valore *morali personali* limitetur; & persona divina aliunde *apta sit infinitare* moraliter, ùt patet in humanitate Christi, nullúmque adsit aliud limitationis principium, consequitur: illam esse *in valore Personali infinitam*.

14. *Prob. denique Thesis VI. Ex conceptu infiniti.* Infinitum est illud, *quod nulla acceptione finita exhauriri potest*, *Aut* unde licèt accipere *finè fine*. Vel denique, quô *majus in suo genere* excogitari non potest; *atqui* sic est operatio Theandrica Christi in genere moris, non solùm *ùt satisfactoria*, *sed etiam ùt meritoria*: *ergo* est moraliter, quantùm *ad valorem personalem intrinsecè infinita*.

15. *Objicies 1mò.* Ex eo: *quòd operatio Theandrica non desumat infinitatem in genere moris ab infinitate personæ.* Objectum infinitum non communicat actui *perfectionem*, *& denominationem* intrinsecè *simpliciter infinitam*: *ergo* nec persona *operans infinita* communicat *dignitatem simpliciter* intrinsecè infinitam. *Ant. patet 1mò* in visione Beatifica. 2dò: In offensa peccati mortalis, quæ juxta vos à Deo offenso *nullam* contrahit in genere *moris infinitatem intrinsecam*.

cam. 3*tiò*: In operibus Deiparæ solùm finitis. *Prob.* *autem Conseq.* Ideo objectum infinitum non dat visioni beatæ, & creatæ infinitatem, quia *unitum intellectui finitô modô* juxta mensuram luminis gloriæ. Et ideo: Deus offensus non dat offensæ infinitatem, quia *applicatur, & unitur* offendenti *finitô modô*, juxta mensuram *cognitionis* prævia, quam *offendens* habet de Deo, idem est de operibus Deiparæ; *atqui* etiam persona infinita unitur *humanitati satisfacienti finitô modô*, nempe per unionem hypostaticam *finitam, & creatam*: *ergo* pariter non dabit *infinitatem* satisfactioni *simpliciter* talem.

II. Licèt 1*mò* Deus sit *infinitus*. 2*dò*: Licèt Christus sit *persona infinita*, tamen creatio Dei, & operatio Christi externa transiens, *& naturalis*, *seu non libera*, ùt est nutritio, augmentatio, &c. non est simpliciter infinita: *ergo* neque satisfactio Christi erit *ab infinitate personæ* simpliciter infinita. 16.

III. Ab infinitate personæ non habet humanitas Christi *quòd infinitè subsistat*; *ergo* nec ab illa habet quòd *infinitè valeat* in genere moris, & multò minùs operatio Christi id habebit. 17.

Confirmat. Quia personalitas verbi potest terminare v. g. naturam Angelicam, ideo non supponitat humanitatem *infinitè*; *sed* etiam personalitas Verbi potest valorare naturam Angelicam: *ergo* non valorat humanitatem, & operationes Christi *infinitè*. 18.

IV. Quia sequeretur 1*mò*: quòd satisfactio Christi non minùs placeret Deo, quàm ipse actus Divinus *per identitatem talis*, esset enim illi æqualis, quia in genere moris infinitus: aliunde verò quod non æquè placet Deo, ac Deus infinitum non est: *ergo*. 2*dò*: Quia Personalitas DEI constitueret humanitatem diligibilem *super omnia*, quia illam constitueret

tueret *infinitè diligibilem*, & ſanctam. *3tiò Denique* ſequeretur: quòd homo juſtus *ùt octo*, eliciens actum *ùt unum*, plus mereatur, quàm juſtus *ùt quatuor* eliciens actum *ùt quatuor*, quia ille eſt *dignior perſonâ* iſtô. *Sed* hæ omnes ſequelæ ſunt falſæ; *ergo*.

19\. V. *Satisfactio* non creſcit ex dignitate perſonæ *patientis*. Nam *1mò* habentibus eadem peccata, in purgatorio eadem pœna infligitur, etiamſi ſint in æquali gratia. *2dò*: Cruciatus Chriſti non eſt ſimpliciter infinitus, licèt ſit paſſio perſonæ *ſimpliciter infinitæ*: *ergo* nec ſatisfactio.

20\. VI. Major dignitas perſonæ *ementis*, *& præmiantis* non confert in emptione majorem *intrinſecum* valorem pretio, & prœmio: *ergo* nec dignitas perſonæ redimentis, & ſatisfacientis Chriſti conferet pretio redemptionis, quòd ſunt operationes Theandricæ, *dignitatem infinitam*.

21\. VII. Major Chriſti ſatisfacientis dignitas, utpote majus beneficium à Deo acceptum, majorem parit obligationem in Chriſto ſatisfaciente: *Atqui* valor ſatisfactionis *decreſcit ex majori* obligatione ſatisfacientis, quia ſic ſatisfactionis obſequium magìs eſt *obligantis*, quàm *obligati*; *ergo* etiam valor ſatisfactionis non creſcit, ſed decreſcit ex *majori dignitate* perſonæ ſatisfacientis: *ergo*, &c.

22\. VIII. *Denique ſequeretur*: *quòd meritum*; *& præmium ſe invicem augeant ſinè fine*. *Prob. ſequela*. merens, gratiâ quâ prœmiatur, *redditur dignior* quàm antea fuerit: *ergo* ſi ex majori dignitate operantis creſceret valor meriti, deberet propter idem opus *nova dignitate* auctum, *conferri novum præmium*, quô rurſus magìs creſceret dignitas operantis, & ſic proportionatè ſinè fine: *ergo*.

Reſp.

Resp. ad 1. *Cum Amico. Neg. Conseq.* **Ratio** *Dispa-* 23.
ritatis desumitur ex *diverso* modo, quo *persona*, *finis*, *objectum* concurrunt ad actum. *Persona* enim concurrit ùt *forma actûs*, *objectum & finis* autem ùt *terminus habitudinis actûs*. *Forma* intrinsecè *includitur in suo effectu formali* ùt albedo in albo, ac proinde etiam persona, quæ *moraliter* dignificat suum actum, moraliter includitur in illo *ùt forma* in suo effectu formali. *Terminus* non includitur intrinsecè in habitudine actûs, quem terminat. *Forma* per unionem *non potest limitari*, quin præstet suum effectum formalem, quia effectus formalis nihil est aliud, quàm *ipsa forma unita subjecto*, unio autem non potest limitare formam, quin se *totam communicet subjecto*, cùm sit ipsa intrinseca communicatio formæ. *Terminus* verò extrinsecè terminans habitudinem ad se non communicatur supposito operanti *totaliter & intrinsecè*, sed tantùm *extrinsecè*, & *objectivè* prout est in potentia cognoscitiva talis suppositi, adeoque sæpè sæpiùs valde imperfectè, & limitatè; ac proindè sicut terminus *non totaliter*, & intrinsecè communicat perfectionem suam supposito, sic neque eam *intrinsecè*, & *illimitatè* conferre potest ipsi actui in se tendenti, sed tantùm eô *modô* quô est *in cognoscitiva* suppositi tendentis in illum. *Ex quo habetur*, quòd plus conferat *persona*, quàm *objectum* ad actum valorandum, dicuntur enim actiones *Regis regiæ*, licèt non *Regem* pro objecto habeant. Non dicuntur autem actiones *rustici* regiæ, etsi *Regem pro objecto* habeant; nisì purè extrinsecè, sicut cultus latriæ dicitur Divinus; quia *objectum* non comparatur ad actionem, & naturam operantis, *ùt forma* componens unum morale cum illis, sicut persona, sed tantùm *ùt terminus extrinsecè* terminans habitudinem a-

ctionis ad se. *Unde* bene negata est *Conseq.* Nam si esset perfecta paritas: *sequeretur*: quòd, sicut *objectum beatificans*, quia *limitatè* communicatur beatis, potest se semper perfectiori, & perfectiori modô communicare in ratione objecti beatificantis: ità etiam Persona Verbi si *limitatè* communicaretur Christo, posset alia unione perfectiùs se communicare in ratione *termini suppositantis alij naturæ*, aut in ratione *suppositi operantis* perfectiùs eidem naturæ, quod tamen Adversarij negant. Idcirco ratio cur *visio beata* ab objecto infinito non infinitetur, est, quia *non unitur* potentiæ *immediatè* per exclusionem luminis gloriæ, sed mediante illo, & *juxta mensuram* illius, per exclusionem solius speciei intermediæ, & quidem *non substantialiter*, & in esse reali sicut unio hypostatica unit Personam Divinam humanitati, sed *accidentaliter*, & in esse intentionali, adeoque non intrinsecè, sed *extrinsecè*. *Eadem est ratio*, quare *offensa Dei*, *& opera B. Virginis* non sint infinita simpliciter, & intrinsecè, sicut satisfactio Christi, quia nempe Persona infinita Christi satisfecit, fúitque principium satisfactionis *prout est in se*, *& in suo esse reali*, non verò *ùt cognita*, quia ad valorem personalem in actionem transfundendum *non requiritur*, *ut dignitas personæ cognoscatur*, ùt patet in merente de condigno. *Accedit*: quòd dignitas per peccatum *offensi*, & per opera DEIparæ placati DEI, etiam *ùt cognita* maneat reipsa *extrinseca supposito* operanti, & per consequens etiam ipsis operationibus, *non sic* persona satisfacientis Christi manet extrinseca supposito, & operationibus satisfacientis Christi. *Probationi Conseq. Dist. Min. imò* sic: Unitur finitô modô, id est: per unionem hypostaticam finitam *in genere entis Conc.* finitam *in genere moris Neg. Min. Dist.*

etiam

etiam Conseq. non dabit *infinitatem physicam* & in ge-
nere entis *Conc.* non dabit infinitatem in genere mo-
ris *Neg. Conseq. Eadem Min.* etiam sic à *Godoy num.*
51. distingvitur: per unionem finitam *ùt quod Conc.*
finitam *ùt quo Neg. Min.* Quia unit intrinsecè for-
mam infinitam *summò modô possibili,* quod non præ-
stat ullum *lumen gloriæ*, & cognitio creata objecti
infiniti.

Ad II. Verò Neg. Conseq. Disparitas est 1*mò*: quia 24.
Deus, *& actio creativa*, Christus, & actio *transiens*
non constituunt *intrinsecè unum concretum per unio-*
nem realem etiam *mediatam* cum Deo, & Christo,
sicut operationes immanentes, adeoque respectu si-
milium actionum *non habet se persona infinita* Christi
ùt forma moralis intrinsecè moraliter ad prudens ho-
minum judicium, informans, & infinitans, habet
se autem sic respectu *operationum immanentium*, &
hinc, sicut imago picta à Rege, non est nisì *extrin-*
secè regia, pictio autem quæ est *actio immanens*, *est*
intrinsecè regia, sic similiter hìc, &c. *Unde* juxta
hanc responsionem, quoad actiones *naturales, & non*
liberas Christi ùt est nutritio, augmentatio, & plu-
res sensationes internæ, potest *ex Salmantic. num.*
190. *Dist. Ant.* Ejusmodi actio naturalis *non est* sim-
pliciter intrinsecè *infinita in genere moris* infinitate
satisfactoria, aut meritoria Conc. quia ad intrinsecam
satisfactionem non minùs quàm ad meritoriam re-
quiritur *intrinseca libertas*, cùm satisfactio sit *honor,*
& hic libera submissio, & humiliatio sui. *Infinitate*
alterius rationis; scilicet ex valore præcisè *personali*
Christi *Neg. Ant. & Conseq. Disparitas* 2*da omnes*
partes Antecedentis concernens ex Goneto hìc num. 57.
est hæc: Quia satisfactio Christi est ejusmodi opera-
tio *quæ supra suppositum Christi prout est in se*, specia-
liter

liter reflectit, non tantùm ùt est *principium elicitivum* operationis satisfactoriæ, sed *simul* ùt est *principium submissivum, & humiliativum* sui in natura assumpta, & operationis suæ, cùm satisfactio *sit honor*, quod non facit *creatio*, *neque actio transiens*, aut naturalis Christi. Jam autem sicut in Rege illæ actiones, quæ non sunt *specialiter reflexivæ* supra personam *ùt Regiam* à qua eliciuntur, & quæ proinde *cæteris paribus* non sunt majoris dignitatis in Rege, quàm in rustico, ùt est *edere, dormire, ambulare*, &c. non censentur in dignitate sua *moraliter regiæ*, bene verò illæ, quæ *specialiter* supra dignitatem regiam reflectunt, ùt *est genuflexio à Rege exhibita*, aut etiam leges à se conceptæ, &c. censentur esse dignitatis regiæ; sic etiam *solæ* actiones Christi *supra* personam infinitam Christi *specialiter reflectentes*, sunt dignitatis moraliter infinitæ, ùt erant actus obedientiæ, humilitatis, religionis, gratitudinis, satisfactionis, &c. solentque à Theologis vocari *non tantùm operatio DEI*, sed etiam *DEIficatæ*, *Theandricæ*, *DEIviriles*, sicut actiones quæ procedunt ex imperio rationis, & libertatis nostræ à Theologis vocantur *non tantùm hominis*, sed *humanæ*.

25. *Ad III. Transeat Ant. Neg. Conseq.* Adhuc enim disparitas est: quia subsistentia infinita Verbi unitur humanitati *supplendo* vices subsistentiæ *creatæ propriæ* humanitatis; adeoque illam non constituit *ità perfectè* subsistentem, ac redderet subsistentem naturam Angelicam, quia hanc supponendo, gereret vices subsistentiæ Angelicæ utique perfectioris humanâ, atque ità reddendo subsistentem naturam humanam non reddit illam subsistentem infinitè. At verò subsistentia infinita Verbi *ùt valorans in genere moris* humanitatem, & operationes Christi non supplet

plet vices *valoris finiti*, ſed unitur ùt forma adæquata *adæquatè dignificans*, & *nequaquam* limitata, quò minùs in genere moris humanitati, & operationibus Chriſti infinitatem præſtare queat: *ergo.* *Confirmationi, quæ eſt ſimul replica: compleo cauſalem Majoris, cum diſtinctione*, ideo, & *inſuper* quia in terminando, & *ſuppoſitando phyſicè naturam creatam*, solùm ſe habet, & habere poteſt *juxta menſuram ſubſiſtentiæ creatæ*, cujus vices gerit *Conc.* quia ſe habet, & habere poteſt *juxta propriam ſuam menſuram*, ſicut ſe habere poteſt in *dignificando*, & *ſanctificando moraliter* naturam creatam *Neg. Maj. Diſt. etiam Min.* poteſt valorare *phyſicè in ſuppoſitando* juxta *menſuram* ſubſiſtentiæ Angelicæ, cujus *vices gerit*, moraliter autem in dignificando juxta *menſuram dignitatis propriæ Conc. ſecùs Neg. Min. Diſt. etiam Conſeq.* Non valorat infinitè extenſivè *Conc.* intenſivè *Neg. Conſeq.* licèt enim perſonalitas Verbi poſſit alias naturas, & operationes ſanctificare, & dignificare in *valore perſonali*, non poteſt tamen illas *magis ſanctificare*, quàm humanitatem ſanctificat, quia hanc *nullius creatæ* dignitatis perſonalis vices attendendo, *ſed ſuas ſinè termino* in genere moris communicando dignificat, adeoque *intenſivè moraliter infinitè*.

Ad IV. Neg. 1*mam ſequelam.* Quia non eſſet ſatisfactio Chriſti actui per *eſſentiam infinito*, qualis eſt actus per identitatem, & in *eſſe entis* divinus, *æqualis* eô ipsô, quòd ſit duntaxat in *genere moris* infinita, & per communicationem, adeoque *participativè* ſolùm Divina. Etenim infinitas per *communicationem eſt inferioris* ordinis reſpectu *infinitatis per eſſentiam*, adeoque etiam infinitas in *genere moris* reſpectu infinitatis *in genere entis*, quod enim infinitum eſt *infinitate entitativa*, *eſt infinitum à ſe*, quod autem 26.

dunta-

duntaxat *morali*, est infinitum *infinitate alienâ*, sibi intrinsecè aliunde communicata. Hinc licèt humanitas Christi sit *dignitatis infinitæ*, impeccabilis, infallibilis *non tamen est æqualis* infinitati, sanctitati, & veritati Dei; *sic nec satisfactio* Christi infinita *est æqualis actui divino*, quia est per *essentiam*, non verò in genere moris per *communicationem* talis. *Ultimum Disting*. Quod *non æquè* placet Deo, ac Deus, infinitum *non est per essentiam Conc.* per *communicationem Neg.* 2*dam Sequelam etiam Neg. Probationem Dist.* Constitueret *infinitè* diligibilem *infinitâ* diligibilitate *per essentiam Neg. per communicationem Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Quia ut constitueretur *super omnia à se distincta* diligibilis, requireretur, ut constitueretur diligibilis *diligibilitate infinita per essentiam tali.* 3*tiam Sequelam cum Salmantic. num.* 205. *& Godoy num.* 71. *&* 79. *Dist. Maj.* sequeretur, *si valor meriti cresceret ex dignitate merentis concomitanter* se habente ad actum *ùt meritorium Conc.* habente se *formaliter*, & per se *Neg. Maj.* Jam autem *dignitas personæ* Christi operantis, *non habet se concomitanter*, & materialiter, sed *formaliter* & per se ad quamlibet operationem suam liberam. *Ratio est*: quia personalitas Verbi non *subditur libero* usui voluntatis, est enim *substantiale principium ùt quod* constituens personam, & *suppositum* operans, quale non est gratia, & hinc *non potest* voluntas unita verbo operari *finè* illius concursu, adeoque persona Verbi necessariò *dignificat opera Christi secundùm totum*, ac proinde *infinitè*, nequit enim persona se uti, quin se utatur totâ. *Econtra* gratia cùm sit habitus quoad *intensivum influxum*, & usum *subjectus voluntati nostræ*, dignificat *opera*, quantum ad intensionem juxta *eundem intensivum*, *dependenter à voluntate operantis*,

rantis, *limitatum influxum physicum*, quem præstat; & sic gratia licèt sit intensa *ùt octo*, si non influat nisì *ùt unùm* non præstat operi dignitatem gradualem nisì *ùt unum*, quia juxta *alios intensionis* gradus *non applicatur* ad operandum, sed perinde se habent, acsi non adessent. Sicut enim persona habens gratiam non semper utitur gratiâ, sed *quando vult*, ùt patet in homine justo eliciente actum purè naturalem, sed etiam illâ utitur, *quantùm*, & *quomodo* vult, quia habitibus utimur prout volumus. Sed

Replicabis. Gratia tribuit valorem bonis operibus 27. *in genere causæ formalis*; sed influxus in genere causæ formalis *non dependet à nostra* voluntate: *ergo* influxus gratiæ *etiam quoad intensionem* non dependet à nostra voluntate. *Confirm*. Regia dignitas non est substantialis, sed accidentalis; sed *hæc independenter* à voluntate Regis *æqualiter* dignificat opera Regis: *ergo* à pari accidentalis dignitas gratiæ *æqualiter* dignificat opera hominis justi: *ergo* data disparitas non est sufficiens. *Resp. cum citato Godoy num. 81. Dist. Maj. tribuit* valorem bonis operibus in genere causæ formalis *mediante physica conjunctione* cum actibus, eorundemque influxu physicè effectivo *dependente* quoad *intensionem à nostra* voluntate *Conc. sinè* hac conjunctione, & influxu effectivo ità dependente à nostra voluntate libera *Neg. Maj. Dist. etiam Min. influxus causæ formalis* non conjunctus, & dependens ab influxu physicè effectivo, & dependente *à nostra voluntate*, non dependet *à nostra* voluntate *Conc.* ità conjunctus, & dependens *non dependet subdist: immediatè*, & proximè in quantum est *formaliter dignificans Conc.* non dependet *radicaliter*, & præsuppositivè, in quantum *substat voluntati* influxus physicus gratiæ, mediante quo influit in opera bo-

na, gratia ùt jam *ad certum intensionis* gradum conferendum limitata *Neg. Min. & Conseq. Confirmationi Dist. Maj.* Est accidentalis, & simul moralis, ac purè extrinseca *Conc.* Est accidentalis physica, & *intrinseca Regi Neg. Maj. & Conc. Min. Neg. Conseq. Ratio est*: quia dignitas Regia utpote denominatio extrinseca, sic extrinseca est operibus Regis, ut *nullam physicam unionem* habeat, aut requirat cum illis, ut ad ea comparetur *tanquam causa formalis valorans*, & ideo *nec* formaliter, *nec* præsuppositivè *limitari* potest ex influxu *libero* voluntatis. E contra gratia habitualis *exigit physicam unionem mediatam* cum illis, simúlque influxum effectivum, qui cùm *dependeat* à voluntate liberè se determinante ad *intensiùs, aut remissiùs* agendum, inde dignificatio moralis, quæ provenit à gratia, etiam dependet *mediatè*, & præsuppositivè à voluntate.

28. *Ad V. Dist. Ant.* Non crescit *de se*, & quoad valorem in actu primo *Neg. per accidens* ratione alicujus circumstantiæ, in qua dignitas personalis purè *concomitanter*, non verò formaliter & *influxivè* se habet ad satispassionem *Conc. Ant.* sicut enim *imò* Sacramenta *mortuorum* ex se in actu primo sunt collativa *gratiæ primæ*, & *vivorum* gratiæ *2dæ*, licèt illam per accidens ratione *diversæ dispositionis subjecti* illud recipientis *non semper* conferant in actu secundo. *2dò*: Sicut peccatum *veniale* ex se est punibile pœna *temporali*, *ùt conjunctum* autem cum mortali in statu infernali punitur *per accidens æternâ*; sic satispassio *per se crescit ex dignitate satispatientis*, licèt per accidens ratione certæ circumstantiæ incrementum illud in actu secundo non assequatur. Hinc ad 1mam instantiam dico: habentibus eadem peccata, sed *inæqualem gratiam*, eandem pœnam infligi, quia majo-

majoritas gratiæ habet se *pro statu purgatorij* in satispatiente *per accidens*, & concomitanter ad satispassionem pœnæ, & impeditur à sua efficacia in actu secundo ex *circumstantia DEI*, & Christi *decernentis*, ut pœna in statu purgatorij *commensuretur culpæ*, *non verò dignitati* personæ satispatientis, utpote se *merè passivè* habentis respectu pœnæ *Ad 2dam instantiam Dist. Ant.* Prouti injuria hæc habet personam Christi pro objecto *Conc.* prout injuria hæc pertinet ad personam Christi *ùt liberè acceptantem*, & moraliter immediatè, *& intrinsecè illam* permodum *formæ* valorantem *Neg. Ant. & Conseq.* Sed

Dices. Formà intrinsecè valorans, debet esse rei 29.
valoratæ intrinseca; *sed* persona Christi non est operibus Christi intrinseca: *ergo. Resp. Dist.Min.* non est illis intrinseca ùt *forma physica Conc.* non est illis *immediatè intrinseca*, ùt forma *moralis Neg. Min.* Nam humanitas Christi *mediat* inter operationes Christi, & verbum, *non ùt forma* moralis illas dignificans, *sed ùt subjectum* illarum, ideoque non impedit, quin verbum sit forma moralis *immediatè* illas dignificans; sic *persona* creata *dignificat* suas operationes ùt forma *moralis immediata*, *eodem ordine* moralis dignitatis, in quo ipsa est, licèt inter ipsam, & operationes suas *natura creata permodum subjecti intermediet.*

Replicabis. Personalitas verbi nequit esse forma phy- 30.
sica: *ergo* nec moralis intrinseca satisfactionis. *Prob. Conseq.* si esset forma moralis intrinseca, faceret *compositionem moralem*: *sed* hæc repugnat personalitati divinæ: *ergo. Prob. Min.* Personalitati divinæ *repugnat compositio rationis* ex genere, & differentia, *sed* compositio moralis *est major*, *quàm rationis*, cùm hæc sit omninò minima: *ergo* si ei repu-

 gnat

gnat hæc, repugnabit magìs illa. *Confirm. Sa-ctio est forma* denominans personam satisfacien-*ergo persona* satisfaciens non potest esse forma ralis constituens, & denominans satisfactionem, *subjectum denominationis non potest esse forma de-nationis. Resp. Neg. Conseq.* Quia forma physica ens *incompletum*, & perfectibile, adeoque in se impe-fectum, forma moralis *purè dignificans*, *non est q-imperfectum*, sed *dans perfectionem* æstimabilitatis denominatæ: *ergo, &c. Probationi Neg. Min. hu-probationi Dist. Min.* Compositio moralis est *maj-*quàm rationis ex genere, & differentia, &c. Si co-positio ista *rationis sumatur formaliter non attentâ fu-*damentô *Conc. attentô fundamentô* illô, quod exi-compositio rationis ex genere, & differentia *N. Min.* licèt enim compositio ex genere, & different-*formaliter* accepta sit *aliquid rationis*, tamen *pro fu-damento exigit* compositionem *realem*, *vel* ex ma-ria, & forma, *vel* ex essentia, & existentia, *qu-non exigit* pro fundamento compositio ista *moralis*, deoque illa, & non hæc repugnat Deo. *Confirma-tioni Dist. Ant.* Est forma denominans in *esse physi-Conc. in genere moris quoad valorem, & dignitatem pe-sonalem Neg. Ant.* Nam in genere moris *valorem*, dignitatem personalem satisfactio *non dat*, *sed acc-pit à persona. Conseq. absolutè Neg.* Non enim r-pugnat ut secundùm *diversum esse* duo se mutuò terminent, & denominent.

31\. *Ad VI. quantum ad emptionem Dist. Ant. Major dig-nitas* personæ ementis in *emptione pura*, quæ *sim-non est meritum*, *aut satisfactio*, non confert intrin-secum valorem pretio sibi extrinseco *Conc.* non con-fert valorem intrinsecum in *emptione indistincta pretio*, merito, & satisfactione ementis, sicut est Re-demptio

demptio Christi *Neg. Ant. & Conseq. Quantum ad præmium Resp. Neg. Conseq. disparitas est*: quia remuneratio respicit *utilitatem* merentis, cujus utilitatis mensura est id, *quod accipitur*; & non *dignitas dantis*, adeoque ad prœmium habet se *dignitas personæ* prœmiantis *extrinsecè*, materialiter, & per accidens, *non sic* se habet dignitas personæ satisfacientis ad satisfactionem, quia hæc *respicit submissionem personæ satisfacientis respectu personæ offensæ*, cui satisfit. Sed

Dices. Circumstantia debet *cognosci* ut valorizet; 32.
ergo etiam debet *infinitè cognosci*, ut infinitè valorizet; *atqui* dignitas personæ divinæ à Christo cognoscitur tantùm *finitè*; *ergo* etiam tantùm *valorizat finitè* satisfactionem. *Resp. Dist. Ant.* Circumstantia personalis *Neg. strictè* objectiva *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* argumenti, & subsumpti.

Ad VII. Majorem parit obligationem gratitudi- 33.
nis *Conc.* Justitiæ, & satisfactionis *Neg. Maj. & Min.* Quia Christus *stante* unione hypostatica *poterat non* acceptare munus fide-jussoris, adeoque nec obligari ad satisfaciendum.

Ad VIII. Denique: Resp. Neg. sequelam. Probatio- 34.
ni Dist. Ant. redditur dignior dignitate *exercente causalitatem in meritum* antecedens, cui hæc nova dignitas correspondet permodum prœmij: *Neg.* dignitate *non exercente* causalitatem in meritum illud antecedens *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Quia illa gratia accepta in prœmium esset jam *effectus meriti* se naturâ antecedentis, & non causa *nisi meriti se naturâ permodum effectus consequentis. Cùm verò soli* illi gradus gratiæ dignificent meritum, qui sunt *principium* meriti, *& naturâ priores*, ideo non sequitur, quod objectio intendit. Instantiam dat *Cardinalis Lugo Disput. 6. num. 44.* Si propter egregia facino-

cinora Rex promitteret Equiti Marchionatum *titulô obtinendæ victoriæ*, & Marchioni Ducatum, licèt Eques mereretur per victoriam Marchionatum, *non mereretur propterea* illum Ducatum, *quia* Marchionis dignitas *fuit effectus*, & *non causa* obtentæ victoriæ ab Equite.

35. *Objicies 2dò*, Ex eo; *quòd valor satisfactorius sequatur bonitatem moralem operum Christi sumptam ab objecto, & circumstantijs tenentibus se ex parte objecti.* Valor satisfactorius *nequit excedere* bonitatem *moralem* operis sumptam ab objecto, &c. *sed* hæc bonitas moralis *etiam* in operibus Christi non est infinita; *ergo* nec valor satisfactorius erit infinitus. *Min. patet.* Quia operationes Christi sæpe versantur circa *objecta finita*, & *licèt* versentur circa objectum *infinitum* sicut v.g. actus Charitatis, *erga* Deum id tamen fit *modô finitô*, & *limitatô*. *Maj. autem Prob.* Quod *sequitur hanc* bonitatem moralem operis nequit *illam excedere*; *sed valor* satisfactorius sequitur hanc bonitatem *moralem* operis: *ergo. Prob. hæc Min.* Valor satisfactorius habet se *sicut* valor meritorius: *sed* valor meritorius *sequitur* hanc *bonitatem moralem operis*: quia juxta *S. Thomam 1mâ, 2dæ, Quæst. 21. art. 8. in tantum actus est meritorius, in quantum est bonus*: *ergo. Resp. Neg. Maj. Probationi Dist. Min.* valor satisfactorius *sequitur* hanc bonitatem moralem operis, tanquam rationem *adæquatam valoris* satisfactorij, & meritorij *Neg.* tanquam rationem *inadæquatam Conc. Min.* Igitur valor operis *non solùm* sequitur bonitatem operis, quasi illa bonitas sit ratio adæquata valoris, sed etiam *sequitur bonitatem operantis*, quæ si infinita est, reddit opus infiniti valoris, *etiamsi* bonitatis moralis desumpta *per ordinem ad objectum*, & circumstantias objectivas sit *finita*.

Objicies 3tiò: Ex eo: *quòd valor satisfactorius* 36.
operum Christi nequeat esse major, quàm sit perfectio physica & entitativa ipsorum operum Christi. Nam 1mò: iste *valor* habet *pro sui mensura perfectionem physicam* operis Christi. 2dò Est *modus*, & proprietas *entitatis* ipsorum operum; *sed* mensura *non excedit* mensuratum, neque modus, & proprietas suum modificatum, & essentiam cujus est modus, & proprietas: *ergo. Resp. quoad 1mam partem Neg. Maj.* Quia valor *quà satisfactorius*, cùm sit *honor*, & submissio, habet *pro sui mensura immediata in genere moris dignitatem personæ satisfacientis.* Sic enim genuflexio facta à Rege, & facta à rustico, est *ejusdem* perfectionis *physicæ*, quoad *moralem* autem æstimationem in esse satisfactionis *excedit* genuflexio Regis. *2dam partem Maj. Dist.* Est modus, & proprietas entitatis ipsorum operum Christi *secundùm se* scilicèt considératorum, *est inquam* modus, & proprietas *physica. & entitativa Neg.* est modus *moralis*, & proprietas moralis *Transeat Maj.* Modus autem *moralis* potest *excedere* in genere moris entitatem rei, cujus est modus, ùt patet in *genuflexione* facta *à Rege*, & *gratia habituali*, quæ est *nobilior* substantiâ cui inhæret. *Dixi Transeat*, quia revera ille valor non est proprietas, sed *potius forma* illam operationem Theandricam, & infinitè æstimabilem constituens. *Unde patet & reliqua.*

Dices. Operatio Theandrica in suo esse physico 37.
est *limitata*: *ergo* etiam in suo morali. *Resp. Neg. Conseq.* In suo esse physico *immediatè* commensuratur suo principio *ùt quo sui immediatè elicitivo*, & si *immanens* sit, *simul receptivo*, à quo proximè *totam* entitatem suam physicam habet, *hoc* autem, cùm physicè *limitatum* sit, *non potest refundere* in

ope-

operationem *infinitatem physicam*. In suo autem *esse morali* operatio Theandrica quoad *valorem personalem immediatè* commensuratur *dignitati personali*, ùt *moraliter* informanti, quæ cùm *infinita* sit, habet dare infinitatem moralem operationi Theandricæ, cùm ejus influxus moralis dignificativus *ex alijs principijs non limitetur*.

38. *Urgebis. Cum Salmantic. num.* 183. Principium elicitivum *ùt quo* satisfactionis comparatur *ad valorem personalem* satisfactionis non solùm *passivè*, sed etiam *activè*, *sed* quia hoc principium comparatur *activè ad valorem* moralem *objectivum* satisfactionis Christi, *limitat* concursum objecti infiniti, *nè* satisfactionem Christi *infinitet*: *ergo* etiam ex eadem ratione *limitat* concursum infinitæ personæ, *nè* satisfactionem Christi *infinitè valoret*. *Min. & Conseq. patet. Maj. Prob.* 1*mò*: Valor moralis debet esse *liber*, quia moralitas seu bona, seu mala *fundatur supra libertatem*, *debet etiam*, si est *positivum quid*, *formaliter esse vitalis*, quia libertas saltem positiva vitalitatem *præsupponit*: *sed valor personalis est moralis*: *ergo, &c. ulterius sic subsumitur*: *sed* quod est vitale, est à principio *quo elicitivo activè*: *ergo, &c. Eadem Maj. Prob.* 2*dò*: Principium *quo elicitivum* satisfactionis, *non* se habet *modo mortuo* respectivè ad valorem personalem satisfactionis; *ergo* vivit per talem valorem, & consequenter *effectivè ùt quo* ipsum causat: *ergo*. *Resp. cum Godoy num.* 38. *Neg. Maj. Probationi* 1*mæ Dist. Maj.* valor moralis moralitate desumpta per *ordinem ad objectum*, & *regulas morum* debet esse *liber*, & formaliter vitalis (si est quid positivum) *Conc.* moralis moralitate desumpta per ordinem *ad prudens judicium*, sicut v. g. valor monetæ. *Neg. Maj. Dist. etiam Min.* est moralis

ralis moralitate desumpta *per ordinem ad objectum*, & regulas morum *Neg.* moralitate desumpta *ad prudens judicium Conc, Min. & Neg. Conseq.* Unde patet ad reliqua. Valor enim *personalis satisfactorius* Christi non est moralis in prima, sed in secunda acceptatione moralitatis, ideoque non petit *formaliter esse liber*, voluntarius, aut vitalis, neque petit à principio *quo elicitivo efficienter* procedere. *Ad secundam Probationem Ref. Dist. Ant.* In abstracto, & in se, & *ratione sui* acceptum *Neg.* non habet se modô mortuô ad valorem personalem satisfactionis in *concreto valoratæ satisfactionis* acceptum, *& rationi sui substrati* ità denominatum *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Nam, nè se habeat modô mortuô, sufficit, quòd vivat *ut quo* per actum, qui est *substratum* talis valoris, etsi per ipsum valorem personalem, & per formam illum præstantem non vivat formaliter. Unde nec tendit ad præmium per valorem *personalem*, nec per ipsum meretur, bene verò per *actum valoratum*. Atque ità Christus vivit *physicè* per *entitatem physicam* actûs satisfactorij *moraliter* autem vivit per *bonitatem moralem*, & valorem ex *alijs* capitibus desumptum, quàm à dignitate personæ divinæ, quia hæc omnia sunt à Christo *egressivè* ratione *principij quo elicitivi*, non autem vivit *nec* physicè, *nec* moraliter per *valorem personalem*, aut ratione illius, quia hic in *abstracto* acceptus est *forma* valorans, & ipsa persona divina, quæ *non est egressivè* à Christo ratione *principij quo elicitivi*. Instantia sit 1*mò*, in actu externo, qui, quia non est *egressivè à voluntate* libera, præcisè ratione sui, nequit denominare suppositum liberè operans. 2*dò* etiam *juxta eosdem Salmantic. Tractatu X. Disput.* 4. *dub.* 1. §. 1. in pura omissione, quæ, quia *non est præ-*

cisè

cisè ratione sui egressiva à voluntate, nequit præcisè *ratione sui* reddere suppositum *voluntariè* omittens.

39. *Objicies 4tò: Ex eo: quòd ratio infiniti repugnet operationi Theandricæ, 1mò:* implicat idem esse finitum, & infinitum; *sed* operatio Theandrica utpote *ens creatum* est quid *finitum*; *ergo* non est infinita. II. Si operatio Theandrica esset *infinita* in genere moris, non posset esse nisì *unica*; *sed* hoc non: *ergo. Prob. Maj.* Quod est infinitum in *genere entis*, ideo est *unicum*, & immultiplicabile, *quia continet omnem rationem entis*; *sed* etiam infinitum in genere moris ut sit in *hoc genere infinitum* debet continere *omnem rationem, & perfectionem in genere moris*: *ergo* pariter non potest esse nisì unicum, & immultiplicabile in genere moris, quod patet esse falsum in tot operationibus Theandricis Christi.

40. III. Quod potest intendi, vel remitti non est infinitum; *sed* operationes Theandricæ possunt intendi, & remitti: quia possunt fieri *cum majori intensione* circa objecta nobiliora: *ergo* non sunt infinitæ.

41. IV. Repugnat: ut *infinitò simpliciter* in aliquo genere, detur aliquod *majus in tali genere*, etiam admisso aliquo impossibili, si enim daretur *quantitas infinita in genere quantitatis*, licèt Deus *per impossibile esset extensus*, non esset *major* in tali genere, quàm illa quantitas *simpliciter* infinita: *atqui* potest, datô aliquô impossibili excogitari major valor moralis, quàm sit operationis Theandricæ Christi; *ergo. Prob. Min.* 1mò: si Deus in propria natura satisfaceret, aut mereretur, valor ejusmodi satisfactionis, & meriti DEI, esset major quàm satisfactionis, & meriti Christi: *ergo* hic non est simpliciter infinitus. 2dò: Etiam defactô, & seclusa *hypothesi alicujus impossibilis*, *actus Charitatis* est perfecti-

us

us & *majus* opus, quàm actus temperantiæ in Christo. *3tiò*: *Plures* actus Christi sunt *magis satisfactorij*, & meritorij, quàm *unicus*; *ergo* si quilibet est in genere moris *simpliciter* infinitus, dabitur unum infinitum in *eodem genere majus altero*. *4tò*: Quia alias esset *exhausta omnipotentia* DEI in ordine ad meritum, & satisfactionem, cùm *non possit* efficere in hoc genere *majus*: *ergo*.

V. Denique, si quælibet operatio Theandrica 41a.
Christi esset infinita simpliciter, *primus* actus Christi satisfecisset *pro omnibus peccatis*, quia hæc non sunt simpliciter infinita; *sed* hoc non: *ergo*.

Resp. ad I. Dist. Maj. Implicat idem esse finitum, 42a.
& infinitum secundùm *eandem rationem & intra eundem* ordinem *Conc.* secundùm *diversam* rationem & ordinem *Neg. Maj.* sicut enim non implicat ut *imò*: species intelligibilis, quæ in *esse physico* est *accidens*, & importat *hæcceitatem determinatam*, in ordine *intentionali sit substantia*, & universalis. Et sicut non implicat *2dò*: ut in *eodem ordine physico* eadem ultima superficies corporis continentis sit *mobilis*, sicut ipsum corpus, cui inhæret, & tamen *prout constituit* locum, sit *immobilis* formaliter propter distantiam, quam *semper formaliter eandem* conservat ad polos mundi. Ac tandem, sicut non implicat, *ut juxta adversarios eadem* operatio Christi sit *ordinis inferioris*, si consideretur physicè, & secundùm *speciem essentialem*, sit tamen *ordinis* etiam *superioris*, quatenùs procedit *à persona divina*, & importat æstimabilitatem moralem, in ordine ad prudentem æstimationem; ità planè non implicat ut eadem operatio Christi *entitativè*, & physicè spectata sit *finita*, & secundùm *valorem personalem* in genere moris considerata sit *infinita*. *Hinc Dist.* etiam

Min. operatio Theandrica *quæ talis*, secundùm se spectata, & prout *abstrahit* à dignitate Verbi, aut physicè considerata est quid finitum *Conc.* *quâ talis*, & in *concreto Verbi* divini, aut moraliter considerata est quid finitum *Neg. Min.* quia tunc jam per *communicationem*, licèt non per identitatem *infinitatur* à *Verbo* divino, ut sit infinitæ moraliter æstimabilitatis.

43\. *Ad II. Neg. sequelam Maj. Probationi compleo causalem Maj.* & quia insuper continens *omnem* rationem *entis*, *nequit recipi in subjecto*, unde desumitur multiplicatio, seu distinctio numerica *Conc.* & quia *potest* recipi in subjecto *Neg. Maj Dist. etiam Min.* debet continere, &c. & tamen præterea *posse recipi in subjecto Conc.* & non posse sic recipi *Neg. Min. & Conseq.* licèt enim in omnibus operibus Christi reperiatur *idem specificus, & infinitus* valor personalis *propter identitatem* formæ valorantis, *multiplicatur* tamen *quasi numerô* secundùm eorum operum diversitatem, *& receptibilitatem in subjecto*, sicut Christus Evcharisticus ratione specierum, & *quantitatum alienarum* in diversis locis repertarum est pluribi.

44\. *Ad III. Dist. Min.* Possunt intendi,& remitti quoad valorem *personalem Neg.* quoad valorem *objectivum Conc. Min. & Neg. Conseq.*

45\. *Ad IV. Resp. cum Illustrissimo Godoy num. 55. & Salmanticensibus num. 202. Dist. Maj.* repugnat ut infinitô simpliciter in aliquo genere detur majus *quantitativè Conc. qualitativè Neg. Maj.* licèt enim *contra rationem* infiniti *simpliciter* in aliquo genere sit: *ut possit ab alio excedi quantitativè*, seu in hoc; *quod est carere terminis intrinsecis*, aliàs enim infinitum non esset; Potest tamen excedi *qualitativè*, seu ex parte materiæ, *& modi habendi* infinitatem. *Dist.*

etiam

etiam Min: potest excogitari major valor, *quantitativè Neg. qualitativè Conc. Min.* ficut enim Deus in se ipso infinitè, & *simpliciter* sanctus est, & humanitas Christi etiam infinitè *simpliciter* sancta est, quia *utrobique* datur *carentia termini intrinseci* limitantis sanctitatem; attamen Deus in seipso *qualitativè magis* sanctus est *ob diversum* modum habendi *infinitam sanctitatem*, quia Deus habet ipsam *à se per essentiam*, humanitas autem Christi illam habet *ab alio*, & non per suam essentiam, *sed per unionem, & communicationem*; itá etiam satisfactio DEI ab ipso Deo *per impossibile* elicita esset *qualitativè magis* infinita, quàm satisfactio Christi, quia illa haberet infinitatem à se, & per essentiam, adeoque esset *non tantùm moraliter*, sed etiam *physicè* infinita, hæc verò tantùm esset *moraliter simpliciter infinita*, & haberet infinitatem suam *per communicationem*. Et ut maneamus in instantia adversariorum: *nunquid*, si daretur corpus infinitè simpliciter extensum, & si Deus pariter esset infinitè extensus, *utrobique* daretur extensio *simpliciter* infinita, seu *carens omni* termino *intrinseco*; Deus tamen diceretur adhuc *magis extensus*, quia nimirum extensionem haberet *nobiliori* modo *à se* scilicet, & per *identitatem*? *ergo pariter hic. Unde imæ Probationi Min. Dist. Maj.* esset major qualitativè & quoad *modum habendi Conc* esset major *quantitativè*, & quoad carentiam termini in genere moris limitantis *Neg. Ant. & Conseq. Ad 2dam probationem Dist. Ant.* Etiam defactò seclusa hypothesi alicujus impossibilis; actus Charitatis est perfectius & *majus opus*, quàm temperantiæ in Christo, *est majus opus entitativè*, physicè, & secundùm *valorem objectivum* consideratus *Conc.* est majus opus *moraliter* secundùm valorem *personalem* considera-

 tus

tus *Neg. Ant.* *Ad 3tiam probationem Dist. Ant.* sunt magis satisfactorij *intensivè*, & *formaliter*, seu ratione formæ, & valoris personalis *Neg.* extensivè, materialiter, seu ratione *materiæ*, & *valoris objectivi Conc. Ant.* & *Neg. Conseq.* *Ad 4tum Neg. Ant.* sicut enim scientia Dei non dicitur *exhausta* ex eo, quòd *non sit plus, quod scire possit*, cùm sciat *omne* scibile, sed solùm dicitur *adæquata*, sic pariter hìc dicitur omnipotentia Dei non *exhausta*, sed intensivè *adæquata* in productione meriti & satisfactionis infinitæ.

46. *Ad V. Denique Dist. Maj.* Satisfecisset in actu primo, *intensivè*, & quoad sufficientiam, & quantitatem pretij *Conc.* satisfecisset simul in actu secundo, *extensivè*, & quoad effectum deputationis *modernæ dependentis à libera* Dei ordinatione, & pacto Christi *Neg. Maj.* Christus enim defactò pactus est non de uno, sed de omnibus suis operibus, tanquam *de unica satisfactione*, & merito totali, unde primò in cruce exspirans dixit: *Consummatum est*: scilicet opus redemptionis nostræ. Proinde *Conc. Min. Neg. Conseq.*

47. *Objicies 5tò.* Ex eo: *quòd ad satisfactionem Christi concurrat principium finitum. Nam* 1. Quando ad unum effectum *præsertim moralem* concurrunt *plura* principia, quorum *unum est finitum*, alterum infinitum, tunc effectus formalis *non evadit* infinitus, *bonum enim ex integra causa.* *Atqui* ad satisfactionem Christi concurrit persona *infinita*, & humanitas *finita*, item objectum, & circunstantiæ *finitæ*: *ergo.* *Confirmatur.* Conflatum ex duobus, quorum unum est finitum, licèt alterum sit infinitum, *non est simpliciter infinitum*, sed solùm *secundùm quid*; *atqui* satisfactio Christi est conflatum *ex valore perso-*

nali,

nali, *&* *valore morali* desumpto à gratia habituali, *ab objecto*, & alijs circumstantijs, qui *valor est finitus*, & limitatus: *ergo* licèt valor à persona verbi sumptus sit infinitus, valor tamen satisfactorius conflatus ex utroque non est simpliciter infinitus. *Maj. patet*: *in corpore* v. g. cujus *longitudo esset infinita*, & profunditas, seu latitudo finita, illud enim *non esset infinitum simpliciter in genere quantitatis*, quia coalesceret ex *aliqua* parte finita. *Min. etiam constat*: *ergo.*

II. Conclusio Sequitur debiliorem præmissam: *ergo* etiam satisfactio Christi *debilius* principium: *ergo* &c. *Resp. ad 1mum Dist. Maj.* Non evadit infinitus in omni genere *Conc.* in genere moris *Neg. Maj. & Conc. Min. Neg. Conseq. Confirmationi etiam Dist. Maj.* Non est simpliciter infinitum, si pars infinita illius conflati *non eminenter in se contineat* partes finitas *Trans.* si illas *eminenter contineat Neg. Maj.* sic autem *continet valor personalis* satisfactionis Christi valorem ejusdem *objectivum*, non item infinita *longitudo latitudinem* finitam. *Et Conc. Min. Neg. Conseq. Ratio* ulterior est, quia ùt inquit *Godoy num.* 26. *si unum ex componentibus* est infinitum, non potest ex *consortio alterius* componentis finiti *suam amittere infinitatem*, aut eam *non præstare*, ùt patet in verbo divino, *in consortio humanitatis* finitæ accepto. Sed 48.

Dices. Valor *personalis* non continet *objectivum* valorem eminenter: *ergo nulla solutio. Prob. Ant.* Quod continet aliud eminenter est *causa* illius; *sed* valor personalis *non est causa* valoris objectivi: *ergo*. *Resp. Neg. Ant. Prob. Dist. Maj.* Quod continet aliud eminenter *eminentia causalitatis*, sicut v. g. *sol calorem Conc.* quod continet eminentiâ *puræ excellentiæ*, *aut æquivalentiæ* in ordine ad præstandum 49.

effe-

effectum illius, ficut v. g. *anima* rationalis continet *eminenter vegetativam*, eft caufa illius *Neg. Maj.* & *Conc. Min. Neg. Confeq.*

50. *Ad II. Neg. Confeq. difparitas eft*: quia præmiffæ concurrunt ad conclufionem *in genere caufæ efficientis*, vel *quafi-efficientis*, adeoque concurfu effectivo per præmiffam *debiliorem* limitato. *Dignitas verò perfonæ divinæ* conftituit valorem perfonalem fatisfactionis Chrifti *intrinfecè*, & in genere *quafi caufæ formalis*, ac proinde *illimitabiliter à concurfu* effectivo alterius principij finiti *elicientis*, non autem *dignificantis* fatisfactionem Chrifti. *Unde tenemus cum Illuftriffimo Godoy contra Salmanticenfes num. 186. Valorem perfonalem* fatisfactionis Chrifti fumi *immediatè*, & *formaliter* à Perfona Verbi unita, non verò *mediatè*, & *radicaliter*, & quafi *à fundamento*. Imò fatisfactionis Chrifti infinitè à Verbo *valoratæ*, valor *in recto* eft ipfa *Perfona Divina*, *mediâ* unione hypoftatica, *immediatè* communicata humanitati, eamque formaliter *phyficè*, & *moraliter*, & hac mediante fatisfactionem Chrifti *moraliter formaliter* dignificans. Unde valor hic non eft aliqua alia *intermedia forma*, feu *realis*, feu *rationis* diftincta à perfona Verbi, neque denominatio *extrinfeca*, aut ens *morale productum efficienter* in actu à perfonalitate verbi, ùt eft v. g. valor monetæ, &c. quia *nulla fimilis forma* poteft effe *fimpliciter* infinita, & *intrinfecæ realiter* fatisfactioni Chrifti, ficut eft valor perfonalis verbi divini: *ergò &c.* *Nec refert*, quòd verbum non fit *immediatè phyficè unitum* cum operationibus naturæ affumptæ, *nam fufficit*; ut fit cum illis unitum *mediâ naturâ affumptâ*, ficut nec perfona creata eft *immediatè* unita cum fuis operationibus, *fed mediante naturâ phyficè*, & tamen illas dignificat eodem ordine moralis dignitatis quô ipfa eft.

Di-

Dices. Nec poteſt dici, quòd ſatisfactio Chriſti 51.
primò & per ſe dignificetur à perſona divina ratione *Deitatis*, nec quòd ſic dignificetur *ratione relationis*: *ergo* non dignificatur infinitè à perſona verbi. *Reſp.* *Neg. Ant.* & dico: ſatisfactionem Chriſti formaliter, & primò, ac per ſe *nec* dignificari *à relatione verbi* divini *formaliſſimè*, & ſecundùm rationem *ad* acceptâ, quia *ùt talis nullam* dicit perfectionem; ſed primò & per ſe dignificatur *à DEItate*, *ſeu ente ſimpliciter.* Tum quia hoc prædicatum eſt primò & per ſe ratione noſtra *dignitas perſonæ ſatisfacientis*, & ratione noſtra *eſſentia Metaphyſica DEI*, ſeu prædicatum *primum*, & radix cæterorum. Tum, quia ratione hujus prædicati ſatisfactio Chriſti eſt formaliter Theandrica; *ergo* & infinitè dignificata.

Objicies 6tò: Ex eo: quòd valor meritorum Chriſti 52.
in ratione meriti non fuerit ſimpliciter infinitus. Eadem eſt ratio de ſatisfactione, ac de merito Chriſti *quoad infinitatem*; *ſed* meritum Chriſti non fuit in *genere moris ſimpliciter* infinitum: *ergo* nec ſatisfactio. *Prob. Min. 1mò*: Vis meritoria *exhauribilis* aliquô prœmiô, *non eſt ſimpliciter* infinita; *ſed* vis meritoria operum Chriſti eſt *exhauribilis aliquô* prœmiô v. g. *Incarnatione Patris, aut alio* opere meritoriô Chriſti: *ergo. Prob. 2dò*: Vis meritoria *ſimpliciter* infinita debet ſe poſſe *extendere ad omne præmium ſimpliciter infinitum purè creatum*, ſi illud *eſſet poſſibile*: *ſed* non poſſet ſe illud extendere: *ergo. Prob. Min.* Si poſſet ſe ad illud extendere, haberet *defactò* meritum Chriſti *efficaciam* meritoriam talis prœmij *ſubjectivè abſolutam*, & *objectivè conditionatam*, ſcilicet ſub conditione poſſibilitatis illius; ſed hanc non habet: *ergo. Prob. iterum Min. Juxta communem*: non datur in omnipotentia virtus productiva

Chy-

Chymæræ *subjectivè absoluta*, & *objectivè conditionata*, scilicet sub conditione, *si esset possibilis*; si enim hæc daretur staret *omnipotentia DEI implicantibus* possibilibus: *ergo* nec datur in meritis Christi ejusmodi efficacia, & virtus. *Prob. Min. argumenti 3tiò*: Si Christi meritum esset infinitum, *major* esset in Christo *potestas merendi*, quam in *DEO sit potestas præmiandi*; *sed* hoc non: *ergo*. *Prob. sequela. Maj.* Potestas merendi in Christo ponit meritum *infinitum*; *sed* prœmium debet esse *majus* meritô: *ergo* in Deo potestas prœmiandi meritum infinitum Christi, deberet ponere prœmium *plusquàm infinitum*, quod repugnat. *Prob. 4tò*: *Eadem Min. argumenti*. Si Deus mereretur *in propria* natura ejus meritum esset *majus*, quàm meritum Christi: *ergo* meritum Christi non est simpliciter infinitum. *Prob. denique 5tò*: Meritum simpliciter infinitum se extendit ad *omne præmium* finitum, & *possibile*; *sed* sunt prœmia finita & possibilia, ad *quæ se non extendit* meritum Christi: *ergo*. *Prob. Min. imò*: sint *duo Christi*, & unus offerat actum suum meritorium ad impetrandum ut Deus alicui homini certum bonum finitum v. g. sanitatem *conferat*. *Alter verò Christus*, offerat alium actum meritorium ad impetrandum, ut Deus eidem homini bonum illud *non conferat*. Hoc casu, *prior* non meretur *actu* conferri illud bonum, quia *alter* meritus est illud *non conferri*, & similiter *alter*, non meretur illud bonum *non conferri*, quia *alter* Christus meretur *illud conferri*: *ergo neutrius* actus est meritorius *omnis præmij finiti*, & possibilis, non obstante, *quòd uterque* sit personæ infinitæ. *2dò*: Meritum Christi *non liberat* à pœna peccati *originalis*, tum, quia non liberat *à formite* peccati, tum, quia *nec liberare potuit*, *à carentia*

tia Incarnationis, quia aliàs Christus mereri potuisset suam Incarnationem: *ergo*.

Resp. ad argumentum. Neg. Min. Probationi 1*mæ* § 3. *Resp.* 1*mò*: *Dist. Maj. ex Salmantic. hic num.* 103. Vis meritoria *exhauribilis* aliquô prœmiô *finitô* non est *simpliciter* infinita *Conc.* exhauribilis, vel potiùs *adæquabilis* prœmiô infinitô non est *simpliciter* infinita *Neg. Maj.* sic enim potentia generativa Patris æterni est infinita, non obstante quòd *unicâ* generatione *unius* æterni filij *adæquetur*. *Similiter Dist. Min.& Neg. Conseq.* 2*dò*: *Dist. aliter Min. cum Illustrissimo Godoy hic num.* 65. Sed vis meritoria Christi est *exhauribilis* Incarnatione *alterius personæ Divinæ*, aut aliò opere Christi intensivè *Conc.* etiam *extensivè Neg. Min. & Conseq.* Non enim obstat prœmium ejusmodi esse infinitum, quia inde solùm sequitur: non posse meritum Christi *ejusmodi prœmiô remuneratum* extendi *ad aliud* prœmium non contentum *quoad æquivalentiam* in ipso. *Resp.* 3*tiò*: *cum Esparza Quæst. XI. ad* 9*num. Neg. Min. Ratio illius quoad Incarnationem Patris, quòd illa nequeat habere rationem præmij respectu meriti Christi est hæc*: quia *contra* rationem prœmij est, esse præjudiciosum præmiato. Incarnatio autem Patris *præjudicaret Dominio creato* Christi, quod habet supra *totum* universum: *ergo*. Quod autem *aliud* opus meritorium Christi nequeat habere *rationem præmij* respectu *meriti alterius Christi* dat hanc rationem: quia opus meritorium Christi est opus *laboriosum*, opus autem laboriosum *non potest* esse *prœmium saltem adæquatum* alterius operis laboriosi, præsertim si non *sit magis* lucrativum, ac pretiosum, quàm *meritum*, *cui datur in prœmium*, sic enim unum jejunium non prœmiatur altero jejuniô. *Ratio ulterior hujus rationis*

est: quia de *ratione* operis *laboriosi*: est; ut *permutet laborem* cum *requie*: & si sit *supernaturale*, ut *lucretur* præmium *æternum*; *atqui* implicat ut opus *laboriosum supernaturale*, quale est omne meritum, sit *prœmium æternum*, quia est *tendentia* ad terminum à Deo præfixum: *ergo*. Præterea: non est prudenter eligibilis labor nunquam cessaturus, & perventurus ad requiem; *ergo*.

54. *2dæ Probationi Min. augmenti Conc. Maj. Dist. Min.* Posset se extendere efficacia *ejusdem* rationis, quam *modò habet* ad prœmium *absolutè possibile Neg. diversæ* rationis *Conc. Min.* sicut enim *permissa illa hypothesi impossibili*, omnipotentia Divina *non esset entitativè eadem*, sic nec personalitas Verbi, ac proinde *nec valor moralis personalis* esset *idem* entitativè. *Ad Probationem Neg. sequelam Maj.* solùm enim in est meritis Christi efficacia tum *subjectivè*, *tum objectivè conditionata* respectu prœmij *impossibilis* sub conditione si esset possibile, ità nempe: *Inquit Illustrissimus Godoy hic num.* 59. ut conditio *non solùm* cadat *supra terminum*, sed etiam *supra valorem* in tali casu *entitativè* variandum. Neque (*continuat idem Illustrissimus*) ut in meritis Christi salvetur *infinitas meritoria* virtus *subjectivè absoluta prœmij* infiniti creati sub conditione possibilitatis illius, *necessaria est*: sic enim omnipotentia *est infinita*, licèt non habeat virtutem *subjectivè absolutam* ad producendum effectum *categorematicè*, sed solùm *syncategorematicè infinitum* qualiter *syncategorematicè* infinita prœmia etiam mereri potest *virtus infinita meritoria Christi*. Hæc sapientissima solutio sapientissimi Godoy multum illuminat, & illuminatur *à Doctrina admittente scientiam mediam*. Sicut enim *Illustrissimus* hic *E-*

pisco-

piscopus Oxomensis dicit: quòd *ad infinitatem* meritorum Christi, & omnipotentiæ DEI non requiratur virtus *subjectivè absoluta*, & *objectivè conditionata*, sed sufficiat & subjectivè; & objectivè *conditionata*, respectu impossibilis, si esset possibile. Sic admittentes scientiam mediam pariter dicunt: ad futurum *conditionatum*, quod est *objectum* scientiæ mediæ, & *infallibilitatem* hujus scientiæ, *non requiri Decretum subjectivè absolutum*, & *objectivè conditionatum*, sed sufficere *Decretum tum subjectivè tum objectivè conditionatum*, licèt Decretum *subjectivè* absolutum requiratur, si illud, quod nunc futurum est conditionatum, concipiatur *mutâsse statum conditionatum* in absolutum, & *factum* fuisse *absolutè futurum*. Sicut juxta præfatum *Illustrissimum Godoy* requireretur *efficacia*, & *virtus subjectivè absoluta* in meritis Christi, & omnipotentia DEI respectu *infiniti impossibilis*, si consideretur *mutâsse statum impossibilitatis* in statum *possibilitatis*.

Ad 3tiam Probationem Min. argumenti. Resp. Neg. sequelam Maj. Quia potest dici, *infinitum* in genere moris meritum Christi posse Deum Incarnatione Patris *æquè* in genere *moris infinitâ recompensare*, adeoque non est *major* potestas *merendi* in Christo, quàm *præmiandi* in Deo. *Nec refert*: quòd Deus non possit *plus* in ratione *offensæ remittere*, quàm Christus satisfecerit, cùm Christus posuerit satisfactionem *simpliciter infinitam*, Deus autem *remiserit* offensam juxta nos *simpliciter finitam*; quia id non est ex defectu *potentiæ ex parte DEI*, sed ex *defectu materiæ* remittendæ, scilicet, quia *non est possibilis* offensa simpliciter infinita. Unde si cum citato *P. Esparza Quæst. XI. ad 9num teneas*, Incarnationem Patris non posse esse prœmium meritorum Christi, 55.

distinguere debes hanc Maj. sic: quàm sit potestas in Deo *præmiandi* ex *defectu potentiæ*, & virtutis ex parte DEI *Neg.* ex defectu, & *impossibilitate* ejusmodi præmij *Conc. Maj. Cæterùm Dist. Min. cum eodem Esparza ad 4tum imò sic*: præmium debet esse *majus* meritô consideratô in ratione *laboriosi, & ardui*, & sub ratione *medij ad præmium Conc.* considerato secundùm rationem *suæ dignitatis*, quam accipit à persona operante *Neg. Min.* 2dò *sic*: si utrumque sit in eodem genere infinitum *Neg.* si non sit *Conc. Min. & Neg. Conseq.* Quia præmium *plus* quàm infinitum, cùm sit impossibile, *nequit* habere rationem *boni & finis* respectu alicujus meriti tanquam medij.

56. *Ad 4tam Probationem Min. argumenti Dist. Conseq.* non est *simpliciter infinitum* per essentiam *Conc.* per communicationem *Neg. Conseq.* Igitur si Deus mereretur *in propria* natura (quod tamen *implicare* constat tum ex *arduitate* meriti, tum ex *inferioritate* merentis, &c. *comparativè ad præmiantem*) ejus merita utpote *infinita per essentiam* essent condigna *præmiô itidem infinitô per essentiam*, adeoque ipso Deo, prout *in seipso est*, quam condignitatem non est opus concedere merito *Christi infinito* duntaxat *per communicationem*, quia hoc non petit extendi ad *præmium infinitum per essentiam*, sed tantùm ad infinitum per communicationem, ùt sic *inter infinitatem meriti, & infinitatem præmij servetur proportio*, sicut nec renuit excedi à merito infinito per essentiam, si permittatur esse possibile, sed tantùm *exigit non excedi* à merito *infinito* per *communicationem*, adeoque ab alio *infinito infinitate sui generis.*

57. *Ad 5tum Neg. Min. ad ejus 1mam Probationem potest negari suppositum*, nempe illos *duos* Christos posse

pru-

prudenter petere contraria. Sicut enim *implicat*, Deum *promittere opposita*, sic etiam implicat, Christum unum *prudenter petere oppositum* illi, quod petit *alter* Christus, tum, quia Deus *impediret* petitionem oppositi, tum, quia *uterque* sciret alterius petitionem *esse exaudiendam* pro sua reverentia, adeoque non *posset prudenter*, sed solùm *imprudenter* petere *oppositum* petitioni alterius, quod iterum in quocunque Christo implicat. *Permissa tamen hypothesi Resp.* 1mò *Neg. Conseq.* Quia in dicto casu *radicaliter*, & per se & in *actu primo uterque Christus* impetrat, unus quidem impetrat *conferri*, alter verò *non conferri sanitatem*, quia & sanitas, & negatio sanitatis *secundùm se est possibilis, & catenùs* impetrabilis, & conferibilis *cuilibet merito secundùm* se, & *sinè concursu* alterius *sub ratione præmij: quod autem* in actu *secundo*, & per *accidens* uterque non impetret suum præmium, id solùm provenit *per accidens* ex circumstantia *concursûs meriti oppositi*, quia tunc per accidens tam sanitas, quam negatio sanitatis sub *ratione præmij* ut actu in *concursu conferibilis*, *fit impossibilis*, cùm implicet *idem esse*, & *non esse. Neque est conveniens*: dari illo casu merita condigna *inter se opposita* sinè *actuali præmiorum collatione*. Nam id accidere potest *defactò in humanis*. *Ut* 1mò: si quis pro alterius sanitate Deum *condignè roget*, ipse verò *ægrotus condignè oret*, *ut non sanetur*, utriusque petitio est æquè condigna licèt alterutrius tantùm, sortiatur effectum. 2dò: *Si duo æquè digni* idem prætendant beneficium, & tantùm *alteruter* obtineat, unde sicut in hoc casu pertinet *ad providentiam* collatoris *determinare, cujus petitioni* deferendum sit, ità in alijs casibus spectat eadem determina-

minatio *ad providentiam DEI* determinare, qui nam ex duobus opposita petentibus exaudiendus sit.

58. *Resp. 2dò: Dist. Conseq.* Neutrius Christi actus est meritorius *præmij possibilis, ùt possibilis Neg. ùt per accidens* ratione *oppositi* meriti concurrentis *impossibilis Conc. Conseq. 2dæ Probationi Dist. Ant.* Non liberat defectu *æqualitatis & sufficientiæ intrinsecæ Neg.* defectu *extensionis* non liberat à fomite peccati, & *defectu prioritatis* respectu unionis hypostaticæ non liberat *à carentia unionis* hypostaticæ *Conc. Ant. & Neg. Conseq.*

THESIS IX.

Satisfactio Christi fuit (imò) ex toto rigore justitiæ commutativæ. (2dò) Virtus illa, à qua elicitur in Christo formalis intentio satisfaciendi, & per quam regulantur, & imperantur actus aliarum virtutum, in quantum sunt satisfactorij, est formaliter virtus justitiæ commutativæ. Est communis *Thomistarum* contra *Scotistas Durandum; Vasquetz, &c.*

1. ANte probationem *1mæ partis: notandum:* satisfactionem *condignam, seu æqualem* penes hoc distingvi à satisfactione *rigorosa*, quòd ad illam sufficiat, ut offendens, vel ejus fidejussor solvat offenso *tantum, quantum debet*, adeóque *adæquet* jus *passivum* cum jure *activo*, licèt hæc solutio non sit *strictæ*, & perfectæ justitiæ *commutativæ; ad rigorosam* autem satisfactionem requiritur, ut solutio sit actus rigorosæ, & perfectæ *justitiæ commutativæ*, habeatque omnes conditiones ad rigorem justitiæ commuta-

mutativæ reqvisitas, hinc multi, licèt dicant satis-factionem Christi fuisse propter suam *infinitatem superabundantem*, negant tamen fuisse *de toto rigore justitiæ commutativæ*. Porrò conditiones ad rigorem *justitiæ commutativæ* requisitæ sunt sequentes. *1mò*: *requiritur*, ut ejusmodi solutio sit *voluntaria* debitori, cùm sit actus *virtuosus*, & si esset *involuntaria* debitori potius esset respectu ejus *satispassio*, quàm *satisfactio*, ùt inquit *Philippus à Sanctissima Trinitate hìc Disput. 2. Dub. 3.* *2dò*; ut sit *æqualis* offensæ id est: nè sit *minor offensa* ex intrinseca sua insufficientia quia aliàs non *exstingveretur* jus offensi contra offendentem. *3tiò*: Ut sit strictè *ad alterum*, tum, quia rigorosa satisfactio *essentialiter* ordinatur ad faciendam *perfectam æqualitatem* inter satisfacientem, & offensum, perfecta autem æqualitas non potest esse *ejusdem ad seipsum*. Tum, quia sicut nemo *sibi ipsi* potest esse *injurius*, sic *nec sibi ipsi* potest esse propriè *satisfaciens*: *ergo* ad rigorosam satisfactionem necessariò requiritur ut sit *ad alterum*. *4tò*; requiritur, ut sit *ab offendente* scilicet: vel *formaliter*, *vel moraliter*, & *interpretativè* tali, quia est recompensatio *injuriæ personalis*. *5tò*: Ut non sit ex *bonis creditoris* sed ex bonis *proprijs satisfacientis*, adeoque non ex bonis acceptis à creditore, nec *aliunde* illi debitis. Tum, quia ex bonis *alienis invito Domino* nemo sua debita solvit alteri suo creditori. Tum, quia, *ut inquit Gonet num.* 103. *quantum gratiæ* miscetur, *tantum* minuitur de perfectione *justitiæ*. Tum, quia *plures* tituli *incompatibiles* multiplicantes materiam debiti, debita debitis *accummulant*. *6tò* Ut creditor teneatur ex debito justitiæ satisfactionem exhibitam saltèm *negativè* acceptare, & aliam justè non exigere, quia per rigorosam satisfactionem totum, quod ab-

latum

latum est, redditur. *7mò denique*: ut fiat saltèm ex *implicita intentione satisfaciendi*, quia si fieret ejusmodi rei exhibitio *titulò donationis* v. g. aut aliô incompossibili cum titulo justitiæ, eo ipsò *satisfactio* non esset. Hôc notatô:

2° *Prob. 1mù pars Thesis 1mò*: *Authoritate scripturæ.* Verba scripturæ *juxta regulam Sancti Augustini sunt intelligenda in proprietate sermonis, quando non obstat alius* scripturæ locus, aut aliud inconveniens. *Atqui* ex scriptura colligitur: satisfactionem Christi fuisse *ex toto* rigore justitiæ: *ergo*. *Min. Prob.* Nam *Isaiæ* 51. *& Jeremiæ* 33. Christus appellatur *justus, & germen justitiæ*, & satisfactio Christi appellatur *justitia ad Rom. 3. ℣. 25.* Quem pro posuit DEUS propitiationem per fidem in sangvine ejus ad ostensionem *justitiæ suæ*, unde etiam Ecclesia crucem veluti instrumentnm redemptionis nostræ appellat, *stateram*. *Atqui* in scriptura tribuuntur *satisfactioni Christi*, quæ non possent competere satisfactioni *puri hominis*; *ergo* scriptura intelligenda est, quòd satisfactio Christi sit *de toto* rigore justitiæ, cùm satisfactio *puri hominis* possit esse *ex justitia imperfecta*.

3° *Prob. 2dò*: ex eo: *quòd satisfactioni Christi conveniant omnes conditiones requisitæ ad satisfactionem de toto rigore justitiæ commutativæ.* Nam

I. Satisfactio Christi fuit *voluntaria*: quia ùt *ait Propheta*, *traditus est*, *quia ipse voluit*, & ipse de se; *animam meam pono pro ovibus meis.* Et certô nisi *voluntaria* fuisset, non fuisset tam *satisfactio*, quàm *satispassio*, neque ullô modô *meritoria*.

4° *II.* Fuit *æqualis* offensæ, quia non tantùm *non fuit minor* offensâ, sed quia fuit infiniti valoris, etiam erat *superabundans*.

5° *III.* Fuit *ad alterum*; *Prob.* Ad hoc, ut satisfactio sit

sit *ad alterum*, sufficit *realis distinctio naturarum, absque* distinctione reali *suppositorum*, inter satisfacientem, & offensum. *Atqui* hæc distinctio habetur inter Christum satisfacientem, & Deum offensum: *ergo. minor* est certa ex fide *Maj. Prob.* Illa *altereitas* sufficit ad rigorem justitiæ inter extrema, quâ salvatur distinctio jurium, & dominiorum, *sed* salvatur hæc *per solam* distinctionem *naturarum*; eò enim ipsò, quòd naturæ sint distinctæ, adest *distincta libertas*, ratione *distinctarum voluntatum*, & *intellectuum*, quæ sunt libertatis, & juris, atque dominij principia: *ergo. Prob. Min.* quoad *altereitatem* conveniunt partes *subjectivæ*, & partes *potentiales* justitiæ, & *juxta D. Thomam 2da 2dæ. Quæst. 80. art. 1.* in hoc præcisè disconveniunt, quòd partes justitiæ *subjectivæ*, præter *altereitatem*, perfectam *æqualitatem*, & debitum legale exigant, partes verò justitiæ *potentiales*, vel *à perfecta* æqualitate, vel à debito legali *deficiant*: *atqui* in Christo habetur sufficiens altereitas in partibus justitiæ *potentialibus* per *solam* distinctionem *naturarum absque* distinctione *suppositorum* inter extrema, ùt patet in actibus *religionis*, *gratitudinis*, & quibuscunque alijs actibus *meritorijs* à Christo elicitis: *ergo* hæc sola distinctio sufficit suppositis alijs conditionibus *ad altereitatem* rigorosæ justitiæ in satisfactione Christi. *Confirmatur 1mò.* Non requiritur *major* distinctio inter *extrema justitiæ*, quàm inter *servum*, & *dominum*, seu inter *extrema servitutis*, & dominij; *sed* distinctio *realis naturarum in eodem* supposito sufficit ad rationem *veræ*, & *rigorosæ servitutis naturalis* in Christo ùt *docet S. Thomas Quæst. 20. art. 1. ad 2dum. ergo* etiam illa sufficiet ad satisfactionem *de rigore justitiæ in eodem* Christo. *Id quod* amplius declaratur *à Salmantic. hîc*

num. 218. *in casu, quo Persona Verbi assumeret duas humanitates.* Tunc enim ratione *diversarum* naturarum, & voluntatum posset habere *diversa jura*, adeóque ùt esset in una posset exercere actus justitiæ v. g. contractûs secum ipsâ *ùt est in alia*, cæteraque munia obire, quæ exerceri solent *inter diversa supposita*, *ideo*, quia tunc *æquivaleret pluribus* suppositis humanis. *Atqui* in Incarnatione moderna persona divina *æquivalet* supposito humanitatis Christi proprio, cujus vices supplet, idemque præstat, quod præstaret suppositum *proprium*, hoc autem præstaret *altereitatem* requisitam ad satisfactionem, si hæc *ex alijs capitibus* puræ creaturæ non repugnaret: *ergo, &c. Confirmatur 2dò*: Etiam in puris creaturis ad exercendum actus *justitiæ* non requiritur *distinctio realis suppositorum*, sed sufficit *æquivalens*, *& moralis* distinctio suppositorum inter extrema: *ergo* nec inter Christum, & Deum requiretur ejusmodi realis distinctio. *Conseq. patet. Ant. verò Prob. sic. Si 1mò* v. g. Petrus simul sit *tutor*, *& creditor* respectu ejusdem pupilli, potest quatenus *tutor* est, solvere sibi ùt *creditori*, & satisfacere ex justitia, quia *ùt tutor* personam *pupilli moraliter* gerit, & repræsentat, ùt *creditor* autem *suam*, & quia sic est *æquivalenter duplex* persona. *2dò*: Si Petrus in *contractu societatis* ad duas societates pertineat, poterit, ùt ad unam pertinens *debere sibi*, & satisfacere sibi ùt pertinet ad alteram. *3tiò*: Si habeat *bona incerta* quæ ex justitia restituere debeat, & aliàs pauper fuerit, poterit sibi *ùt pauper solvere*, quia ùt pauper habet jus *ad bona incerta*, idem est; de quæstore regio, executore testamenti, &c. quia ùt sunt *fictione juris persona alia*, *se ipsos* contentare possunt; *ergo*. Deinde nonne sufficit virtualis *extrinseca* distinctio inter DEItatem, &

& Personas, ut *sola* dicatur *secunda* unita humanitati? *ergo* etiam hæc distinctio sufficiet, ut Persona Verbi unita humanitati dicatur *DEItati* tanquam *virtualiter alteri satisfacere*. *Confirmatur 3tiò*: Ubi est eadem *natura*, licèt sit *personarum* distinctio, non potest haberi strictè justitia personarũ ad invicem, ut patet in divinis: *ergo* non obstat strictæ justitiæ *personæ identitas*, ubi est naturarum distinctio: *ergo* sicut hæc naturarum distinctio sufficit *ad altereitatem*, ut sit mediator inter Deum, ac genus humanum, sic sufficiet, ut *de toto rigore justitiæ commutativæ* satisfaciat. *Confirmatur 4tò*: Christus ùt homo habet in suos actus liberos *proprium*, & *distinctum* dominium à dominio DEI, ùt infrà videbimus: *atqui* ubi sunt distincta dominia, potest intercedere *stricta* justitia; *ergo* sufficit *sola* naturarum distinctio, & *altereitas*, ad actum strictæ justitiæ. *Confirmatur 5tò*: Ubi potest intercedere stricta *injuria*, haberi potest *stricta justitia*; *sed* in casu *impossibili*: quô Christus per humanam naturam peccaret, faceret DEO injuriam; *item*: si Angelus assumeret hominem posset ipsum injuriare, ubi in utroque casu præmisso intercederet *vera injuria* stante *identitate suppositi* penes *distinctionem naturarum*: *ergo* inter extrema, *distinctione naturarum, non verò suppositi* distincta, potest intercedere actus *strictæ justitiæ*.

IV. Fuit ab offendente quantum requiritur ad rigorem 62.
Justitiæ. *Prob*. Operatio, & satisfactio capitis *quâ talis*, est etiam operatio, & satisfactio membrorum: *atqui* Christus fuit *caput morale* hominum, tanquam membrorum: *ergo* operatio, & satisfactio Christi quâ talis fuit *moraliter operatio*, & satisfactio hominum tanquam membrorum. *Maj. Prob. duplici instantiâ*: sic enim 1mò: Rex tanquam *caput* regni potest regnum

gnum *ligare* votô, quia vovente *Rege quâ tali*, censentur *omnes subditi vovere*. 2dò: Adam *tanquam caput* generis humani peccando, eò *ipso* infecit omnes posteros: *ergo* ficut *peccatum capitis quâ talis* censetur peccatum membrorum; ità *satisfactio* capitis *quâ talis* censetur satisfactio *membrorum*, &c. *Min. etiam Prob.* ex *D. Thoma Quæst.* 49. *art.* 1. *ubi cùm quæsivisset*: utrùm per passionem Christi liberati simus à peccato? *Passio Christi* (inquit) *causat remissionem, quia ipse est caput nostrum, liberavit nos tanquam membra à peccatis, sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se à peccato, quod pedibus commisisset*: ergo. *Confirmatur. Fidejussor* acceptatus à creditore est *moraliter* ipse offendens quantum ad præstandam satisfactionem; *atqui* Christus fuit *fidejussor* pro genere humano, &*ût talis acceptatus* à Deo, prouti constat ex scripturis: *ergo* fuit hoc sensu *moraliter ipse offendens* ut potuerit ex rigore *justitiæ commutativæ* satisfacere.

7. *V. Non fuit ex bonis creditoris, sed ex bonis proprijs satisfacientis, ideóque nec ex bonis acceptis à creditore, aut aliunde debitis, quantum requiritur ad rigorem justitiæ commutativæ.* *Prob.* Ille dicitur sufficienter satisfacere *ex proprijs* prout requiritur ad rigorem justitiæ commutativæ, qui *elicit actionem sibi propriam*, & cujus est dominus, licèt eadem *etiam sit sub dominio* Dei tanquam causæ *primæ*, & *universalis*; *atqui* Deus est solùm Dominus actionum à Christo elicitarum per modum causæ *primæ*, & *universalis*; Christus verò habet *proprium Dominium illarum*, cùm sint *actiones liberæ*, nihil autem *magis* est nobis proprium, quàm *actus nostri liberi*, quandoquidem dominium non est: nisì *aliqua libertas moralis*: ergo. *Prob. Maj.* Dominium *altum*, & universale non tollit, quò

minùs

minùs *Dominus particularis* possit ex rebus *suis*, quarum habet particulare dominium *satisfacere alteri ex justitia propriè* dicta, sicut *nec* causa universalis *tollit efficaciam*, & causalitatem causæ particularis. Potest enim subditus rem furtô *Reipublicæ ablatam pecuniâ privatâ* resarcire, licèt in rem *privatam* Respublica habeat dominium *altum*, & universale, & licèt dominus *indirectus* habeat dominium præcisè *utile* fundi potest ex fructibus *domino directo* canonem pendere; *ergo* pariter, licèt Deus habeat dominium *universale*, & *altum* in actiones Christi, poterit tamen Christus per illas satisfacere ob dominium *particulare*, quod in illas habet.

Quod autem satisfactio Christi non fuerit ex bonis acceptis à creditore, quantum requiritur ad justitiam, sic *Prob.* libertas, & gratia debitoris tunc solùm obstat solutioni ex rigore justitiæ, quando *creditor ex gratia remittit* aliquid de *condignitate*, & pretio satisfacientis; *atqui* in satisfactione Christi *nihil* remittitur de condignitate, & pretio satisfactionis per gratiam creditoris, nempe *per unionem hypostaticam*, se solùm *antecedenter* permodum *principij* ad condignam satisfactionem habentem; *ergo* in satisfactione Christi *gratia creditoris* non obstat *rigoris* justitiæ. *Maj. patet in exemplo*: si enim Princeps *gratiosè* commodaret subdito 100. quos sibi debet *titulo tributi*, eô fine, ut subditus possit ijs negotiari, & lucrari 200. eosque deinde tum in solutionem *tributi* tum *commodati* offerre; talis solutio fieret ex rigore justitiæ, quia talis *gratia* Principis *nihil remitteret* de debito; *ergo* à pari. *Min.* etiam constat; quia, licèt gratia unionis hypostaticæ *antecesserit satisfactionem* Christi, ipsa tamen *satisfactio* non constituebatur *formaliter per ipsam unionem*, sed per *opera subsequentia*: *ergo* &c. 8.

Quod

5. *Quod verò satisfactio Christi etiam fuerit ex bonis aliàs creditori indebitis, quantum requiritur, & sufficit ad rigorem justitiæ*, *Prob.* 1mò: Tunc potest *uno*, *eodemque opere* pluribus novis titulis satisfieri ex rigore justitiæ, quando *hi tituli non multiplicant actiones*, seu obligationes, & *materiam debitam*, sed tantùm *præcedens* debitum *confirmant*; *atqui* plures tituli, quibus Deo debetur satisfactio Christi, *non multiplicant* materiam debitum, sed tantùm *confirmant*: *ergo* potest illis titulis *una* satisfactione ex rigore justitiæ satisfieri *Min. & Conseq. patet. Maj. Prob.* inductione; sic enim, si quis *vovisset* solvere debita facta ex *contractu*, & postea eidem hæc solutio *mandaretur* à superiore, talis unâ eâdemque solutione satisfacit rigorosè triplici titulo, & quidem titulo *justitiæ ex contractu*, titulo *religionis ex voto*, & titulo *obedientiæ ex mandato*; idque ideo: quia *omnes* hi tituli cadunt *super eandem actionem solutionis*, & materiam debitam, eamque *non multiplicant*, *sed confirmant*. *Econtra verò* si quis vovisset 100. aureos Ecclesiæ, & postea ex decimis deberet alios 100. *non* satisfaceret, *si semel* tantum 100. solveret, idque ex eo, quia in hoc casu tituli *non confirmant*, *sed multiplicant materiam* debitam: *ergo*. *Prob.* 2dò: Quodlibet opus *infinitati* valoris *sufficit* ad solvendum *omne debitum*, etiamsi *infinitis titulis* sit debitum, sicut enim unum opus infiniti valoris tantundem valet *intensivè*, quantum omnia simul sumpta ejusmodi opera, cùm *unum infinitum non sit majus alterô*, ità quodvis opus infiniti valoris tantundem valet *pro omnibus* debitis expungendis, quantum pro uno. *Atqui quodlibet* opus fuit *infiniti* valoris: *ergo* quodlibet sufficit ad expungendum omne debitum *quocunque* titulô contractum.

VI.

VI. Denique: fuit *imperata*, aut elicita ex *motivo* 10.
justitiæ, ùt mox constabit *ex probatione 2dæ partis Thesis*. Ante quam

Notandum. Satisfactionem posse esse *rigorosam licèt non eliciatur* ex virtute *justitiæ*. *Ratio est*: quia qui ponit *æqualitatem* inter jus *passivum*, & *activum*, satisfacit justitiæ, quamvìs non faciat idipsum ex *motivo justitiæ*, unde ad rigorosam satisfactionem Christi non erat *per se* necessarium, ut esset elicita *ex virtute*, & motivo justitiæ, poterat enim elici ex virtute, & *motivo charitatis* &c. hôc notatô:

Prob. 2da pars Thesis 1mò Authoritate: Ex eo: *quòd* 11.
sacræ scripturæ textus satisfactionem Christi significent nominibus ad justitiam commutativam pertinentibus. Nam *Psalmo 68*. dicitur de Christo ùt satisfaciente: *quæ non rapui tunc exsolvebam*. 1*ma ad Corinth*. 6. *Empti enim estis pretiô magnô*. 1*mâ Petri* 1*mò*. *Non corruptibilibus auro*, & *argento redempti estis*. *Atqui solutio*, *emptio*, *redemptio* propriè pertinent *ad justitiam commutativam*: *ergo*. Idem etiam significatur *Psalmo 88*. in illis verbis: *Exprobaverunt commutationem Christi tui*. Nam juxta *S. Augustinum satisfactio* Christi *communicatio* dicitur, quæ omninò proprijssimè *ad justitiam commutativam spectat*.

Prob. 2dò Ratione desumpta ex definitione justitiæ 12.
commutativæ. Virtus *inclinans ad satisfaciendum æqualiter pro injuria illata ex motivo æqualitatis*, est definitivè *justitia commutativa*, quia æqualitas ex motivo, *reparandi jus alienum est objectum* unicè proprium justitiæ commutativæ; *atqui* satisfactio Christi processit ex virtute *inclinante* ad satisfaciendum *æqualiter* Deo pro injuria illata: *ergo*. *Min. patet*. Quia satisfactio Christi fuit ad æqualitatem cùm fuerit de condigno. *Maj. Prob. Actus*, quô Deo satis-

satisfit pro injuria *æqualiter* est *actus justitiæ commutativæ*; *ergo* virtus *inclinans* ad hunc ipsum actum est justitia commutativa, quia quod *actus habet in actu secundo*, hoc habet *habitus* virtutis in actu *primò*. *Prob. Ant.* Actus, quô *imperfectè* ex *defectu æqualitatis* satisfit Deo pro injuria illata, est *actus imperfectus* justitiæ commutativæ, *ut patet* in actu *puri hominis*: *ergo* actus, quô *perfectè, & ad æqualitatem* offensæ Deo satisfit, est perfectus actus justitiæ *commutativæ*, quia: quando aliquis actus deficit *à perfecta* ratione virtutis propter *aliquem defectum, remoto tali* defectu, *& cæteris omnibus manentibus* in alio actu, talis alius actus est verè, & propriè actus *talis virtutis*, à qua *prior deficit*, & sic est in satisfactione Christi ponente *æqualitatem*, *defectu cujus* actus *puri* hominis non potuit esse *justitiæ commutativæ*.

13. *Prob. 3tiò*: Ex eo: *quòd illa specialis virtus in Christo habuerit omnia requisita ad justitiam commutativam.* Ad justitiam commutativam duo requiruntur, & sufficiunt, nempe: *rigorosum* debitum, seu *legale* ex *parte satisfacientis*, & perfecta *æqualitas*, ex *parte satisfactionis*. Inde enim religio, pietas, pœnitentia, & alia ejusmodi virtutes *ad alterum* sunt tantùm partes *potentiales*, non verò *subjectivæ* justitiæ commutativæ. Atqui hæc duo observantur in satisfactione Christi, habetur enim in illa perfecta *æqualitas*, imò superabundans, habetur etiam *strictum debitum* legale, quia Christus se constituit *fidejussorem*, hic autem recipit in se strictum debitum *legale* ejus, pro quo vadem agit: *ergo*.

14. *Prob. 4tò*: *Ex Salmantic. hic num. 157. & Philippo à Sanctissima Trinitate dub. 3. Ex eo: quòd satisfactio Christi non fuerit ullius alterius virtutis.* Satisfactio Christi est actus virtutis specialis; *sed* non *alte-*

alterius, quàm justitiæ *commutativæ*: *ergo*. *Maj. supponitur*. Quia habet *specialem* suam *difficultatem*, & *honestatem* objectivam resultantem ex *adæquatione juris* activi cum passiivo. *Min. Prob.* si esset actus *alterius virtutis*, vel esset actus *justitiæ distributivæ*, *vel legalis*, *vel vindicativæ*. *vel* charitatis, *vel* religionis, *vel* pœnitentiæ, *vel* gratitudinis; *sed* ad nullam harum pertinet: *ergo*. *Maj. continet modos dicendi Adversariorum*. *Min. Prob. quoad* 1*mam partem*. Justitia *distributiva* est in ordine *ad dividenda* bona *communia* inter *personas particulares*, idque secundùm proportionem *geometricam*, non verò *arithmeticam*; *sed* satisfactio Christi non est *in ordine ad dividenda* bona communia nec etiam observat proportionem *geometricam*, sed *primò* & *per se* intendit proportionem *arithmeticam*, quia *æqualitatem* ad offensam: *ergo*. *Prob. Min. quoad* 2*dam partem*: justitia *legalis* ordinat bona personarum *privatarum* ad bonum *Reipublicæ* promovendum; *sed* talem ordinem non dicit satisfactio Christi: *ergo*. *Min.* in qua est difficultas *Prob.* Quod *primò* & *per se* ordinatur ad ponendam *æqualem* satisfactionem *pro offensa* non ordinat bonum privatum ad bonum commune *promovendum*, sed tantùm ad offensum *placandum*, respicit enim primò, & per se *injuriæ illatæ recompensationem*, non verò boni *communis promotionem*; *sed* hoc fit in satisfactione Christi: *ergo*. *Prob. Min. principalis quoad etiam partem*: satisfactio Christi tendit ad *reparandum* jus læsum, & faciendam iterum *amicitiam*, *sed* ad hoc non tendit justitia *vindicativa*, quæ solùm intendit *removere nocumenta*, vel à se, vel à communitate, per qualem remotionem *nullatis* jus læsum reparatur, nec amicitia acquiritur illi qui subest vindicativæ: *ergo*.

 Prob.

Prob. Min. principalis quoad 4tam partem: satisfactio Christi non respicit *objectum* Charitatis: *ergo* non est actus charitatis: *ergo* nec habitus *elicitivus* est habitus charitatis *Conseq. utraque patet:* Quia actus alicujus habitus debet versari circa *rationem formalem objecti* ipsius habitus. *Ant. Prob.* Objectum charitatis est Deus *ùt summum bonum*, *atqui* satisfactio Christi non tendit in Deum ùt summum *bonum*, sed ùt *offensum*, & per recompensationem injuriæ placandum: *ergo.* *Prob. Min. principalis quoad 5tam partem:* *Ad Religionem* pertinet exhibere Deo *cultum* in quantum est *primum principium* creationis; *sed* Christus per suam satisfactionem non intendit *præcisè* Deo exhibere cultum, quia hunc *teneretur* exhibere *etiamsi non fuisset fidejussor*: *ergo* per satisfactionem tendit satisfacere *obligationi* ponendi *æqualitatem* cum offensa *ortæ ex fidejussione.* Nam Christus *ex se* nullum habuit *debitum satisfaciendi*, cùm nullam offensam commiserit. *Confirmatur.* Si satisfactio Christi fuisset actus religionis, non fuisset ad *æqualitatem*; *consequens* est falsum; *ergo. Prob. Maj.* debitum quod habet *inferior ùt inferior* ad superiorem *nunquam* potest pertingere ad *æqualitatem*, quia semper est *debitum inferioritatis*; *sed* actus religionis, *quâ talis*, est debitum *inferioris ad superiorem*: *ergo, &c.*

15. *Prob. Min. principalis quoad 6tam partem:* Quia pœnitentia habet pro materia peccatum *proprium personæ pœnitentis*, hujus autem incapax fuit Christus: *ergo.* *Prob. denique eadem Min quoad 7mam partem:* quia *gratitudo*, idem est de alijs assignabilibus virtutibus, non respicit primò, & per se *jus læsum, ùt reparandum, sicut satisfactio* Christi: *ergo* non fuit alterius virtutis, quàm justitiæ *commutati-*

væ; id, quod ſic ulteriùs *confirmatur*. Satisfactio hominis ad hominem obſervans omnia, quæ habuit ſatisfactio Chriſti erga Deum, non eſt opus alterius *virtutis*, quàm juſtitiæ *commutativæ*; *ergo* idem dicendum eſt de ſatisfactione Chriſti erga Deum.

§. I.

Objectiones contra primam partem Theſis.

OBjicies I. Ex eo: *quòd ſatisfactio Chriſti non fuerit ad alterum.* Nam *imò* ſatisfactio fuit facta vel Deo, vel perſonis divinis: *ergo* non fuit *ad alterum*. *Ant. Prob.* Quia ſatisfactio debet fieri offenſo. *Conſeq. autem Prob.* Chriſtus non eſt *alius* à Deo, cùm ipſe ſit Deus,& una ex perſonis Divinis: *ergo* ſatisfactio Chriſti non fuit ad alterum. 16.

II. Aliqua peccata ſunt *directè* contra *naturam humanam* Chriſti, ùt patet in peccato crucifigentium; *ſed* reſpectu horum peccatorum non fuit *alter* offenſus,& *alter* ſatisfaciens, etiam aleitate *naturæ*: *ergo* ſatisfactio Chriſti *pro his ſaltèm peccatis* non fuit *ad alterum*.

III. S.Thomas 2da. 2dæ. Quæſt. 58. art.2. in corpore docet ad veram juſtitiam requiri *realem diſtinctionem ſuppoſitorum*: *quod ulteriùs ſic probatur*. Inter exercentes juſtitiam, debet *eſſe realis relatio æqualitatis*: *ſed* ejusdem ſuppoſiti ad ſeipſum non poteſt eſſe realis relatio æqualitatis: *ergo* inter exercentes juſtitiam requiritur *vera realis*, *&* *formalis* diſtinctio ſuppoſitorum: & non ſufficit ſolùm *virtualis*, *&* *moralis*. *Prob. Min.* ſicut relatio *æqualitatis petit aleitatem*, ſic filiationis adoptivæ petit *extraneitatem*, *ſed* ad relationem filiationis adoptivæ non ſufficit *extraneitas naturæ*, ſed inſuper requiritur *extraneitas ſuppoſiti*; *ergo* etiam in Chriſto

ad relationem æqualitatis non sufficit *aleitas naturæ*, sine aleitate suppositi.

27. *Resp. Ad 1mum Conc. Ant.* & dico: Christum satisfecisse *soli Deo* in tribus personis subsistenti, quia Deus *ùt sic*, *& in abstracto ab humanitate* acceptus est *creditor*, licèt Deus ùt *in concreto* humanitatis acceptus, adeoque Deus & homo simul, supposita fidejussione, *sit debitor*, *& satisfaciens*, ex quo tamen non sequitur, quod *idem sub eadem ratione*, & reduplicatione *sit satisfaciens*, *& creditor*, sed solùm sequitur; quòd sit creditor secundùm divinitatem *ùt abstractam* ab humanitate, & ùt communem tribus personis divinis, *sit* autem *satisfaciens* ùt *concretè* acceptus *cum humanitate* Christi, quod non implicat sicut non implicat: quòd natura divina *ùt connotat* Paternitatem sit *principium* quô generationis, ùt *connotat* autem *filiationem* sit *terminus* illius generationis. *Conseq. Dist.* Non fuit ad alterum *aleitate personæ Conc. naturæ voluntatis*, & jurium *Neg. Conseq.* inde patet ad *ejus probationem*.

28. *Ad II. Dist. Maj.* Et pro ipsis Christus ùt sunt injuria *suæ naturæ humanæ* satisfecit, aut satisfacere potuit *Neg.* & non satisfecit pro illis, & neque pro illis satisfacere potuit *ùt sunt injuria suæ naturæ* humanæ *Conc. Maj. Dist.* etiam *Min.* respectu horum peccatorum ùt sunt injuria *naturæ humanæ Christi Conc.* ùt sunt injuria, & offensa *Dei Neg. Min. Dist. similiter Conseq. & Neg. Conseq.* Nam, ùt bene monent *Salmantic. hic num. 219. ad 2dam.* Christus non subijt munus satisfaciendi *personis omnibus*, quæ per peccata offensæ sunt, sed *soli Deo*, unde non satisfecit Joanni Baptistæ pro Herode *nec sibi ipsi*, secundùm quod erat *homo*, & offensus à Crucifigentibus satisfacere potuit propter *defectum aleitatis* ad satisfactionem requisitæ.

Ad III. Explico S. Thomam. Ad veram justitiam 19.
inter *puras* creaturas, in quibus non stat *realis distinctio* naturarum *absque reali* distinctione *suppositorum*: requiritur realis distinctio suppositorum *Transf. Ad veram* justitiam *ut sic*, prout illa etiam reperiri potest inter Christum, & Deum, *Neg.* Dixi *Transeat.* Nam etiam *in puris creaturis* sufficit altereitas *moralis*, ac diversitas jurium, etenim persona purè creata *physicè una æquivalens* duabus personis diversa jura habentibus, adeoque *moraliter* duplex potest *sibi* tanquam *alteri ex justitia* satisfacere, & adæquare jus passivum cum suo jure activo. *Ad ulteriorem probationem Dist. Min.* Ejusdem suppositi ad se ipsum *in eadem natura* non potest esse *realis* relatio *æqualitatis Conc.* in diversa natura *Neg Min.* & *Conseq.* Hæc solutio est *S. Thomæ*; *hic Quæst. 20. art. 1. ad 2dum.* docentis: *licèt agere, & pati supra quod fundatur relatio dominij, & servitutis propriè attribuatur supposito, & non naturæ, quia tamen suppositum in Christo ratione diversæ naturæ agit, & patitur*, inde in Christo sufficit sola *realis* distinctio *naturarum*, ad hoc, ut Christus dicatur, *& sit verè & propriè* servus *Dei* servitute *naturali*, quâ Christus subditur *sibi ùt Deo* ratione naturæ humanæ. Ità similiter, licèt *æqualitas justitiæ* fundetur *super actione*, quæ propriè supposito convenit, quia tamen suppositum Christi ratione *humanæ naturæ agit, & satisfacit*, inde sufficit in Christo realis distinctio naturarum. Idem est: in relatione *effectûs ad causam*, per quam Christus *ratione naturæ humanæ* refertur *realiter ad se ipsum*, tanquam ad Deum *sinè reali distinctione* suppositorum. Id denique patet etiam in merito *condigno Christi*, cujus æqualitas, licèt *fundetur in actione*, & conveniat supposito, tamen *non requirit* distinctionem *realem*

lem suppositorum inter merentem, & præmiantem. *Ad probationem Min. Neg. Conseq. Disparitas* est : quia ad filiationem *adoptivam* requiritur talis extraneitas, quæ *excludat in adoptato* ante adoptionem *omne jus* ad hæreditatem ; hòc ipso autem, quod *suppositum sit intraneum* licèt *natura* sit *extranea* adoptanti, adest jus ad hæreditatem ; *ergo ad filiationem* adoptivam non sufficit *extraneitas* naturæ, sed simul requiritur *extraneitas suppositi*. At verò ad *æqualitatem* veræ justitiæ sufficit *illa aleitas*, quæ fundat *diversitatem* jurium, *inter satisfacientem, & creditorem*, ad hanc autem fundandam sufficit *alietas naturarum*, & voluntatum : *ergo* etiam ad æqualitatem *veræ justitiæ* sufficiet *aleitas* naturarum sinè aleitate suppositorum. Sed

20. *Dices.* Relatio æqualitatis *propriè convenit* supposito, *sed* suppositum Christi est incapax *relationis realis* ; *ergo* Christus non habet æqualitatem *requisitam ad veram* justitiam. *Resp. Dist. Maj. cum Godoy hic Disput. 5. §. 2. num. 32. propriè* convenit supposito *ùt subjecto denominationis Conc.* ùt subjecto *inhæsionis Neg. Maj. sic Dist. Min. & Neg. Conseq.* Instantia est iterum in relatione *servitutis*, & effectus, *quibus* Christus *ùt homo refertur* ad Deum *tanquam dominum*, & causam, neque tamen hæ relationes *reales* important in *supposito* Christi *mutationem*, aut imperfectionem, eò, quòd *immediatè* inhæreant *naturæ* non autem *supposito*. Sic etiam dicitur *Deus nasci in tempore* absque imperfectione, quia licèt nasci soli *supposito denominativè* propriè conveniat, *inhæsivè* tamen immediatè convenit *soli naturæ* assumptæ.

21. *Objicies 2dò.* Ex eo *quòd non sit ab offendente.* Ad satisfactionem rigorosam requiritur ut sit illius, *qui offendit* ; *atqui* Christus non offendit : *ergo* satisfactio

Chri-

Christi non est ab offendente. *Resp. Dist. Maj.* ut sit saltèm *interpretativè* illius, qui offendit *Conc.* ut sit semper *elicitivè* illius, qui offendit *Neg. Maj. Conc. Min. Dist. similiter Conseq.* Non est ab offendente *elicitivè Conc.* non est *interpretativè Neg. Conseq.* Fidejussor enim potest satisfacere per actus à se elicitos pro offensa alterius, & in tali casu satisfactio fidejussoris *est moraliter, & interpretativè*, quamvìs *non elicitivè* ipsius offendentis, quia *quod quis per alium facit per se fecisse censetur. Sed*

Dices. Satisfactio Christi non potest dici *nostra*, 22.
sed tantùm *pro nobis*: *ergo* nec interpretativè est *ab* offendente, sed tantùm *pro* offendente *Prob. Ant.* si satisfactio Christi esset *nostra*, non justificaremur *gratis*; *atqui* hoc est contra Apostolum *ad Rom. 8. ergo. Prob. sequela. Maj.* ex eo, quòd peccatum Adæ sit peccatum *nostrum*, ità per illud *reddimur digni pœnâ*, ut hæc non dicatur infligi *gratis* : *ergo* si satisfactio Christi esset *nostra*, ità per illam redderemur digni *justificatione*, ut non justificaremur *gratis*. *Resp. Dist. Ant.* satisfactio Christi non potest dici *nostra formaliter*, & elicitivè *Conc. interpretativè*, & moraliter *Neg. Ant. & Conseq.* Nam ùt inquit *S. Thomas hìc Quæst. 48. art. 2.* satisfactio elicita à capite est *moraliter*, *& interpretativè* satisfactio membrorum *ejusdem corporis* mystici, caput enim & membra sunt *una persona* mystica. Unde Christus *ùt Caput* nos redimens *tanquam membra*, se habet sicut homo, qui per opus meritorium, quod *manu exercet*, se à peccato *redimeret quod pede* commisit. *Prob. Dist. sequelam Maj.* Non justificaremur *gratis*, *ideo* quia meritum *condignum à Christo* tanquam *à capite elicitum præcessit* justificationem *Conc.* non justificaremur *gratis* ideo, quòd aliquod meritum condignum *à nobis* formali-

ter

ter elicitum, justificationem *nostram præcesserit Neg. sequelam Maj. Ad cujus probationem disparitas est*: quia inflictio pœnæ est actus justitiæ *vindicativæ* essentialiter *præsupponens* culpam; *Justificatio* autem est actus *liberalitatis* respectu *puræ* creaturæ præcisè *secundùm se consideratæ*, & sic *non essentialiter præsupponens* in illa ullam condignitatem meriti respectu sui.

23. *Replicabis.* Quamvìs membra sint *una moraliter* persona cum capite, non possunt tamen *agere nomine* capitis: *ergo* nec caput potest agere nomine membrorum: *ergo*, &c. *Resp. Neg. Conseq. disparitas est*: ex eo; quia *solius* capitis, utpote *superioris*, *est influere* in alia membra tanquam in inferiora influxu *directivo*, *& præceptivo*, non autem aliorum membrorum, utpote quæ *supra* caput *superioritatem nullam* habent. Unde sicut in corpore naturali est *una* tantùm voluntas, & illa est capitis *dependenter à qua* pes ambulat, manus laborat, ità etiam *in corpore mystico*, *una* est voluntas capitis moralis *dependenter* à qua membra moralia agunt, quia membra *ùt membra* tantùm agunt *ex vi*, & influxu capitis. Quare per actiones *bonas fidelium* sanctificatur Ecclesia, quia hæ ùt tales sunt *propriè actiones membrorum* ùt talium agentium *per influxum capitis*. Non verò *contaminatur* Ecclesia, aut Christus per actiones *malas* fidelium, quia illæ non sunt actiones *membrorum ùt talium*, deficiunt enim ab *influxu capitis*, adeoque sunt impertinentes ad caput, quia *neutrum caput* fidelium, visibile scilicet, & invisibile, influit in actionem malam, sicut *influxit caput* generis humani in malitiam peccati originalis.

24. *Urgebis.* Christus *non fuit ità caput* hominum, sicut *fuit Adam per alligationem* voluntatis *nostræ* ad voluntatem Christi: *ergo* operatio Christi non fuit

ità

ità interpretativè nostra, ficuti est operatio Adami: *ergo, &c. Resp. Dist. Ant.* Christus non fuit ità Caput hominum ficut Adam *ex pacto arbitrario Conc.* modò aliquo *longè excellentiori, nempe:* ex jure *suæ proprietatis* independenter à pacto *Neg. Ant. sic Dist. Conseq. & Neg. Conseq.*

Objicies 3tiò: Ex eo: *quòd satisfactio Christi non fuerit ex bonis proprijs Christi satisfacientis, sed ex bonis creditoris Dei.* I. Deus habet perfectissimum dominium *in omnes* actiones creatas liberas *titulô primi* effectoris; *atqui* actiones satisfactoriæ Christi sunt *creatæ: ergo &c. ergo* non sunt ex bonis *proprijs* Christi ùt *satisfacientis, sed Dei. II. Potentialis* satisfactio Christi erat sub *dominio Dei*, sic: ut priusquam eliceretur, poterat Deus illam jure suo *exigere; ergo* fuit simpliciter sub dominio Dei. III. Valor satisfactorius operum Christi non fuit à Christo *ùt homine elicitivè*, sed sumptus *formaliter* fuit à Deitate, quæ est communis toti Sanctissimæ Trinitati: *ergo* saltèm *valor satisfactionis* non fuit ex bonis *proprijs* Christi. 24.

Resp. ad I. Dist. Maj. imò: sic, *cum Godoy num. 90. &* 101. Habet perfectum dominium in actiones creatas liberas *positivè Conc. privativè* ad creaturam illas liberè elicientem *subdist.* habet dominium *positivè absolutè Neg.* privativè sub illo *speciali modo,* sub quo ità subsunt dominio Dei, ut eis *repugnet sub illo speciali* modo subesse *dominio creaturæ,* licet eisdem non repugnent sub *alio speciali modo* subesse *creaturæ liberæ Conc. Maj.* Nam titulô *primi effectoris* ità subest actio libera creaturæ dominio Dei, ut *hôc titulô* non possit subesse *dominio creaturæ* ipsam vitaliter & *liberè elicientis.* Econtra verò titulô *elicitionis vitalis*, & liberæ ità subest dominio *creaturæ* 25.

turæ privativè ad Deum, ut *hôc titulô repugnet* illam ſubeſſe *dominio Dei. Conc. Min. Diſt. ſimiliter utrumque Conſeq. & Neg. Conſequentias. 2dò: eandem Maj. Diſt.* cum *Aravio apud Gonet hic num. 113.* habet dominium *univerſale, & altum*, idque *concomitanter* ad liberam determinationem creaturæ *Conc.* habet dominium *particulare, & baſſum, & independenter* à libera determinatione creaturæ *liberæ operantis Neg. Maj. & Conc. Min. Diſt. ſimiliter utrumque Conſeq. & Neg. utramque Conſeq.* licèt enim Deus habeat in actiones liberas dominium *altum* ſub ratione *cauſæ primæ*, tamen etiam Chriſtus habet in ſuas actiones liberas dominium *baſſum* ſub ratione *vitaliter, & liberè* operantis. Sed

26. *Replicabis*: Chriſtus eſt verè ſervus reſpectu Dei; *ſed* non obſtante, quòd ſervus *liberè eliciat ſuas operationes externas* (idem eſt de Religioſo reſpectu ſui ſuperioris) non habet dominium ipſarum ità, ut poſſit per illas exercere *veram juſtitiam* erga dominum: *ergo* etiam non obſtante, quòd Chriſtus liberè eliciat ſatisfactionem non tamen habebit dominium ipſius, ità ut poſſit veram juſtitiam exercere erga Deum. *Reſp. Diſt. Maj.* Chriſtus eſt ſervus Dei *ſervitute naturali*, ex jure creationis efficientiæ, quod Deo tribuit dominium *altum poſitivè*, non tamen *privativè* ad dominium *baſſum* ex parte Chriſti ſupra ſuas operationes liberas *Conc.* Eſt ſervus *ſervitute legali* ex jure emptionis, belli, aut *alio privante* ipſum ejusmodi *dominio baſſo*, & particulari *Neg. Maj. & Conc. Min. Neg. Conſeq.* Quia cum ſervitute *naturali* compatitur dominium *privatum* in ſervo, ſecùs cum *ſervitute legali*, quia *veræ* ejusmodi ſervitus *legalis tollit* ex parte ſervi *omne dominium. Diſt. etiam Min.* non obſtante, quod ſer-

vus, & religiosus liberè eliciat suas operationes externas libertate præcisè *naturali Conc.* non obstante, si illas eliceret libertate insuper *legali Neg. Min. & Conseq. servus*, & Religiosus suas operationes externas elicit liberè *libertate* solùm *naturali*, quæ desumitur *à voluntate operantis* & sufficit ad rationem *meriti*, licèt *non dominij*, non autem *legali*, quia ratione legis à servo, & Religioso abdicatur *omne omninò* dominium. Christus autem non abdicavit se *dominiô bassô* in suas operationes liberas, adeoque habuit non tantùm libertatem *naturalem*, sed etiam *legalem*, sicut cæteri homines liberi: *unde est disparitas* inter Christum ad Deum, & inter servum *legalem*, & Religiosum ad *dominum*, & *superiorem* quoad libertatem *in ordine ad dominium* actionum liberarum, quia ejusmodi actiones sunt sub dominio Domini & *superioris positivè*, & *privativè*, privando subjectos etiam *dominiô privatô*.

Ad II. Dist. Ant. satisfactio Christi erat sub dominio Dei sic, ut *potuerit* illam *jure suo exigere salvô* tamen jure libertatis creatæ, adeoque *non privativè* ad dominium particulare, & bassum ipsius Christi *Conc.* secùs *Neg. Ant. & Conseq.* Potestas namque exigitiva Dei ut *reipsa existat* actio nostra essentialiter libera respicit *nostram voluntatem*, quia illa potestas *solùm* est *ad conferendum* voluntati nostræ virtutem, & ad præparandum illi concursum. Supposita autem virtute, & *præparatione concursûs per Decretum indifferens*, jam non est penes *DEI dominium & libertatem*, quòd ponatur actio satisfactoria potius, quàm *ejus carentia*, sed id dependet *à voluntate creata nt eliciente*, & determinante, adeoque dominium DEI altum supra actiones liberas Christi non tollit, quin possit Christus per illas Deo ex 27.

rigore satisfacere, cùm habeat *adhuc dominium bassum* ipsarum.

28. *Ad III. Resp. cum Godoy num.* 98. *Gonet num.* 115. *& Salmantic. num.* 224. *Dist. 1mò 1mam partem Ant. Valor* satisfactorius *in abstracto* acceptus non fuit elicitivè à Christo *Conc. in concreto* acceptus *Neg. 1mam partem Ant. Opus enim satisfactorium* Christi in concreto fuit elicitum ab humanitate Christi *ùt terminatâ Personâ* verbi divini. *2dò: Dist. 2dam partem Ant.* Valor ille fuit *formaliter* à DEItate ùt appropiatâ *verbo terminanti* humanitatem Christi *Conc.* à DEItate ùt *communi toti* Sanctissimæ Trinitati *Neg. Ant. & Conseq.* Sed

29. *Dices.* Subsistentia Verbi *ùt terminans* humanitatem est etiam *Dei creditoris* per identitatem : *ergo valor* sumptus ex DEItate Verbi *ùt terminantis* naturam humanam Christi non *est ex proprijs* Christi privativè sub aliquo *speciali* modo dominij *bassi*, sed tantùm *ex bonis creditoris. Resp. Conc. Ant. Neg. Conseq.* Licèt enim terminatio humanitatis sit DEI *per identitatem*, est tamen Verbi in genere quasi *causæ formalis* terminantis, qualiter DEI, *ùt creditoris non est*, ac proinde valor sumptus à DEItate ùt terminata *per subsistentiam* Verbi *ùt terminantis* humanitatem sumitur *ex proprijs Christi privativè sub aliqua speciali ratione*, id est: ex aliquo tali, quod *aliquô modô* est Christi satisfacientis, quô modô non est DEI ùt creditoris, ità *citatus Godoy ad num. 2dum.*

30. *Objicies 4tò.* Ex eo; *quòd satisfactio Christi fuerit ex bonis liberaliter acceptis à creditore, adeoque ex gratia creditoris.* Ubi intercedit *gratia creditoris*, ibi non est satisfactio ex *rigore* justitiæ ; *atqui* in satisfactione Christi intercedit *gratia creditoris*, nempe ; *Unionis hypostaticæ : ergo. Resp. Dist. Maj.* 1mò *: sic:* ubi

ubi intercedit gratia creditoris facta *principali* satisfacienti *ùt quod Conc.* facta alicui parti, seu principio *quô* ipsius *principalis satisfacientis*; aut etiam: facta satisfacientibus *minùs principalibus* Neg. *Maj. Dist. etiam Min.* intercedit gratia creditoris facta principali satisfacienti *ùt quod*, nempe ipsi Personæ Christi *Neg.* parti, & principio *quô*, nempe: *humanitati* Christi, aut *nobis*, minùs principaliter, per Christum satisfacientibus *Conc. Min. Ratio est*: quia sicut *Persona* Christi ratione *sui* est incapax debiti, ita etiam *est incapax* omnis omninò *gratiæ*, unde non ex gratia satisfacit, sed *ex propria dignitate*, adeoque ad *rigorem* justitiæ. Quare quod *Personæ Verbi* data fuerit humanitas cum *omnibus donis*, & auxilijs ad nostram justificationem requisitis, *non erat favor*, aut gratia respectu Personæ Verbi, *sed potius ipsius dignatio*, tota autem gratia *humanitati* assumptæ, & *nobis* fiebat. Etenim Verbum assumpsit humanitatem quasi ligonem (est instantia *Joannis à S. Thoma num.* 20.) ad laborandum, dando operationibus humanitatis *valorem*, sicut assumens ligonem dat *ei momentum ad operandum*. Quapropter, sicut *si* in ligone daretur *capacitas ad recipiendam* gratiam, magna ei gratia fieret per hoc, quòd *ab homine assumeretur*, & moveretur, *non verò homini* ipsum assumenti, hic enim non *gratis*, sed *ex suo labore* consequeretur prœmium; sic pariter magna gratia facta fuit *humanitati* assumptæ à verbo, non verò *Verbo assumenti*. *Resp.* 2dò: *sic*: *Dist. Maj.* Ubi intercedit gratia creditoris *formaliter* concurrens ad satisfactionem supplendo ipsius defectum formaliter, & ipsam ingrediens *Conc.* gratia creditoris solùm *antecedens* condignam satisfactionem *Neg. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Consequ.* *Resp.* 3tio: *sic*: *Dist. eandem Maj.* gratia credi-

creditoris remittens *totum*, aut *aliquid* de debito satisfactionis *Conc.* quia ejusmodi collatio gratiæ est vel *totalis*, *vel partialis condonatio* debiti: *Nihil remittens* de debito, ùt contingit in gratia unionis Christi humanitati collata. *Neg. Maj. Dist. similiter Min. & Neg. Conseq.*

31. *Dices.* Si Petrus debens Paulo 100. à Paulo *gratuitò* accipiat 100. sub *hac conditione*: ùt Petrus solvat Paulo *suos* 100. solutio hæc non est *ex rigore* justitiæ, sed *est liberalis remissio*, eò, quòd *fundetur in gratia* creditoris: *ergo* etiam, quia *satisfactio* Christi fuit fundata *in gratia Dei creditoris*, non erit solutio ex rigore justitiæ. *Resp. 1mò dist. Ant. complendo illius causalem*, eò, quòd fundetur in gratia creditoris, debitum *virtualiter remittente Conc. præcisè* valorem, & æstimabilitatem *causaliter* tribuente *Neg. Causalem Ant. & Conseq. Resp. 2dò: Neg. Conseq. Nam disparitas est 1mò*: Quia eò ipso, quòd Petrus à Paulo accipiat 120. *sub hac conditione*: ut totidem solvat Paulo, non transeunt illa 100. in *absolutum* dominium Petri, unde est mera *palliata donatio*, & virtualis *remissio* debiti ex *liberalitate*. E contra verò opera Christi, etsi procedant à gratia unionis, revera tamen existunt *sub dominio basso Christi jure libertatis*, ideoque gratia DEI, in qua fundantur, *non est virtualis* remissio debiti, nec supplens defectum valoris formaliter in satisfactione, cùm satisfactio Christi *ex se sit superexcedens*, quin potius hoc ipso præstat *illis valorem*, & dignitatem superabundantem, estque *ad liberam Christi dispositionem* data, utpote cui liberum erat illâ habitâ opera sua *exhibere* in satisfactionem pro nobis, *vel non. Disparitas est 2dò*: quia gratia facta Petro à Paulo, est gratia facta *ipsi principali* satisfacienti *ùt quod capaci* ejusmodi gra-

gratiæ; gratia verò unionis non est facta *principali* satisfacienti *ùt quod*, sed *humanitati* Christi tanquam principio satisfacienti *ùt quâ*; *ergo* illa, non verò hæc gratia impedit in satisfactione rigorem justitiæ.

Objicies 5tò: Ex eo: *quòd satisfactio Christi sit creditori Deo ex alijs titulis debita.* Unde sic: nequit fieri satisfactio ex *toto rigore* justitiæ ex bonis, *alijs titulis creditori* debitis, *sed* satisfactio Christi fuit Deo *creditori alijs titulis* debita, nempe: *titulô obedientiæ*, *gratitudinis religionis*, *&c.* *ergo* non fuit ex rigore justitiæ. *Resp. Dist. Maj.* 1*mò sic*: ex bonis alijs titulis *justitiæ*, aut alijs *incompatibilibus* cum titulo justitiæ debitis *Conc.* ex alijs titulis *alterius virtutis*, aut alijs *compatibilibus* cum titulo justitiæ, ùt contingit in Christo *Neg. Maj.* 2*dò*: *sic*: ex bonis alijs titulis debitis, si illi tituli *multiplicent* materiam, & non incidant *in eandem materiam Conc.* si non multiplicent, *sed incidant in eandem* materiam satisfactionis, ùt contingit in satisfactione Christi *Neg. Maj.* 3*tiò sic*: si sit debita à satisfaciente *ùt quod Conc.* si non sit debita à satisfaciente *ùt quod*, sicut non est debita satisfactio Christi à persona satisfaciente *ùt quod*, utpote quæ incapax est omnis debiti *Neg. Maj.* 4*tò denique sic*: *si satisfactio* illa *non adæquat* etiam omnes reliquos titulos *Conc.* quando *adæquat*, ùt adæquat propter *infinitatem* suam satisfactio Christi *Neg. Maj. & Dist. similiter Min. Neg. Conseq.* 32.

§. 2.

Objectiones contra secundam partem Conclusionis.

OBjicies 1*mò*. Ex eo: *quòd obligatio satisfaciendi & acceptandi satisfactionem non sit ex justitia.* Obligatio 33.

gatio

gatio orta ex *promissione* est obligatio orta ex *fidelitate*; *sed* obligatio DEI ad acceptandam *saltèm negativè* satisfactionem Christi, remittendumque peccatum, est orta ex *promissione*; *ergo* est orta ex fidelitate, & non justitia, & subinde satisfactio Christi non erit actus alicujus virtutis *Justitiæ objectivæ*, sed tantùm *potentialis*. *Resp. Dist. Maj.* obligatio orta ex *promissione tantùm*, est obligatio ex fidelitate *Conc.* ex promissione sub titulo, & *conditione operis* onerosi *Neg. Maj. Dist. etiam Min.* ex promissione *præcisè Neg. Min.* ex promissione *sub titulo*, & conditione operis *onerosi Conc. Min. & Neg. Conseq.* Verum quidem est, quòd obligatio orta ex *sola* promissione sinè conditione operis onerosi non inducat debitum ex *justitia*, sed solùm *ex fidelitate*, qua ratione non ex justitia, sed solùm *ex fidelitate* fuit *Deus obligatus* assumere carnem humanam, *quia id promisit* antiquis Patribus. Quando autem obligatio oritur ex promissione *sub conditione operis onerosi*, inducit obligationem *ex justitia*, & ideo tenetur Deus *ex justitia* prœmiare justos propter *merita* bonorum operum; idem contingit in satisfactione Christi, licèt enim Christus *absolutè, & antecedenter* ad fidejussionem, & *ratione sui* non fuerit obligatus ad satisfaciendum *ex justitia*, fuit tamen *sic obligatus ex suppositione fidejussoris* ad satisfaciendum *Christus*, & ad remittendum peccatum *Deus*. Sed

34. *Replicabis*. Fidejussor non *majorem* suscipit in se obligationem, quàm habeat *debitor principalis*; *sed* purus homo, qui fuit debitor principalis non *tenebatur ex justitia* satisfacere; *ergo* nec fidejussor *ad id tenebatur*. *Min. probatur 1mò*: quia satisfactio ex justitia *rigorosa puro* homini est *impossibilis*, *sed ad impossibile nemo tenetur*; *ergo*. *2dò*: Quia obligatio

ex

ex justitia satisfaciendi non oritur nisi ex justitia *violata*; *sed* peccatum Adæ *non est violatio justitiæ*: *ergo*. *Maj. patet*. *Min. Prob*. 1mò: quia aliàs *intemperantia* v. g. esset peccatum *duplicis speciei*, cùm præter deformitatem *intemperantiæ*, etiam *deformitatem injustitiæ* involveret, *sed* hoc non: *ergo*. 2dò: Quia aliàs sicut statim quis tenetur reparare damnum per restitutionem, ità teneretur aliquis satisfacere *Deo statim* per pœnitentiam: *ergo*. *Resp*. 1mò: *Dist*. *Maj*. Non suscipit majorem obligationem si in debitore principali minor obligatio proveniat ex defectu *juris activi* in parte læsa *Conc*. si proveniat ex *defectu*, & *impotentia subjecti Neg. Maj*. *Dist*. *etiam Min*. non tenebatur ex defectu obligationis in debitore, & juris activi in parte læsa, seu creditore adeoque non tenebatur per se *Neg. Min*. non tenebatur per accidens ex defectu & impotentia subjecti *Conc. Min*. *Resp*. 2dò *T. Maj*. *Dist*. *Min*. 1mò: sic: non tenebatur satisfacere, *nec* etiam *satispati Neg*. satisfacere solùm *Conc*. & *Neg*. *Conseq*. Potuit *ergo* purus homo, & tenebatur *satispati*, sicuti homicida non tenetur quidem satisfacere *restituendo* vitam, quia hoc ei *non est possibile*, tenetur tamen ex *justitia ad satispassionem* per *amissionem vitæ propriæ*. Porrò si quis *habens donum miraculorum fidejuberet* pro tali homicida ex *affectu* ipsum *liberandi* à satispassione, & promitteret se locò illius *satisfacturum suscitando* à morte hominem occisum, *ad id ex justitia* obligabitur: *ergo* à pari Christus, &c. 2dò: *sic Dist*. *Min*. non tenebatur satisfacere *per seipsum Conc*. non tenebatur satisfacere per *Christum fidejussorem Neg*. *Min*. & *Conseq*. *Primæ probationi pariter Dist*. *Maj*. satisfacere *immediatè* per seipsum *Conc*. *per fidejussorem Neg*. *Maj*. *explico*: ad impossibile,

bile, *eô modô*, quô eſt impoſſibile, nemo tenetur *Conc.* ſecùs *Neg. Min. & Conſeq. 2dæ Probationi Tranſeat Maj.* Quia mutuans tenetur *ex juſtitia ſatisfacere*; & tamen mutuum *accipiendo* non violavit *ullius juſtitiam Diſt. Min.* peccatum Adæ non eſt *violatio* juſtitiæ, ſeu peccatum *injuſtitiæ* ſecundùm ſuam rationem ſpecificam, *& particularem Conc.* ſecundùm ſuam rationem *communem, & genericam Neg. Min.* In quolibet enim peccato mortali involvitur *duplex* deformitas, una *ratione averſionis* à Deo tanquam *fine ultimo*, & altera *ratione converſionis* ad creaturam, in qua *affectivè* ponit finem ultimum, hæc, non illa ſpecificat peccatum, nisì ejusmodi deformitas, *per ſe, & veluti directè* & immediatè intendatur, ſed habet ſe *permodum conditionis generalis*. & prædicati communis omnibus peccatis, unde licet omne peccatum mortale ſit peccatum *injuſtitiæ communiter dictæ*, ſicut etiam eſt *inobedientiæ*, *non* tamen eſt *duplicis* ſpeciei, quia non eſt *injuſtitiæ ſpecificè dictæ*, ſicut nec inobedientiæ, nisì *per ſe* ejusmodi deformitates intendantur, adeoque nec ſunt explicandæ in confeſſione. Unde patet *ad 1mam probationem hujus Min.* Cui propter mox dicta, *Neganda eſt ſequela Maj. 2dæ Probationi etiam Neg. ſequelam Ant. Ratio eſt*: quia poteſtas ſatisfaciendi Deo per pœnitentiam, eſt *privilegium* conceſſum peccatori, & hinc *obligatio*, quæ hanc poteſtatem comitatur, *non eſt* inſtituta *in favorem creditoris, ſed debitoris*, adeoque non eſt peccator obligatus *ſtatim* pœnitere, quia aliàs hoc privilegium vergeret in ejus diſpendium.

35. *Objicies 2dò.* Ex eo: *quod ſatisfactio Chriſti non exerceatur in materia propria juſtitiæ.* Ut ſatisfactio Chriſti ſit vera juſtitia, deberet exerceri in materia pro-

propria justitiæ, ùt patet: *sed* satisfactio *Christi* non exercetur in materia *propria* justitiæ: *ergo. Min. Prob.* Materia propria justitiæ debet esse *utilis creditori*; *sed* nulla satisfactio est *utilis* Deo: *ergo. Resp. Neg. Min. Probationi Neg. Maj.* Nam materia propriæ justitiæ non restringitur ad *bonum* præcisè *utile*, cùm etiam se ad honorem, & *bonum honestum* extendat: sed extenditur ad omne bonum *proprium*, seu ad tale, in quo aliquis *habere possit dominium*. Non enim definitur justitia, quòd sit virtus tribuens unicuique *utile*, sed quòd sit tribuens *jus cuique suum*, unde exercentes actum justitiæ, non dicimus, *hoc tibi reddo*: quia tibi *utile*, sed quia *tuum*, aut quia tibi *debitum est*.

Objicies 3tiò: ex eo: *quòd satisfactio Christi non fuerit actus virtutis specialis.* Si satisfactio Christi esset *actus justitiæ*, esset actus virtutis specialis; *sed* satisfactio Christi non est actus virtutis specialis: *ergo* non est actus justitiæ. *Prob. Min. 1mò*: Sic se habet Christus in *satisfaciendo*, sicut se habet *in merendo*, sed ad meritum Christi non ponitur *specialis aliqua virtus* ab alijs distincta, & propterea meritum Christi non est actus virtutis specialis: *ergo* nec ad satisfactionem requiretur *virtus specialis*, ac proinde satisfactio Christi, non erit actus virtutis specialis. *2dò*: Christus satisfecit per *actus aliarum virtutum*; *ergo* satisfactio Christi fuit actus *aliarum* virtutum, & non *alicujus specialis*, & ab alijs distinctæ virtutis. *3tiò*: ratio *offensæ* contra Deum, pro qua Christus satisfecit, non constituit aliquod *speciale vitium*: ergo cùm oppositorum eadem sit ratio, *nec satisfactio* Christi pro tali offensa erit actus *virtutis specialis*. *4tò*: Quod est: *commune omnibus* virtutibus nequit esse virtutis *specialis*; *sed* constituere *æqualitatem* justiti-

ſtitiæ, ratione *infiniti valoris* fuit commune omnibus virtutum actibus: *ergo* conſtituere *æqualitatem juſtitiæ*, non erat actus virtutis ſpecialis in Chriſto. *5tò*: Si ſatisfactio Chriſti eſſet actus juſtitiæ, prout eſt virtus ſpecialis, & diſtincta ab alijs virtutibus, deberet habere *objectum ſpecificativum*, & motivum juſtitiæ prout eſt virtus ſpecialis: *ſed* non habet; *ergo*. *Prob. Min.* ſi haberet aliquod tale objectum, illud eſſet *æqualitas* reperta inter ſatisfactionem Chriſti, & debitum offenſæ, *ſed* hæc æqualitas nequit eſſe objectum *ſpecificativum*, *& motivum* juſtitiæ: *ergo*. *Prob. rurſus Min.* Hæc æqualitas eſt *ordinis divini*, utpote cauſata in genere quaſi cauſæ formalis à divinitate Perſonæ divinæ, *ſed* juſtitia utpote virtus *moralis* nequit ſpecificari ab aliquo *ordinis divini*, nam hæc eſt differentia inter virtutes *Theologicas*, *& morales*, quòd *illæ* petant ſpecificari *ab aliquo divino*, *hæ* verò ab aliquo *creato*: *ergo*. *6tò. denique*: actus, quô Chriſtus ſatisfecit, habuit rationem *ſacrificij*, *ſed* ſacrificium eſt actus elicitus *Religionis*: *ergo* ſatisfactio Chriſti non eſt actus ſpecialis *virtutis diſtinctæ* à virtute Religionis: *ergo*, &c.

37. *Reſp. ad argumentum Neg. Min. 1mæ probationi Neg. Maj.* Sicut enim in nobis eſt ſpecialis virtus *pænitentiæ*, quâ intendimus Deo *imperfectè ſatisfacere*, licèt non ſit ſpecialis virtus in nobis *ad merendum diſtincta* ab alijs virtutibus. Sic etiam in Chriſto eſt *ſpecialis virtus juſtitiæ*, ex qua intendit Deo ſatisfacere, licèt non ſit ſpecialis virtus *ad promerendum præmium*. *Ratio à priori eſt*: quia ut pro aliquo actu conſtituatur ſpecialis virtus, requiritur, ut habeat aliquam *ſpecialem difficultatem objectivam*, quam talis virtus ſuperet, ſecùs enim ejusmodi actus nec eſt, propriè loquendo, *exercitium virtutis*, nec habet e-

minen-

minentiam supra principia communia sui ordinis; unde ùt ajunt *Salmantic. num. 252.* sufficienter reducitur, *vel* ad auxilia transeuntia, *vel* ad aliquem habitum virtute inferiorem, *vel* denique ad virtutes alias per modum *exercitij secundarij.* *Atqui* actus *Theandrici* inquantum sunt *meritorij*, non habent specialem difficultatem *objectivam* ab illa, quæ occurrit *in eliciendo* illos *ex proprijs motivis* aliarum virtutum, bene autem specialem ejusmodi difficultatem objectivam important, inquantum sunt *satisfactorij* pro offensa Dei. Nam ùt sunt *meritorij* ordinantur ad aliquid *assequendum*, ùt sunt *satisfactorij* ordinantur ad aliquid *solvendum.* Primus ordo non importat distinctam difficultatem, à difficultate ab alijs virtutibus jam *superata*, bene verò secundus, solvere enim, & recompensare ex suo generali *conceptu difficultatem* importat, ùt videre est in humanis, non item: *assequi* debitum; adeoque ad difficultatem hanc superandam constituenda est in homine debitore respectu Dei *specialis* virtus, sicut in humanis constituitur respectu alterius hominis. *Ad 2dum Dist. Ant.* Satisfecit, ità ut intentionem satisfaciendi elicuerit *ex motivo aliarum* virtutum *Neg.* ut ipsam elicuerit *ex motivo justitiæ*, nempe æqualitatis ad offensam *Conc. Ant. & Neg. Conseq. Ad 3tium* imò *Neg. Conseq. Ratio est imò*: quia illa offensa non fuit injustitia *specialiter*, sed tantùm *generaliter* dicta, adeoque non fuit ratio ut constitueret vitium speciale, quale tamen constituit *injustitia specialiter dicta*, seu *per se*, & *directè* intenta. *Ratio est 2dò*; quia optimè cohæret: quòd aliqua ratio mali sit *generalis*, & tamen detur *specialis virtus ad oppositum inclinans.* Sic enim ratio *inobedientiæ* est communis *omni peccato*, & tamen ad oppositum illius datur *specialis* virtus

tus *pœnitentiæ*, licèt enim *injustitiæ generali* in omni peccato repertæ occurratur per justitiam generalem repertam *in adimpletione* præceptorum, & virtutum, quæ dicitur *satisfactio materialis*, tamen præterea ponenda est *formalis*, seu intentio satisfaciendi pro generali injustitia, qui actus est virtutis specialis justitiæ. Unde potest *responderi 2dò sic*: *Dist Conseq.* satisfactio *materialis* Christi non erit virtutis *specialis* justitiæ *Conc.* formalis *Neg. Conseq.* *Ad 4tum Dist. Min.* constituere *æqualitatem* materialiter *Conc.* formaliter ex *intentione primaria Neg.Min.* & *Conseq.* *Ad 5tum Neg. Min. probationi Neg. etiam Min.* & *hujus probationi Dist. Maj.* est ordinis divini *physicè* *Neg.* ordinis divini *moraliter*, & in ordine ad æstimationem prudentum *Conc. Maj.Dist. similiter Min.* ab aliquo ordinis divini physicè *Conc.* ordinis divini solùm *moraliter Neg. Min.* & *Conseq.* Hoc enim interest inter virtutem Theologicam, & moralem, quod virtutis Theologicæ objectum *tam* formale, *quàm* materiale primarium, seu tam objectum formale *quô*, quàm quod debeat esse aliquid *physicè*, & *entitativè* divinum. *Ad 6tum* denique: *Dist. Maj*, habuit rationem sacrificij, ùt erat *exhibitus in cultum*, & reverentiam DEI *Conc.* ùt erat exhibitus in recompensationem offensæ *Neg. Maj. Conc. Min. Dist. similiter Conseq.* & *Neg. Conseq*,

38. *Objicies 4tò*: Ex eo: *quòd licèt Christi satisfactio fuerit actus virtutis justitiæ*, *non tamen fuerit justitiæ commutativæ*. I. Satisfactio Christi fuit actus illius virtutis, cujus est *respicere bonum* commune; *sed* hæc virtus *non est* justitia *commutativa*, *sed legalis*: *ergo*. *Maj. Prob.* Satisfactio Christi fuit in bonum *commune totius* mundi: *ergo* fuit illius virtutis, cujus erat *respicere bonum commune*. II. In anima Chri-

sti

sti non reperitur *justitia commutativa*: *ergo* satisfactio Christi non fuit justitiæ commutativæ. *Prob. Ant.* Unio hypostatica *non reddit animam*, & potentias Christi *capaces* alicujus *virtutis infusæ*, cujus *alij homines* sunt incapaces; *sed* alij homines sunt incapaces justitiæ commutativæ in ordine ad Deum: *ergo. Maj. Prob. 1mò*: quia per talem unionem non est aucta potentia obedientialis animæ Christi: *ergo* mansit *ùt ante incapax* justitiæ commutativæ in ordine ad Deum. *2dò*: Subjectum *immediatum* virtutum in Christo non est suppositum divinum, sed *potentiæ*; *atqui* potentiæ in Christo, & alijs hominibus sunt *ejusdem rationis*: *ergo* potentia *rationalis* in Christo non est capax justitiæ commutativæ, sicut non est capax in alijs hominibus: *ergo*,

III. Gratia Christi in esse physico considerata, & quatenus ex ea emanant virtutes infusæ est *ejusdem speciei* cum gratia *aliorum hominum*, *sed in alijs* hominibus *non emanat* justitiam *commutativam* in ordine *ad Deum*: *ergo* nec in Christo.

IV. Inter *Patrem*, *& Filium*, *Dominum*, *& Servum* non datur justitia commutativa, quia *filius est aliquid Patris*, & servus Domini, *sed* Christus *multò magis* est aliquid DEI, cùm inter Deum, & Christum *non sit realis distinctio suppositi*: *ergo.*

V. Justitia commutativa non est nisì *inter æquales*; *atqui* Christus in *quantum satisfaciens* non erat *æqualis* Deo, quia satisfaciebat *ùt homo*, adeoque *quâ inferior*: *ergo.*

VI. Quia nec potest dici: quòd virtus elicitiva satisfactionis in Christo sit *ejusdem* speciei cum nostra justitia commutativa, *nec*: quòd *non sit ejusdem speciei* cum nostra: *ergo* absolutè non est virtus *specialis* justitiæ commutativæ.

Resp.

39. *Resp. ad I. Neg. Maj. Probationi Dist. Ant.* Fuit in bonum *commune*, ità ut hoc fuerit *per se primò intentum* à Christo *ùt satisfaciente Neg:* ut fuerit *secundariò* ab illo *ùt* tali intentum *Conc. Ant. & Neg. Conseq.* Quia satisfactio Christi quâ talis primò, & per se tendit *ad recompensandam offensam*, quæ ratio est valde diversa à ratione formali justitiæ *legalis*, quæ per se primò tendit ad *conservationem* & promotionem *boni communis.*

40. *Ad II. Neg. Ant. Probationi Dist. Maj.* non reddit capaces per *superadditionem novæ* potentiæ obedientialis *Conc.* per superadditionem novæ *conditionis essentialis* ad justitiam commutativam requisitæ *Neg. Maj.* unde etiam patet ad 1*mam* ejus *probationem* : licèt enim non fuerit aucta potentia obedientialis, *advenit* tamet *conditio essentialis* requisita ad justitiam commutativam, nempe: *æqualitas*, quæ inter Deum, & purum hominem satisfacientem implicat. *Probationi 2dæ Dist. Maj.* subjectum *quô* non est suppositum *Conc.* subjectum *quod Neg. Maj. & Conseq.* quia in *alijs* hominibus *non accedit* illa essentialis conditio *æqualitatis.*

41. *Ad III. Dist. Maj.* Est ejusdem speciei, & tamen in subjecto *inæqualis* dispositionis, & capacitatis *Conc.* æqualis dispositionis, & capacitatis *Neg. Maj. & Conc. Min. Neg. Conseq.* Cum enim *gratia sit forma accidentalis* perficit subjectum *in quo recipitur* juxta capacitatem illius, unde pro diversitate subjectorum diversas emanat virtutes; sic enim in *hominibus* emanat virtutes *moderantes passiones* non verò in Angelis ob *incapacitatem* illorum, sic in nobis emanat virtutem pœnitentiæ, *non in Christo*, in viatoribus fidem, & spem, *non in Beatis*, adeoque ob *identitatem rationis à capacitate* desumptæ, in Chri-

sto

sto emanat justitiam commutativam, non verò in nobis, sicut econtra nos reddit filios Dei *adoptivos*, non verò Christum. *Ità Gonet hic num.* 153.

Ad IV. Resp. Dist. Maj. Inter Patrem, & filium, 42.
Dominum, & servum (scilicet quâ tales) non datur justitia commutativa ùt *respiciens*, *& dirigens commutationes voluntarias*, eas nimirum, quæ fiunt, per mutuos contractus *utrinque voluntarios*, & requirunt *contra-passum*, seu *mutuam diminutionem* dominij *Conc.* non datur justitia *commutativa* ùt *respiciens* commutationes *involuntarias*, injurias scilicet non inferendas, & illatas *contra alterius voluntatem* recompensandas *Neg. Maj.* Etenim etiam inferior *quâ talis tenetur* servare *jus illæsum superioris*, & læsum reparare, adeoque, & filius & servus. *Causalis Majori adjecta non est adæquata.* Nam quòd in filio creato ad Patrem non sit justitia simpliciter, *non provenit* ex eo, quòd filius habeat *aliquid Patris in esse physico*, nam id ipsum *retinet* filius jam *emancipatus, inter quem* tamen, & patrem *datur justitia commutativa*, sed provenit ex eo, quòd filius *non emancipatus* (idem est de servo non manumisso respectu domini) non sit *sui juris*, sed totum dominium rei familiaris sit in Patre. Christus autem, licèt à Deo non distinguatur realiter *ratione suppositi*, quia tamen ratione *naturæ*, *& voluntatis humanæ* est *sui juris*, habetque *speciale dominium* super *suas operationes liberas* & vitales, inde datur inter Deum, & Christum justitia simpliciter. *Unde patet ad Min. & Conseq.*

Ad V. Dist. Maj. Justitia *commutativa* ùt dirigens 43.
actiones voluntarias. *Transeat*: ut dirigens actiones *involuntarias* debet esse inter personas *æquales subdist. si aliàs non possit haberi æqualitas* satisfactionis

pro offensa ùt contingit in Christo *Conc.* secùs *Neg. Maj.* Dixi, *transeat*, nam *Contenson Lib. IX. Dissert.* 5. C. 2. dicit: id non esse universaliter verum, eò, quod satìs sit reddere *æquale ex jure æquali*, ùt patet in subdito: qui Regi debitum, ex mutuo contractum, solvendo, ex justitia commutativa satisfacit. *Dist.* etiam *Min.* Christus in quantum satisfaciens *ùt quô* non erat æqualis Deo *Conc.* in quantum satisfaciens *ùt quod* non erat æqualis *Neg. Min. & Conseq.*

44. *Dices.* Justitia commutativa est obligatio *mutua*, *atqui* hæc non datur in Deo: *ergo.* R*esp.* *Dist. Maj.* Justitia commutativa ùt respicit commutationes *voluntarias Conc.* ùt respicit commutationes *in voluntarias* est *necessariò* mutua *Neg. Maj.* Quia reparare jus læsum, aut conservare illæsum non inducit *obligationem* in illa persona, cujus jura aut *læduntur, aut reparantur*, quia nullus tenetur *recompensare* furi, quod rem *ablatam restituat*; aut: nè aliquid auferat.

45. *Ad VI. dico*: quòd justitia commutativa Christi sit *ejusdem* speciei physicæ cùm nostra, quamvìs *purus* homo non possit per accidens illam actu exercere erga Deum ex *defectu materiæ*, & subjecti *insufficientia ità Salmanticenses.* Est contra *Gonet, Mezger, Godoy hìc* §. 6. Dixi, *physicæ*: quia in genere moris est *infinita*, sicùt aliæ virtutes in Christo, quàm moralem infinitatem non habet illa *virtus puri hominis*, adeoque *in genere moris* justitia Christi *à nostra plùs quàm specie differt.* *Ratio est*: quia utraque hæc justitia commutativa pro objecto formali, adeoque *per se* respicit *æqualitatem solutionis* cum debito, *sed*, quia Religio respicit per se cultum DEI sub *ratione primi principij*, & quia *obedientia* per se respicit honestatem ad obediendum *superiori*, tanquam suum objectum formale, & hæ rationes inveniuntur

tur tam in puro homine, quàm in Christo, *Religio*, & *obedientia* Christi sunt ejusdem speciei cum nostra Religione, & obedientia: *ergo* pariter justitia commutativa Christi erit ejusdem speciei cum nostra, quam exercemus erga alios homines, quia in utraque invenitur ratio formalis *per se* respecta, à qua unicè desumenda est differentia specifica, nempe: *intendere æqualitatem solutionis cum debito*, ità quidem, ut aliæ differentiæ ex *alijs capitibus* desumptæ purè se habeant de materiali, & *per accidens* ad virtutem commutativam, sicut se habent *aliæ* rationes, *præter colere* Deum in *Religione*, & *præter obedire* superiori in *obedientia*, purè de materiali & per accidens, ità ut non importent diversitatem essentialem specificam in virtute.

Dices. Justitia commutativa *acquisita*, & *infusa* non sunt ejusdem speciei: *ergo* nec justitia commutativa Christi, & nostra erunt ejusdem speciei. *Resp*. *Dist*. *Ant*. Non sunt ejusdem speciei, & *insuper* non sunt *ejusdem generis* & ordinis *Conc*. & sunt *ejusdem generis*, & ordinis *Neg*. *Ant*. Nam justitia *acquisita* est ordinis *naturalis*, & *infusa* est ordinis *supernaturalis*, adeoque propter fines *adæquatè diversos* plusquàm specie, imò etiam plus quàm genere, *quia toto ordine* differunt, quod non negamus, quia tantùm dicimus, quòd *intra eundem ordinem* (*vel* naturalem, *vel* supernaturalem) non dentur plures species justitiæ commutativæ, sed una sub eadem *ratione formali* diversas materias respiciens. Quòd autem suppositâ *convenientiâ in eodem ordine*, & *genere supernaturali* non distinguantur virtutes ex eo, quod una pertineat ad ordinem *hypostaticum*, & alia ad ordinem *supernaturalem communiter dictum* patet in Charitate, Religione, & obedientia Christi, &c. & sic 46.

de alijs, quæ essentialiter à nostris non differunt, quia *idem est finis totius ordinis supernaturalis*, nempe Deus sub *ratione finis ultimi supernaturalis*, quem proinde, & ordo unionis hypostaticæ, & ordo gratiæ, sicut ordo gloriæ, & ordo gratiæ respicit *sinè diversitate specifica Charitatis* in ordine gloriæ ab illa, quæ est in ordine gratiæ. Et sic præoccupata est tacita objectio.

47. *Urgebis.* Justitia *nostra* se extendit ad satisfaciendum *homini* non verò ad satisfaciendum *Deo*, *sed* justitia *Christi* se extendit ad satisfaciendum Deo; *ergo* differunt specie essentiali. *Resp.* 1mò *retorquendo*: *Religio nostra* extendit se ad cultum finiti, non verò infiniti valoris, sicut Religio Christi: *ergo* differunt specie. *Resp.* 2dò: *Dist.* 2*dam partem Maj.* non extendit se ad satisfaciendum *Deo* per accidens, & ex defectu materiæ *Conc.* per se, & ratione sui *Neg. Maj.* Nam justitia commutativa pro suo *objecto* adæquato respicit: *æqualitatem ad debitum*; & pro suo *actu adæquato* respicit *intentionem ponendi æqualitatem cum debito*, quòd autem justitia commutativa non possit *in puro homine* exercere hanc æqualitatem cum offensa Dei ex *defectu materiæ*, minimè diversificatur specie à justitia Christi: quia satisfacere *ad æqualitatem Deo, pro offensa gravi* est tantùm actus *inadæquatus*, sinè quo salvatur *habitudo specifica* ad objectum; frequenter enim contingit *defectu* alicujus *connotati*, quòd nequeat virtus elicere hos, vel illos actus *inadæquatos* circa aliqua objecta, quos tamen eliceret *positô connotatô*. Sic enim 1mò *Gratia* per modum radicis non minùs ad *omnes* virtutes infusas inclinat, quàm virtus *ad proprias operationes*, imò magìs: quia major est connexio inter *naturam & potentias*, quam inter potentias & actus, & tamen

men juxta Adversarios *defectu connotati*, *capacitatis* nimirum, in puris hominibus non radicat *commutativam*, quam radicat in Christo pro offensa Dei; *ergo* etiam licèt justitia commutativa *in puris* hominibus non possit *actum perfectæ* satisfactionis elicere, tamen *erit ejusdem* speciei cum justitia Christi, quæ ipsum elicit in Christo erga Deum. *2dò*: Sacramenta ob diversam *subjecti dispositionem*, inæqualem producunt gratiam. *3tiò Obedientia* Religiosi non se extendit ad Petrum, qui Prælatus non est, ad quem tamen se extenderet, si Prælatus esset. *4tò*: *Eadem* virtus inclinat pauperem *defectu materiæ* non potentem solvere debitum, *ad solutionem* debiti, quæ inclinat debitorem *potentem* ad illud solvendum. *5tò*: *Eadem numerò* subsistentia divina reddit naturam divinam subsistentem *infinitè*, humanam *finitè*. *Sic denique 6tò*: *idem numerò* intellectus creatus qui non potens *naturaliter* Deum intueri, fertur *supernaturaliter* in Deum ùt clarè visum: quia licèt Deus ùt clarè visus non sit intrà objectum illius *proportionatum*, est tamen intrà objectum ejus *adæquatum*, & specificativum: *ergo* etiam, licet justitia commutativa *in puro* homine non respiciat pro objecto suo *proportionato* æqualitatem cùm *jure divino* sed tantùm cum *jure alterius creato*, est tamen illa æqualitas *intrà* latitudinem sui *objecti adæquati*, nempe: sub *æqualitate debiti ùt sic*, non minùs quàm æqualitas cum jure divino, à quo objecto *adæquato solùm* desumitur *specificatio* justitiæ commutativæ *ùt sic*, specificè communis in Christo & puro homine, licèt in puro homine defectu connotati nequeat elicere satisfactionem & æqualitatem cum offensa Dei.

Replicabis 1mò. Virtutes morales, quæ sunt partes 48.
potentiales justitiæ, diversificantur specie ad diversitatem

tem *objecti cui*, ùt patet in cultu latriæ, duliæ, pietate, observantia, &c. *sed* virtus satisfactionis Christi, & *nostra* habent etiam *diversa objecta cui: ergo*. *Resp.* 1mò: *retorquendo*. Licèt respectu *diversorum hominum* ponantur plures species *virtutis colentis*, tamen respectu *omnium* hominum non est, nisì *unica justitia commutativa*, quia virtus honorans *per se* respicit personarum *excellentiam*, justitia verò *æqualitatem cum debito*, ad quam se de materiali habet personarum excellentia: *ergo* pariter, licèt respectu *Dei, & hominum* constituantur *diversæ virtutes* honorantes, scilicet: Religio, pietas, dulia, &c. non tamen erit *diversa specie* justitia commutativa, quia justitia commutativa *per se* non respicit *excessum* personarum, sed *æqualitatem rei ad rem*, inter quascunque personas versatur. *Resp.* 2dò *Dist. Maj.* Diversificantur ad diversitatem *objecti cui*, quando diversitas objecti *cui per se* refunditur in objectum formale, quod fit, quando *primò & per se intenditur* à virtute *Conc.* quando sic non refunditur, & intenditur *Neg. Maj.* Nam sic non intenditur *à justitia*, licèt sic intendatur à virtutibus honorandi, *objectum cui*.

49. *Replicabis* 2dò: Virtus inclinans ad implenda promissa Deo, & inclinans ad implenda promissa *hominibus*, specie distingvuntur: *ergo* pariter virtus inclinans ad resarciendum *jus divinum* læsum, & inclinans ad resarciendum *jus humanum* specie distingvuntur, & consequenter virtus Christi *satisfaciens Deo* non est *ejusdem* speciei, ac est virtus *nostra*, quâ satisfacimus *nobis*. *Resp. Dist. Ant.* Specie distingvuntur si *promissio* facta *Deo juramentô* firmetur, aut *votô Conc.* secùs *Neg. Ant. & Conseq.* Nam si firmetur juramentô, aut votô, tunc ejus adimpletio pertinet ad virtutem *Religionis*, quæ specie distingvitur

tur à fidelitate, quia tunc attenditur *formaliter excellentia Personæ divinæ, cui fit* promissio. Si autem promissio sit *simpliciter* facta Deo, tunc ejus *adimpletio non est* actus Religionis, nisi forsan, ipsa promissio verfetur *circa materiam Religionis*, ùt si promittat aliquem *cultum* exhibere Deo, pertinet enim *ad fidelitatem*, ad quam se habet excellentia Personæ, cui fit promissio, *materialiter*.

Replicabis 3tiò. In nobis virtus inclinans *ad satisfaciendum Deo* pro offensa, *est specie* distincta à virtute inclinante ad *satisfaciendum alijs hominibus*: *Ista* enim est virtus *justitiæ*: *illa verò pœnitentiæ*: *ergo* similiter virtus, quæ in Christo inclinat *ad satisfaciendum Deo*, erit *diversæ* speciei à virtute *inclinante nos* ad satisfaciendum *alijs hominibus*. *Resp. Dist. Ant.* Est specie distincta ex *defectu æqualitatis Conc.* ideo *præcisè*, quòd illa respiciat Deum, & ista hominem *Neg. Ant. & Conseq.* Nam si homo posset reddere æquale Deo, pro debito culpæ, non poneretur in homine *virtus pœnitentiæ* distincta à virtute justitiæ. quia pœnitentia solùm excidit ex ratione justitiæ ex defectu æqualitatis. 50.

Replicabis 4tò. Virtus illa, quâ *Christus* satisfaciebat Deo respicit *satisfactionem infinitam* in genere moris, *nostra* autem, quâ satisfacimus alteri homini *non respicit* satisfactionem in genere moris infinitam. *Item*: illa connotat offensam *Dei* hæc verò offensā irrogatam *homini*, quæ sunt diversæ rationis: *ergo* etiam virtutes illæ erunt diversæ rationis specificæ. *Resp. Neg. Conseq. Ratio est*: quia præfatæ diversitates habent se tantùm materialiter in ordine ad justitiam commutativam, quæ solùm *formaliter attendit æqualitatem* ponendam inter *satisfactionem*, & *debitum*, nihil curando *de qualitate* debiti. 51.

Repli-

52. *Replicabis 5tò.* Juſtitia quâ Chriſtus ſatisfecit, eminenter & æquivalenter continuit rationem *magnificentiæ, miſericordiæ, religionis, &c. noſtra* autem juſtitia, quâ ſatisfacimus *alijs hominibus*, non continet eminenter *alias* virtutes : *ergo* juſtitia Chriſti, & juſtitia noſtra diſtingvuntur ſpecie. *Reſp. Neg. Ant.* Quia *ſequeretur*, quòd in Chriſto non fuerit niſì *unica* virtus, ſicut in homine non datur, niſì *unica anima* rationalis, quia hæc *continet alias eminenter*. Verum quidem eſt, quòd in opere Chriſti, quô ſatisfecit, intervenerint *honeſtates plurium* virtutum, illas tamen *per ſe, & formaliter* juſtitia commutativa Chriſti *non intendit præoccupando* aliarum virtutum officia, ſed ſolùm *per ſe* intendit *æqualitatem* debiti; unde licèt tale opus quô ſatisfecit Chriſtus fuerit plurium virtutum, ipſa tamen virtus, perquam intendit ſatisfactionem, *propter æqualitatem*, eſt juſtitia *commutativa formaliter talis*, admittens in Chriſto alias virtutes etiam formaliter tales, *ex proprio* motivo in opus Theandricum influentes.

53. *Replicabis denique 6tò.* Alia eſt prudentia regulans commutativam Chriſti, & alia regulans noſtram; *ſed* ubi ſunt *diverſæ* regulæ, ſunt *diverſa regulata*, ùt patet in virtutibus *naturalibus* regulatis prudentiâ *acquiſitâ, & in virtutibus infuſis*, regulatis prudentiâ *infuſâ: ergo. Reſp. Diſt. Min.* Ubi ſunt diverſæ regulæ, quarum diverſitas *eſt per ſe exigita* à regulatis, ſunt diverſa regulata *Conc.* quarum diverſitas non eſt per ſe, & formaliter exigita à regulatis, ſed tantùm *per accidens* ſe habent ad regulatum *Neg. Min.* ſic autem *accidit* juſtitiæ commutativæ regulari *per prudentiam regnativam militarem*, aut *ordinis hypoſtatici.* Poteſt etiam *ſic Diſt. Min.* Ubi ſunt diverſæ regulæ *diverſitate formaliter* habente *in regulando* actum virtuoſum *Conc. materialiter* ſe habente *Neg. Min. & Conſeq.*

THESIS X.

Incarnationis volitæ non fuit (1.) remedium peccati unicus finis totalis. Sed sunt (2dò) plures fines totales illius, nempe: Excellentia Mysterij, quæ est finis intrinsecus totalis cum duplici fine extrinseco totali, videlicet cum omnibus utilitatibus ex Incarnatione provenientibus, tam independenter à peccato Adami, ùt est sanctificatio, & glorificatio Angelorum & hominum innocentium & perfectio universi, quàm dependenter à peccato Adami, qualis utilitas, fuit remedium peccati. Est contra Thomistas, Amicum, & Alios.

PRob. 1ma pars 1mò. *Ratione desumpta ex D. Thoma.* Ex eo: *quòd repugnet, ut ordinatè volens, aliquid velit præcisè propter vilius se. Si remedium peccati* esset unicus, & talis *finis qui* Incarnationis, *excellentia* Incarnationis intrinseca fuisset permodum *puri medij volita*, & ordinata ad hunc finem remedij peccati obtinendum, tanquam ad *finem principalem*, & consequenter nostra redemptio passiva esset id, à quo *Incarnatio aliquam bonitatem* participaret. *Atqui* hoc repugnat: *ergo. Maj. patet. Min. prob.* Repugnat ut ordinatè volens velit aliquid permodum *puri medij* propter *vilius se* tanquam propter *finem principalem*, *sed excellentia* Incarnationis est *dignior* quàm nostra redemptio, & justificatio *passiva*, adeòque quàm *remedium peccati* passivè acceptum, quia constituit altissimum inter omnes possibiles creatos ordines, *ordinem unionis hypostaticæ*, quem *non antecedit* nisi ordo *increatus divinæ identitatis*; *ergo* repu- 1.

gnat, ut excellentia Incarnationis *intrinseca* permodum *puri* medij respiciat remedium peccati *passivè acceptum* tanquam *unicum finem, & principalem,* sicut repugnat Deo ut velit nobis gloriam permodum puri medij propter gratiam, aut gratiam propter *naturam*, tanquam propter unicum finem totalem principalem. *Min. & Conseq. patet. Maj. verò, in qua est difficultas docetur à D. Thoma in 2dum distinct. 15. Quæst. 1. art. 1.* ubi ità. dicendum: *quòd aliquid possit esse propter aliud dupliciter, aut quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium, & principalem, & sic inconveniens est dicere, quòd aliquid sit propter vilius se, ut luna, & stella propter noctuas, & vespertiliones, cùm finis potior sit his, quæ sunt ad finem: Aliô modô potest dici aliquid esse propter aliud cui ex ipso provenit aliqua utilitas eô modô, quô Rex dicitur esse propter rusticum, ex cujus regimine provenit ei pax, & hoc modô utilitates, quæ proveniunt ex corporibus cœlestibus sunt à Deo intentæ propter corpora inferiora.* Ità S. Thomas. Unde sic: inconveniens est, ut aliquid sit propter *vilius* se tanquam propter *finem principalem,* finis enim est potior his, quæ sunt ad finem: *ergo* etiam *ordinatè* volenti inconveniens, imò impossibile est, ut velit aliquid *propter vilius se,* tanquam propter *finem principalem*, quia aliàs eô ipso non ordinatè vellet, quia *contra ordinem naturæ*, & providentiæ divinæ vellet, quando ordinaret id, quod perfectione *potius est*, *ad participandam* perfectionem à fine, qui *non est* perfectione *potior. Subsumo: atqui* Deus est ordinatissimè, & summè conformiter ad suam *providentiam* volens, & ordinans omnia: *ergo* implicat, ut velit, & ordinet excellentiam Incarnationis intrinsecam permodum puri medij ad remedium peccati, tanquam *ad unicum finem totalem, & principalem*, quia ordi-

ordinaret illam *ad vilius* ſe, adeoque ad talem finem principalem, qui *non eſſet potior his, quæ ſunt ad finem.* 2°

Confirmatur 1mò. Repugnat ut objectum creatum quod *melius eſt, minùs* ametur à Deo, hæc enim ipſa *major bonitas* objecti creati, *eſt à majori amore Dei,* quia hic eſt *cauſa*, & menſura omni bonitatis, unde quemcunque gradum bonitatis obtinet aliqua res in ſe, ut comparata ad alias res, eundem tenet *in proportionali quantitate amoris divini ùt communicantis ad extra* omnem bonitatem: *Atqui* excellentia Incarnationis ſecundùm ſe, *eſt melius* objectum creatum, *quàm* ſit *remedium peccati: ergo* repugnat, ut excellentia Incarnationis *minùs ametur*, quàm remedium peccati; *atqui* medium qua tale ſemper minùs amatur, quàm finis quâ talis, quia, ùt bene notat *Eſparza hìc Quæſt. 13. medium quâ tale* non amatur *ratione ſui*, & propter ſe, ſed in gratiam *alterius*, ſcilicet *propter finem, propter quod autem unum quodque tale, & illud magis: ergo* repugnat, ut excellentia Incarnationis ſit permodum *puri* medij ad obtinendum remedium peccati. *Unde Matth. 3. ℣. 17.* dicitur: *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, dilectione ſcilicet Paternâ, quæ eſt affectus in unoquoque maximus ex *natura rei* infra eum, quô Deum, & poſt Deum ſe, quisque proſequitur.

Confirmatur 2dò. In finibus *ſubordinatis* fini ſimpliciter ultimo, intentio rectè operantis ſaltèm *ratione noſtrâ*, ſemper fertur *priùs, ac principaliùs* in fines qui ſunt *propinquiores fini ultimo*, quia ſunt meliores. *Atqui intrinſeca excellentia* Incarnationis eſt *propinquior fini* ſimpliciter *ultimo*, quàm ſalus, & redemptio noſtra: *ergo* intentio Dei operantis *ad extra priùs*, ratione noſtra fuit terminata ad excellentiam Chriſti, *quàm ad remedium peccati: ergo* priùs, 3°

& *principaliùs* fuit Christus volitus *propter suam intrinsecam excellentiam*, quàm *propter remedium* peccati: *ergo* hæc non fuit unicus totalis, & principalis finis Incarnationis volitæ.

4. *Confirmatur 3tiò*: Ea, in quibus Deus *specialiori modô* existit, sunt finis eorum, in quibus Deus modô tam speciali non existit, hinc quia Deus *specialiori modô* existit per gratiam in justis, & electis, inferunt Theologi omnia entia *naturalia esse propter electos*: Et quia in *Venerabili Sacramento* specialiter existit Deus ùt *Author gratiæ*, inferunt: *Eucharistiam esse finem omnium sacramentorum. Atqui* in Christo existit modô *specialissimâ*, per unionem scilicet hypostaticam, qualiter in *nulla alia* creatura existit; *ergo* habet rationem finis, non verò *purè* rationem medij respectu remedij peccati.

5. *Confirmatur denique 4tò*: Majus bonum est *Incarnatio Verbi*, quàm totum *Universum*, etiam ut includit *totum esse supernaturale gratiæ, & gloriæ*. Includit enim *bonum increatum*: *ergo* non debuit peccato non existente, tantô bonô Universum privari, nam perseverante statu innocentiæ universum *non debuit esse* imperfectius: *ergo* Incarnatio non fuit *unicè* intenta propter remedium peccati essentialiter præsupponens peccatum.

6. *Prob. 2dò*: Ex eo: *quòd prædestinatio Christi præcesserit ratione nostra permissionem peccati*. Unde sic cum *Suaretz hìc Disput. 5. sect. 2. Quæst. 1.* Christus fuit causa *exemplaris* omnium prædestinatorum, & electorum ad gloriam, utì patet ex Apostolo *ad Rom. 8. v. 29. Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Item: fuit causa *finalis omnium* creaturarum, adeóque etiam prædestinationis nostræ ùt *con-*

stat

stat ad Ephes. 1. v. 5. Quia prædestinavit nos per JEsum Christum, in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ. Ubi *duplex* insinuatur causa in Christo, ly *per JEsum Christum*: indicat causam *meritoriam*, & ly *in ipsum*, *causam finalem*. Jam *subsumo 1mò*: *atqui* prædestinatio ad gloriam est prior *permissione peccati*, permissio peccati est *effectus* prædestinationis, utì *vidimus De Deo uno Thesi XV. ergo* Christus, qui in genere causæ *finalis*, *& exemplaris est prior* prædestinatione Adami, & omnium electorum, *à potiori est prior permissione* peccati: *Quod enim est priùs causa, est etiam priùs effectu hujus causæ. Hinc subsumo 2dò. Atqui* sapientissimus modus volendi est, ut *ex fine intento* eligantur media, potiùs quàm ut ex *occasione* medij occurrentis intendatur finis: *ergo* dicendum est: sapientissimum Deum non *unicè* ideo intendisse Christum, quia *permisit* peccatum, sed potiùs *ideo* permisisse peccatum, ut ex illo *occasionem sumeret* optimô modô exequendi Incarnationem intentam: *ergo* Christus non fuit intentus ante permissionem peccati, & consequenter non fuit præcisè intentus propter remedium.

Confirmatur 1mò: Nullius puri hominis prædestinationem præcessit peccatum ejusdem, vel alterius hominis: *ergo* nec prædestinationem Christi peccatum nostrum: *ergo* &c. 7.

Confirmatur 2dò: *Nulla* prædestinatio puri hominis quoad totum esse supernaturale fit *dependenter à merito ipsius, ùt iterum patet ex citata Thesi XV. De Deo uno*: *ergo* nec prædestinatio Christi facta est dependenter à merito ipsius. *Subsumo. Atqui* si Christus prædestinatus esset *præcisè* propter remedium peccati, prædestinatus esset *dependenter ab ipsius merito*, scilicet ex voluntate *redimendi hominem* à peccato, 8.

cato, quæ voluntas ſinè dubio eſt meritoria in Chriſto; *ergo* non fuit *præcisè* prædeſtinatus propter remedium peccati; *ergo*, &c.

9. *Prob. 3tiò prima pars Theſis.* Ex eo; *quòd nullum detur bonum in univerſo præter intentionem Dei.* Unde ſic cum *Eſparza citato*: Nullum datur bonum in univerſo, quod ſit *præter* intentionem Dei: *ergo* Deus præter bonitatem, & excellentiam intrinſecam Incarnationis intendit omnia, quæ ex illa proveniunt: *Atqui* ex Incarnatione *non tantùm* provenit bonum redemptionis noſtræ; *ergo* Deus non intendit *ſolum bonum redemptionis* noſtræ, ſeu remedium peccati tanquam unicum totalem, & principalem finem Incarnationis volitæ. *Ant. conſtat*: Quia reſpectu Dei *nihil evenit caſu*, & præter intentionem, cùm omnia, & ſingula *ordinet* per ſuam *perfectiſſimam providentiam* ad determinatos fines, itá ut nihil prætergredi poſſit *limites poſitos à providentia*, & intentione beneficâ Dei; *ſubſumpt. etiam patet.* Quia ex Incarnatione provenit 1*mò* gloria Dei *extrinſeca.* 2*dò*: Sanctificatio, & glorificatio *tum* Angelorum, *tum* primorum parentum *adhuc innocentium.* 3*tiò*: *Denique* perfectio univerſi: *ergo* remedium peccati non eſt bonitas unicè intenta permodum *finis totalis*, & principalis *qui*, nec genus humanum ùt *redimendum* fuit unicus finis totalis *cui*, quia etiam fuit intentum ùt glorificandum &c. *ergo* &c.

10. *Confirmatur* 1*mò*. Ad remedium, ſeu excluſionem peccati ſufficit quilibet *minimus gradus gratiæ* ex Incarnatione autem redundat in homine *abundantia* gratiæ ſanctificantis juxta illud *Joannis 10mò.* *Ego veni ut vitam habeant* (quæ non habetur ſinè remedio, ſeu excluſione peccati) *& abundantiùs habeant*, quod certò aliquid ſuperaddit *ultra neceſſarium*

rium remedium peccati: *ergo* illa *abundantia* & excessus gratiæ est *etiam finis* Incarnationis *extrinsecus*, adeoque non *sola* gratia medicinalis, quatenùs *præcisè* fuit *necessaria*, & *sufficiens* ad remedendum peccato, & proinde nec remedium peccati fuit unicus finis totalis, & principalis Incarnationis volitæ.

Confirmatur 2dò. In ipso remedio peccati *duo* sunt considerandà, *nimirum*: terminus *à quo*, seu malum *quod excluditur*, & terminus *ad quem*, seu bonum, quod *inducitur* per tale remedium: *Atqui inductio boni* est formaliter loquendo *melior*, quàm *exclusio mali*, quia exclusio, seu fuga, & odium mali fundatur in amore, & prosecutione boni; non verò econtra, *bonum* enim est appetibile *secundùm* se, tametsi *nullum præcedat malum excludendum* per introductionem boni; *malum* verò *non excluditur* nisì in gratiam boni inducendi, sic enim appetitur sanitas corporis & gratia animæ, licèt *nulla præcesserit* ægritudo, aut peccatum expellendum: *non verò* expelluntur hæc mala, nisì in gratiam alterius boni scilicet inducendi, & per hæc mala impediti. *Ergo* inductio boni, id est: gratiæ secundùm suum *positivum* sanctificationis effectum considerata est *melior*, adeoque citiùs *amata*, quàm *ùt est remedium* peccati. Tum, quia secundùm primam considerationem movet *per se*, id autem magìs movet ad amorem, quod movet *ratione* sui, quàm ratione *alterius*. Tum, quia bonitas hæc *ùt sic* considerata, consideratur secundùm effectum *positivum*, secundùm *alteram* autem considerationem consideratur secundùm suum effectum, & perfectionem *negativam*, negativa autem sunt *posteriora* positivis, quia ùt dixi, *fundantur* in illis, sicut relativa in absolutis: *ergo* cùm magìs, 11.

gis, & citiùs movens sit melius, inductio boni, scilicet gratiæ, erit citiùs amata, quam expulsio peccati; *ergo, &c*,

12. *Prob. 2da pars Thesis.* Ex eo: *quod Adamo adhuc innocenti fuerit Incarnatio revelata.* Adamo in statu innocentiæ fuit futura Incarnatio revelata *propter aliquem finem* extrinsecum, utì *docent communiter Theologi omnes cum S. Thoma hic Quæst. 1. Art. 3. & 2dâ 2dæ Quæst. 2. art. 7.* in sopore illo, quem Deus immisit *Gen, 2. v. 11.* à quo excitatus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis. Atqui* sic revelata illi Incarnatione debuit etiam Adamo revelari aliquis finis *totalis*, extrinsecus Incarnationis: *ergo* fuit etiam ipsi revelatus aliquis finis totalis extrinsecus Incarnationis. *Subsumo. Atqui* Adamo adhuc innocenti non potuit finis totalis extrinsecus Incarnationis revelari qui fuisset *dependens* à peccato: *ergo* pro fine *totali* Incarnationis *extrinseco* debuit ipsi revelari *aliquid* aliud, quam remedium peccati, quia hoc est *dependens* à peccato: *ergo* debuit illi revelari *sanctificatiò*, & glorificatio hominum, adhuc innocentium, & Angelorum; *ergo, &c. ergo* cùm post lapsum Adami ei revelata fuerit futura Incarnatio *propter* remedium peccati, tanquam propter *finem totalem extrinsecum*, & dependentem à peccato, jam eô ipso Incarnatio habuit *præter* finem *intrinsecum* suæ excellentiæ *plures fines totales* extrinsecos. *Maj. argumenti constat ex Authoritate; Min. verò Prob.* Quia, si nullus finis Incarnationis revelatæ propter finem extrinsecum fuisset *specificè, & determinatè* revelatus Adamo innocenti, fuisset Adamus in statu *innocentiæ* obnoxius *tristitiæ*, & anxietati, quia qui *cognitô effectu* ignorat ejus *causam in specie*, propter *innatum* sciendi desiderium tristatur, *ùt docet*

S. Tho-

S. *Thomas*. *Atqui* in statu innocentiæ non fuit locus tristitiæ, *ùt fatentur Adversarij*; *ergo* in illo statu fuit revelatus Adamo determinatè *aliquis* finis totalis extrinsecus Incarnationis. *Prob. nunc subsumptum 1mò*: Si fuisset Adamo revelatus finis totalis extrinsecus *dependens ab ipsius peccato*, nempe: *redemptio*; fuisset ipsi etiam revelatum peccatum, adeoque *præcognovisset se peccatorum*; *atqui* hæc *præcognitio* fuisset Adamo adhuc innocenti *causa* tristitiæ, & anxietatis *repugnantis* in statu innocentiæ: *ergo* fuit illi tunc revelatus *alius finis extrinsecus independens* à peccato Adami, nempe: Angelorum, & hominum innocentium *sanctificatio, & & glorificatio*. *Prob. subsumptum 2dò*; si Deus decrevisset Incarnationem futuram, *quia prævidit* Adami peccatum, debuisset Deus *decernere* Incarnationem, quia prævidit Adamum amisisse *omnem gratiam habitualem*, quam acceperat, & *sinè* meritis, qualis erat *prima*, & illam, quam accepit *ex merito* actûs fidei, quô credidit Incarnationem futuram; *sed* hoc implicat, quia aliàs decrevisset Deus Incarnationem per Decretum *jam supponens fidem Christi venturi*, consequenter *supponens* Decretum *efficax* Christi venturi, quod est implicatorium: *ergo*. *Prob. subsumptum denique 3tiò*. Si revelatio Incarnationis *supponit peccatum* Adami ùt absolutè futurum: *ergo* gratia acquisita per illum meritorium actum fidei *etiam supponit* tale peccatum, *sed* hoc implicat: nam gratia illa est *destructa per* peccatum: *ergo* implicat: ut gratia *ante suum esse* supponat peccatum: *ergo* nec Incarnatio revelata Adamo potuit supponere peccatum.

Confirmatur hoc totum argumentum. Juxta *D. Thomam 2dâ 2dæ Quæst. 2. art. 2. in Corpore*. Adamus in 13.

 statu

ſtatu innocentiæ fide Divina credidit ſe conſecuturum beatitudinem *per merita Chriſti* etiam ſi in ſtatu innocentiæ *permaneret*: *ergo* credidit fide divina Chriſtum *venturum* fuiſſe etiamſi *non peccaſſet*; *ergo* fuit præter remedium peccati alius totalis finis *extrinſecus* Incarnationis. *Conſeq. patet. Prob. Ant. ex S. Thoma 2dæ 2dæ Quæſt. 2. art. 7. in Corpore docente: Viam hominibus veniendi ad beatitudinem ſemper fuiſſe myſterium Incarnationis, & ideo etiam ante ſtatum peccati, hominem habuiſſe explicitam fidem de Chriſti Incarnatione, ſecundùm quod ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non verò ſecundùm quod ordinabatur ad liberationem à peccato per paſſionem, & Reſurrectionem, quia homo non fuit præſcius peccati futuri. Ergo* ante ſtatum peccati, conſummatio gloriæ, adeóque, & *collatio* gratiæ, quæ eſt *ſemen gloriæ* fuit *finis adequatus* extrinſecus Incarnationis *independenter* à peccato. *Atqui*, ùt ex tot ſcripturis patet, etiam utilitates illæ, quæ *ſupponunt* peccatum, ut eſt *remedium* peccati, fuerunt *adæquatus extrinſecus* finis Incarnationis; *ergo* fuerunt *plures* fines totales, & extrinſeci Incarnationis volitæ.

14. *Prob. 2dò.* Ex eo: *quòd perfectiùs ſit operari ex pluribus finibus totalibus, quàm non ſic operari.* Unde ſic cum Suario *hîc Diſput. 5. ſect. 4. perfectiùs* eſt operari *propter* plures fines, *ùt totales*, quàm *partiales* tantùm. Sic ſi quis jejunet non tantùm propter finem *intrinſecum* jejunij, & temperantiæ, ſed etiam propter finem *extrinſecum* pœnitentiæ, eleemoſinæ, juſtitiæ, &c. *perfectiùs* operatur, ſi hos ſingulos fines intendat tanquam motiva *totalia* (id eſt: ſi ità eſt conſtitutus, ut propter *quemlibet* eorum ſeorſim, etiamſi *reliqui abeſſent*, vellet tamen jejunare) quàm ſi intendat illos *ùt partiales* tantùm, ſeu ità ut ſingulos

gulos ex his existimet *non esse sufficientes*: *ergo* etiam perfectiùs operaretur Deus si Incarnationem ordinaret etiam ad illas utilitates tanquam ad finem *totalem*, quæ non dependent à peccato. *ergo* (cùm ex scripturis aliud non constet, & aliunde quidquid *meliùs occurrerit*, Deum in hocce *mysterio fecisse* dicendum sit) Deus *defactò* ordinavit Incarnationem ad plures fines totales.

§. I.

Objectiones contra utramque partem Thesis.

OBjicies *1mò*. Ex eo: *quòd alij fines*, *præter remedium peccati nobis non innotescant ex scripturis.* 15.
Ea, quæ sunt facti, & ex *sola* Dei voluntate proveniunt *supra omne* debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisì per sacram scripturam, per quam divina voluntas *nobis* innotescit. *Atqui* in sacra scriptura *solum* remedium peccati exprimitur *tanquam finis*, & motivum Incarnationis: *ergo*. *Prob. Min.* Ex plurimis sacræ scripturæ textibus hiscè duobus: sic enim *Lucæ 5. v. 32.* dicitur: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Et *1mâ ad Timoth. 1. v. 15. Christus JESUS venit in mundum peccatores salvos facere: ergo &c.* *Resp. Dist. Maj.* Innotescere non possunt, nisì per scripturam *vel formaliter*, & explicitè, vel virtualiter, & *implicitè* nobis ea revelantem *Conc.* nisì per scripturam nobis ea *formaliter*, & explicitè revelantem *Neg. Maj.* Et permissâ, *in sensu distinctionis*; *Min. Neg. Conseq.* Quamvìs enim *non formaliter*, & explicitè, seu in terminis formalibus *alij fines* extrinseci Incarnationis in scripturis ponantur, tamen *formaliter* im-

implicitè continentur in *explicitè revelatis*, & ex illis per *conclusionem Theologicam* facilè evolvuntur: *v. g.* sic: Ex scripturis constat: *Christum fuisse prædestinatum tanquam caput hominum, & Angelorum ad Coloss. imò. v. 15. tanquam exemplar omnium prædestinatorum: ad Rom. 8. ad Ephes. imò & tanquam finem omnium* creaturarum. *ad Heb. 2. v. 10. Atqui* esse caput hominum, & Angelorum, quantùm *ad sanctificationem*, esse *exemplar omnium* prædestinatorum, quantùm *ad glorificationem*, & esse *finem omnis* creaturæ, quantùm *ad perfectionem totius* universi, sunt utilitates, adeoque fines *extrinseci* Incarnationis *independenter* à peccato; *ergo* cùm *in alijs* sacræ scripturæ textibus *explicitè* sit etiam revelata utilitas, & finis extrinsecus dependens à peccato, nempe: *remedium peccati*, sequitur: Incarnationem fuisse volitam *propter plures* illos fines totales extrinsecos Ad allegatos textus in probatione *Minoris* dico: illos intelligendos esse in sensu *præcisivo*, non verò *exclusivo*, licèt enim dicant Christum venisse *propter redemptionem nostram*, nullibi tamen dicunt, quòd propter *nullum aliud motivum* venerit. Neque textus ille *Lucæ 5.* sincerè, & integrè refertur ab adversarijs, quia omittunt, ly *ad pœnitentiam*; unde si integrè sic proponatur: *non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam*, optimè subsistit, licèt finis extrinsecus Incarnationis fuerit non tantùm sanctificatio peccatorum, qui *soli ad pœnitentiam* vocari possunt, non autem justi, sed etiam sanctificatio, & glorificatio hominum innocentium, & Angelorum. *Cæterùm* non fuit necesse in scripturis *explicitè* poni *Excellentiam* Incarnationis, seu finem *intrinsecum* ipsius, quia hic, cùm sit *finis operis*, & *cuicunque* fini extrinseco seu *fini*

operan-

operantis, & prudenter ordinantis Incarnationem ad utilitatem aliquam extrinsecam, necessariò præsuppositus, *sufficienter* ex fine *extrinseco efficaciter* volito, arguitur & manifestatur. Finem verò *extrinsecum*, *seu operantis* oportuit exponi in scripturis, quia hic aliunde innotescere non potest.

Dices 1mò. *S. Augustinus serm.* 8. *de Verbis Apostolorum dicit: nulla* causa veniendi fuit Christo Domino nisi *peccatores salvos facere. Et S. Clemens lib.* 1. *constitutionum Apostolicarum Cap.* 7. *ait. salvator noster non ob aliam causam venit, nisi ut salvaret: ergo SS. PP.* loqvuntur *exclusivè* ad alium finem extrinsecum. *Resp. explicando Ant.* 1mò *sic: nulla* causa veniendi fuit, & non ob aliam causam venit *in carne passibili Conc.* veniendi *simpliciter Neg. Ant. & conseq*, 2dò: Sic: *nulla* causa veniendi fuit, & non ob aliam causam venit *respiciendo* genus humanum *ùt lapsum Conc.* non respiciendo genus humanum ùt lapsum *Neg. Ant. & Conseq.* 16.

Dices 2dò. Textus scripturæ docentes Christum esse *primogenitum omnis creaturæ*, *esse caput hominum*, *& Angelorum*, *&c. vel* sunt intelligendi de *sola* divinitate Christi, *vel* si intelligantur de humanitate Christi, dicunt Christum primogenitum *omnis* creaturæ &c. *prioritate dignitatis*, non verò *prioritate naturæ: ergo* ex scriptutis non probatur *aliud motivum* Incarnationis *volitæ*, quàm remedium peccati. *Resp. Neg. Ant.* Tum, quia Christus *quâ DEUS*, non est *primogenitus*, sed *unigenitus*. Tum, quia, ùt ex *textibus scripturæ & rationibus nostris* patet, Christus est causa *exemplaris*, *& finalis omnium* prædestinatorum, *& omnium* operum divinorum, adeoque est *prior omnibus* creaturis non modò *dignitate* sed etiam *causalitate*, & naturâ. 17.

18. *Objicies 2dò.* Ex eo; *quòd reliqui fines includantur in remedio peccati. Justificatio, glorificatio, perfectio* universi *includitur* in redemptione nostra: *ergo sola* redemptio *includens hos alios* fines est *unicus*, & adæquatus finis extrinsecus Incarnationis. *Prob. Ant.* Per gratiam remissivam peccati non tantùm *desinimus* esse peccatores, sed etiam *justificamur*, & glorificamur, saltèm *radicaliter*, in quantum illa gratia habet *indivisim* sibi *annexum jus* ad gloriam, *perficitur* etiam per illam tanquam per speciale ornamentum *totum universum: ergo. Resp. Dist. Ant. Aliqua* justificatio (idem est de glorificatione radicali, & de perfectione universi) scilicet *hominis lapsi, includitur* in redemptione nostra *Conc. omnis* justificatio, glorificatio radicalis, & perfectio universi prout *præscindit* ab homine lapso, *includitur* in redemptione nostra *Neg. Ant. & Conseq.* Licèt enim remissio peccati sit simul realiter, vel concomitanter *justificatio, & glorificatio* nostra saltèm radicalis: Justificatio tamen, & glorificatio Angelorum, & hominum innocentium, & perfectio universi, út *non constituti ex peccatoribus*, non fuit *redemptio* nostra: ergo. &c.

19. *Objicies 3tiò* Ex eo: *quòd præstantissimò (quale post Trinitatem est Incarnatio) mysterio, conveniat ordinari ad finem præstantissimum.* Remedium peccati, est finis præstantissimus; *Atqui* finis Incarnationis, utpote Mysterij præstantissimi, *debet* esse finis *præstantissimus: ergo* remedium peccati *est unicus*, & adæquatus finis Incarnationis. *Maj. prob. 1mò.* Quia remedium peccati fit per dona gratiæ, & gloriæ; sed hæc sunt præstantissima *inter purè* creata: *ergo. 2dò.* Quia remedium peccati est remedium maximi mali, utpote pervadentis totum genus humanum; *sed* reme-

remedium *maximi* mali, *est maximè bonum, ergo.* 3tiò. Quia remedium peccati *supponit maximum* impedimentum donorum gratiæ, & gloriæ, ideoque *est difficillimum*, quia reliqua omnia opera facit Deus, *vel* præexistente dispositione in subjecto, *vel* certè *nulla præexistente indispositione*, & impedimento in illo: *sed* quò difficilius est opus, eò est præstantius magisq; commendat virtutem sui principij: *ergo* cùm remedium peccati sit difficillimum, est præstantissimum, ac subinde finis præstantissimus: *ergo* &c. *Resp. Dist. Maj.* Remedium peccati est finis *præstantissimus* inter fines *extrinsecos*, *& purè creatos* Transf. *præstantiùs* enim est *esse ampliùs*, quàm *nonam aliùs inimicum Dei.* Inter fines extrinsecos, & intrinsecum *simul Neg. Maj.* Quia intrinsecus præstat omnibus extrinsecis finibus Incarnationis volitæ, *Dist. similiter Min. & Neg. Conseq.*

Dices. Implicant duæ causæ *totales* respectu *ejusdem effectûs*: *ergo* implicat, ut præter finem præstantissimum redemptionis, detur alius finis Incarnationis verbi divini. *Resp. Dist. Ant.* Implicant duæ causæ totales *efficientes*, *materiales*, *& formales* respectu ejusdem effectus *Conc.* implicant duæ causæ *finales subdist.* respectu ejusdem effectus *interni*, nempe, ut eadem volitio dependeat à duobus finibus, tanquam *duplici motivo totali Conc.* respectu ejusdem effectûs *externi v. g.* ambulationis *Neg. Ant. & Conseq. Ratio disparitatis est*: quia *internus effectus*, seu volitio *specificatur à motivo*, seu fine totali, adeóque *mutato* fine *mutatur* ejusmodi effectus *in specie*, *& essentia* sua, quod repugnat, quia essentiæ sunt immutabiles. Effectus autem *externus v. g.* ambulatio *non* specificatur *à motivo*, seu fine totali, adeóque multiplicato, aut mutato suo fine totali non mutatur essentialiter; *ergo.* 20.

Re-

21. *Replicabis.* Effectus *externus* non poteſt procedere à duobus cauſis *efficientibus*, licèt ab illis *non ſpecificetur*: *ergo* nec poterit procedere à duabus cauſis *finalibus* ſibi *æquè extrinſecis*. *Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt 1mò.* Quia effectus externus ad illos fines extrinſecos non comparatur tanquam *effectus ſimpliciter* ad ſuas cauſas, ità ut ab illis accipiat ſuum *eſſe ſimpliciter*, ſed potius comparatur ad illos fines extrinſecos tanquam *cauſa ad ſuos effectus* dans cuivis *ſuum eſſe ſimpliciter*. Poteſt autem *una* cauſa *pluribus effectibus* dare ſuum eſſe ſimpliciter: *ergo. Diſparitas eſt 2dò.* Quia cùm cauſæ efficientes *eundem omnino* importent effectum, important *ſuperfluitatem*, quam horret natura; cauſæ verò *finales*, cùm actui externo ſuperaddant *novam*, & *diverſam* honeſtatem, non ſunt ſuperfluæ: *ergo*.

22. *Urgebis.* Deus poterat *unico indiviſibili decreto* ſimul velle *omnes fines* extrinſecos permodum *unius* motivi adæquati: *ergo* poterat eſſe unicus finis totalis extrinſecus. *Reſp. de poſſibili Conc.* totum. *Defacto* autem Deum ordinâſſe Incarnationem *ad plures* fines totales extrinſecos patet ex revelatione facta Adamo innocenti de futura Incarnatione propter aliquem finem *totalem* extrinſecum, qui non potuit fuiſſe remedium peccati ſinè eo, quin Adamus innocens fuiſſet contriſtatus.

23. *Inſtabis.* Redemptio, ſeu remedium peccati Adamo non fuit, *nec potuit* eſſe cauſa triſtitiæ, quia eſt bona, & deſtructiva mali, ac proinde potius ipſi *fuit cauſa lætitiæ*: *ergo* nec revelatio remedij peccati Adamo innocenti facta fuit cauſa triſtitiæ. *Reſp. 1mò. Conc. totum.* Nec enim *redemptio*, nec *revelatio* redemptionis fuit cauſa triſtitiæ, ſed peccatum *unà revelatum* fuiſſet cauſa triſtitiæ, quia malum,

lum, cujus *revelatio* non est ejusdem *ablatio*, sed tantùm *manifestatio*, & conditio ut illud fiat *intentionaliter præsens*, adeoque plurimùm faciens ad tristitiam. Unde sicut *pœnitens amat* pœnitere, non autem amat, sed *odit* peccare, licet *bonitas* pœnitentiæ *occasionetur* à peccato, ità etiam Adamus propter revelatam redemptionem *ablativam mali lætatus* fuisset, *contristatus* autem propter *peccatum*, licèt peccatum fuisset *occasio* boni, & lætitiæ illius occasionatæ, etenim connexa non semper sunt capacia *ejusdem*, sed *nonnunquam* solùm sunt capacia *oppositæ* denominationis: sic enim rursus *amabilis* est *virtus justitiæ* vindicativa, sed *odibilis culpa* per ipsam vindicanda. Hinc in forma *Resp. 2dò Dist. Ant.* Non fuit, nec esse potuit Adamo causa tristitiæ *immediatè*, & formaliter ratione sui *Conc.* ratione peccati præsuppositi, cum quo est redemptio *essentialiter* connexa *Neg. Ant. & Conseq.*

Objicies 4tò. Ex eo: *quòd Christus non potuerit esse* 24.
causa meritoria gratiæ ante prævisionem peccati. Gratia Angelorum & Adami non potuit esse ex meritis Christi: *ergo* nec sanctificatio Angelorum fuit finis *qui* totalis extrinsecus, nec Angeli & Adamus innocens fuit finis *cui* extrinsecus, adeoque solum genus humanum ùt *redimendum* fuit unicus, & adæquatus finis *cui* extrinsecus Incarnationis, & per consequens Christus venit solùm propter nos redimendos, seu propter remedium peccati *ùt nobis conferendum.* *Prob. Ant. Ante* permissum, & absolutè prævisum peccatum Adami, non fuit volita Incarnatio secundùm *omnem* modum, & *particulares circumstantias* existendi v. g. in carne passibili, in hoc loco, & tempore, ab hac Matre, &c. *ergo ante* peccatum Adæ non potuit Christus prævideri *ùt abso-*

Tt *lutè*

lutè existens, cùm non possit absolutè existere, nisi in *determinata* carne, & *determinato* tempore, loco, Matre; *ergo ante* peccatum Adami non potuit etiam prævideri Christus, *ùt absolutè merens* primam gratiam Angelorum, & hominum, nemo enim meretur, nisì *absolutè existens*: *ergo*. *Resp*. *Neg*. *Ant*. Probationi *Dist*. *ultimum Conseq*. *ergo ante* peccatum Adæ non potuit Christus prævideri *in ordine executionis* ùt absolutè merens *Conc*. *in ordine intentionis Neg*. *Conseq*. licèt *ergo* Christus ante peccatum Adami non fuerit prævisus *ùt actu*, & in ordine *executionis* merens primam gratiam Angelorum & hominum, potuit tamen Christus *ante* peccatum Adæ *absolutè* prævisum, efficaciter & *absolutè intendi* tanquam causâ meritoria primæ gratiæ Angelorum, & hominum adhuc innocentium, quia ante ejusmodi efficacem intentionem non requiritur *scientia visionis* de actuali existentia Christi, & meritorum illius, sed sufficit *sola scientia media* de infallibili meritorum futuritione *conditionata*, deinde verò in ordine *executionis*, ùt à parte rei actu, & executivè detur prima gratia Angelo, & homini ex meritis Christi, necessaria *est scientia visionis* de absoluta existentia Christi, & meritorum illius, & talem *scientiam visionis* habuit etiam Deus *antequam executivè* daret primam gratiam Angelo, & homini. Ac proinde nè Adversarij ordinem intentionis, & executionis circa mysterium Incarnationis ulteriùs confundant, & aliorum argumentorum solutio evadat clarior: sit

§. 2.

§. 2.

Ordo Decretorum Divinorum quoad Incarnationem tum in ordine intentionis, tum in ordine executionis volitam.

IN ordine *intentionis*, seu in genere causæ *finalis* respectu Incarnationis volitæ, hoc ordine disponenda sunt signa.

In primo signo: ponenda est *scientia simplicis intelligentiæ*, quâ Deus ante omne suum liberum Decretum *tum* absolutum, *tum* conditionatum agnoscit omnia *possibilia*, adeoque 1mò omnes possibiles modos se communicandi ad extra in quadruplici ordine: *naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostaticæ.* 2dò: Omnes possibiles modos *connectendi* hos rerum ordines inter se, & subordinandi illos omnes suæ gloriæ tanquam *fini ultimo*, & unum alteri tanquam fini proximo. Et hinc *3tiò*: cognoscit Christum posse intendi 1*mò*: propter *intrinsecam* excellentiam suam, tanquam finem *propinquissimum fini ultimo.* 2dò: Tanquam *caput*, & finem omnium aliorum creabilium in ordine *naturæ, gratiæ, & gloriæ.* *3tiò*: Cognoscit etiam omnes *possibiles utilitates*, quæ ex Incarnatione provenire possunt, tum Angelis, tum hominibus seu *dependenter*, *seu independenter* à peccato. *4tò*: Cognoscit *has utilitates* posse esse fines *extrinsecos totales* Incarnationis. Unde cognoscit Adamum esse possibilem, eum *posse* esse caput posterorum subordinatum capiti Christo, *per quem* possit accipere *gratiam, & justitiam originalem*, quam possit propagare in posteros, *si non peccet*, perdere autem tum pro se, tum pro posteris, si peccet. Ratio hujus signi est: tum, quia primum 1.

de unaquaque re quæri poteſt: *an ſit poſſibilis*, vel impoſſibilis, tum, quia *nihil volitum, quin præcognitum.*

2. *In ſecundo ſigno.* Ex directione *ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ*, concipit Deus *Decretum quoddam conditionatum, & inefficax*, quod *Vaſquetz* appellat *voluntatem ſimplicem*, alij *antecedentem*, alij *Decretum alligationis*; quod Decretum ſic eſt conceptibile: ſi 1mò: me communicavero ad *extra* in illo quadruplici ordine, & ſi 2dò: Chriſtus *liberè* voluerit mereri Angelis, & hominibus gratiam, tunc ejus Incarnationem *ordinabo* ad hanc ſanctificationem, & glorificationem Angelorum, & hominum. Et 3tiò: ſi homo manſerit in ſtatu innocentiæ, *exequar Incarnationem in carne impoſſibili, ſi autem peccaverit*, exequar illam in carne *paſſibili*. Et 4tò: conſtituam Chriſtum fidejuſſorem, & Redemptorem hominum. Si tamen 5tò: *libere voluerit* pati, & mori pro humano genere. Conſequenter 6tò: Incarnationem in carne paſſibili ordinabo in remedium peccati tanquam *ad alterum finem totalem extrinſecum. Ratio ponendi hoc ſecundum, ſignum eſt* 1mò: Quia *poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, non poteſt *immediatè* ſequi ullum Decretum *abſolutum, & efficax*, hoc enim eſt eſſentialiter *infallibile, & infruſtrabile*; *atqui* nisì Deus prævideat media non tantùm *purè poſſibilia, ſed etiam ſub conditione infallibiliter futura*, Decretum illud, ſeu intentio finis efficax non eſſet *infallibilis, & infruſtrabilis, ùt patet ex 1ma parte*: *ergo* Decretum *efficax, & abſolutum* neceſſariò præſupponit plus, quàm *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, nempe: *ſcientiam mediam* de infallibili futuritione conditionata mediorum efficacium. 2dò: Quia ante *ſcientiam mediam futura conditionatè*, quæ ſunt *objectum ſcientiæ me-*

diæ

diæ debent aliqualiter extrahi ex statu puræ possibilitatis: ùt patet. *Atqui* nihil potest extrahi ex statu *puræ possibilitatis*, nisì per Decretum *Dei saltèm conditionatum*, & inefficax: *ergo* in hoc signo, quod est medium inter *scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam mediam*, ponendum est hoc Decretum conditionatum: *ergo*.

In tertio signo: dependenter ab hoc Decreto conditionato ponitur *scientia media*. Per hanc autem cognoscit Deus *omnia futura conditionata*. Cognoscit itaque *1mò*: quòd Christus, *si exstiterit*, liberè merebitur gratiam, & gloriam Angelis, & hominibus. *2dò*: Cognoscit casum Luciferi, utì & peccatum Adami *conditionatum*, *si ponatur in his circumstantijs*, *& permittatur* tentari à dæmone. *3tiò*: Videt *si permissum* fuerit peccatum, fore *occasionem optimè* manifestandi per Incarnationem attributa Dei: siquidem Christus voluerit esse redemptor. *4tò*: denique cognoscit, Christum *liberè* futurum Redemptorem, *si deferatur* illi officium *fidejussoris* pro genere humano. *Ratio ponendi hoc 3tium signum est*: quia Decretum absolutum, & efficax non est frustrabile; *ergo* necessario supponit *scientiam mediam*: *ergo* cùm in *quarto signo* ponendum sit Decretum *absolutum*, *& efficax*, necessariò præmittitur in *3tiò signo scientia media*. 3.

In quarto signo. Ex directione *scientiæ mediæ* ponitur Decretum Dei *absolutum*, & efficax communicandi se ad extra in quadruplici ordine: *naturæ, gratiæ, gloriæ & unionis hypostaticæ*. Ponitur itaque in hoc signo efficax intentio Christi tanquam finis rerum omnium, & fini *ultimo propinquissimi* ponendi, modô optimô, *& maximè manifestativo* attributorum Dei. Unde per hoc decretum intentivum decernit 4.

Deus

Deus Christum 1mò: propter *suam intrinsecam* excellentiam, tanquam propter finem intrinsecum Incarnationis. 2dò. Designat ipsum in caput *mysticum Ecclesiæ*, in causam *finalem*, & *exemplarem* omnium *prædestinatorum*, adeóque omnes utilitates *independenter à peccato* ex Incarnatione proventuras *intendit* (cùm *non* possint *provenire casu*, & *præter* intentionem Dei) *intendit*, inquam, Deus tanquam finem *qui totalem extrinsecum*, ipsos verò Angelos, homines, & universum tanquam finem *cui*. In hoc signo *plurimùm disconvenimus cum Adversarijs*. *Ratio signi est*: quia *ordinatè* volens *priùs intendit finem*, quàm *eligat* media, cùm finis *intentus* sit *ratio volendi* media; *atqui excellentia mysterij* cum suis utilitatibus est finis, *permissio autem peccati est medium ponendi Incarnationem modô optimô*, & maximè *manifestativo attributorum Dei*: ergo debuit intendi in 4tò *signo*, quod immediatè præcedit permissionem peccati; igitur.

5. *In signo quinto* Dependenter ab efficaci intentione finis constituitur *electio mediorum*, per *quæ sit executio Incarnationis ponendæ modô optimô*, & *maximè manifestativo attributorum Dei*. Quia verò per scientiam mediam in signo tertio videt Deus; *si permissum fuerit* peccatum, fore *occasionem* optimè manifestandi per Incarnationem attributa Dei; Inde Deus decernit in hoc signo *absolutè permittere* peccatum Adæ. *Ratio* signi est: quia formalis, & *explicita electio* mediorum necessariò *sequitur efficacem* intentionem finis; *atqui* permissio peccati pertinet ad media: *ergo*, &c.

6. *In signo sexto*. Videt Deus per scientiam visionis peccatum Adæ absolutè futurum. *Ratio*. Quia *finis necessariò præsupponens peccatum* non potest absolutè, &

& efficaciter intendi, *ante prævisum* absolutè peccatum: Unde non potest Deus hominem positivè reprobare *ante prævisum absolutum* peccatum finale. Quia pœna, *ùt pœna essentialiter* præsupponit culpam; *Atqui* remedium peccati est talis finis necessariò *præsupponens* peccatum: *ergo*.

In signo septimò. Dependenter à directione hujus *scientiæ visionis*, quâ videt Deus peccatum *absolutè* futurum, & dependenter *à scientia media*, quâ cognovit Christum *liberè* futurum redemptorem, *si illi deferretur* officium fidejussoris pro humano genere; Decernit DEUS decreto efficaci, & absoluto Christum mittere non tantùm ùt *sanctificatorem* Angelorum, & hominum innocentium, sed etiam ùt *redemptorem* generis humani in peccatum lapsi, adeoque decernit Christum venturum *in carne passibili* in qua redimat homines. *Ratio hujus signi est*: quia in signo *quarto* decernit Deus Incarnationem ponere *optimô modô* (NB. non optimum modum) & maximè manifestativô attributorum Dei: *Atqui* optimus modus per scientiam *mediam prævisus* fuit *permissio* peccati, & remedium illius, in *sexto* autem signo fuit *absolutè prævisum* peccatum: *ergo* in septimo *decernendus* fuit Christus ùt *Redemptor* in carne *passibili*. 7.

In ordine executionis, seu in genere causæ efficientis, sic disponenda sunt signa.

In primo signo est Decretum executivum, quô DEUS applicat suam omnipotentiam ad ponendam Incarnationem, ideoque ponuntur media *prædefinita* ad Incarnationem. 8.

In secundo signo ponitur Incarnatio cum *talibus circumstantijs* loci, temporis, &c. cum quibus ipsam positam credimus. *Ratio*: quia *executio* finis est *posterior* electione mediorum, cum executio fiat *per* 9.

media

media electa; *atqui* Incarnatio cum suis utilitatibus est finis; *ergo*, Porrò executio rerum à Deo volitarum fit per *omnipotentiam* Dei, quam voluntas divina supposita efficaci *intentione* finis, & *electione* mediorum applicat ad opus : Est illa voluntas quâ *applicativa* omnipotentiæ vocatur Decretum *executivum*.

II. *Obj*, 1*mò*, Ex eo; *quòd non possit explicari sub quomodo DEUS per Decretum signi quarti Christum efficaciter decernat.* Dum Deus Decreto absoluto, quod ponitur *in quarto signo*, decernit efficaciter Christum, vel decernit illum in carne *passibili*, vel *impassibili*, vel in carne *secundum se*, præscindendo ab utroque modo; *atqui* nihil ex his potest dici: *ergo* : *Prob. Min. quoad primum.* Decretum *passibilitatis* non potest *præcedere peccatum* absolutè prævisum, cùm hoc sit *causa* passibilitatis tanquam pœnæ: *ergò* non potest dici, quòd Christus sit decretus tali Decreto in carne passibili. *Eadem Min. Prob. quoad 2dum.* Si Christus Decretus fuisset in carne impassibili venisset defactò in carne passibili; sed hoc est contra fidem; *ergo*. *Prob. denique Min. quoad 3tium.* Omne Decretum *efficax* ponit objectum *extra causas*, & per consequens terminatur ad objectum *omnimodè determinatum* quoad *omnes* circumstantias, sinè quibus existere nequit à parte rei, & extra causas: *Atqui* Christus non potuit existere à parte rei, & extra causas, nisi in carne *vel* passibili, *vel* impassibili : *ergo* Deus efficaciter decernens Incarnationem non potuit *ab utroque* præscindere. *Resp.* 1*mò*. *retorquendo* argumentum Deus ante prævisum absolutè peccatum originale efficaciter decernit: ut Adam generaret filios; 1*mò*. Quia absolutè ipsum *decrevit*, *ut protoparentem*. 2*dò*. Quia efficaciter intendit dare gratiam, & justitiam ori-

originalem traducendam in posteros decensuros per *viam generationis* ex Adamo. Jam sic: decrevitne Deus pro illo signo *efficaciter*, ut Adam generaret filios in carne passibili, vel impassibili: vel in carne secundùm se, & quoad substantiam, *præscindendo à modo* passibilitatis, vel impassibilitatis? in carne passibili non: quia passibilitas carnis est pœna peccati, quæ non potuit absolutè decerni ante peccatum absolutè prævisum. Non etiam in carne impassibili! quia aliàs *defactò* omnes homines nascerentur in carne impassibili, cùm *efficax* Decretum Dei sit *infrustrabile*. *Nec* denique in carne *secundùm se* præcisè, quia asserentes hoc Adversarij nobis objectâ laborant difficultate, *Resp.* 2dò. *Neg. suppositum argumenti*. Supponunt enim Adversarij totum negotium prædestinationis Christi *completum esse in quarto* illo signo rationis, quod falsum est. *Confundunt præterea* Decretum absolutè *intentivum* Incarnationis cum Decreto electivo *mediorum*, & modorum quibus Incarnationem absolutè exequi voluit Deus. Hinc *Resp.* 3tiò. *Neg. Min. ad probationem illius Neg.* 3*tiam partem Ant. Ad ejus probationem: Dist. Maj.* omne Decretum *efficax sumptum adæquatè, & in omni ordine* tum *intentionis*, tum *executionis Conc.* Decretum efficax sumptum *inadæquatè*, & in ordine solius *intentionis*, non verò *executionis Neg. Maj. & Conc. Min. Dist. similiter Conseq.* Ergo Deus efficaciter decernens Incarnationem Decreto adæquatè sumpto, hoc est: *non solùm intentivô finis* sed *etiam electivô mediorum*, & executivô *tum* mediorum, *tum* finis, non potuit præscindere, à carne passibili, *vel* impassibili *Conc.* efficaciter decernens decretô *solùm intentivô finis Neg. Conseq. In quarto* illo signo ante permissum, & prævisum absolutè pec-

catum, fuit Incarnatio verbi *absolutè*, *& efficaciter* decreta, *in hac singulari humanitate*, *& hac individua carne*, nihil tamen pro illo signo Decretum fuit, de modo *accidentali passibilitatis*, aut *impassibilitatis*. Tum, quia hi modi *non pertinent ad individuam* substantiam carnis humanæ, cùm eadem numero caro nostra, quæ nunc in statu viæ est passibilis, in statu Patriæ futura sit impassibilis. Tum, quia determinatio horum modorum non pertinet ad Decretum intentivum Christi, *quâ finis* rerum omnium, sed ad Decretum *electivum* mediorum, & modorum. *Advertendum igitur est*: quòd Adversarij plerumque confundant decretum *intentivum finis*, cum Decreto *electivo mediorum* quibus Incarnationem absolutè voluit Deus, & cum Decreto *executivo*, quô Deus executivè posuit *media*, & per media finem, quæ confusio omninò vitanda est, ad quod *præter instantiam in responsione prima* allatam, deservit instantia petita ex illo Decreto efficaci, & intentivo, quô Deus *ante prævisa absolutè* merita, absolutè, & efficaciter decernit, *& prædestinat aliquos ad gloriam ùt coronam*. Pro quo signo non potest Deus in particulari formaliter, & explicitè decernere merita, & media, sinè quibus non potest gloria obtineri ùt corona. Ratio est: quia in sapienter volente, *electio mediorum* sequitur *intentionem finis*. Cum ergo permissio peccati tanquam occasio *Incarnationis* quàm optimè ponendæ, teneat se ex *parte mediorum*, necesse est: *ut sequatur* intentionem finis.

12. *Replicabis 1mò*: Illud efficax Decretum *intentivum signi quarti* est causa *adæquata* Incarnationis in ordine intentionis: *ergo* vi illius constituitur Christus extra *omnes* causas *ad ordinem intentionis* pertinentes: *ergo* vi illius ponitur extra omnes causas finales: *ergo* termi-

terminatur ad objectum determinatum quoad omnes circumstantias. *Resp. Neg. Consequentias Ratio est.* Quia juxta nos sunt *duo fines* adæquati extrinseci Incarnationis : *ergo* Incarnatio non est extra *omnes causas ad ordinem intentionis pertinentes , nisì in septimo* signo , quò ponitur remedium peccati tanquam *alter finis totalis* extrinsecus.

Replicabis 2dò : Intelligere , & velle aliquid quoad *substantiam* , & veluti in communi , *postea* verò *in particulari* quoad *accidentales* modos , & circumstantias , dicit *imperfectionem* nostri intellectûs , & voluntatis : *ergo* talis modus volendi non potest attribui Deo. *Resp. Dist Ant.* Dicit imperfectionem nostri intellectûs, si id fiat *per actus realiter* distinctos , & sibi realiter succedentes *Conc.* si fiat actu *entitativè unicô* , qui tamen ratione nostrâ concipitur *priùs ùt terminatus ad substantiam* Incarnationis , posteriùs ùt terminatus *ad modum* , & circumstantias carnis passibilis *Neg. Ant. Dist. similiter Conseq. & Neg. Consequentiam. Ratio* patet ex universali doctrina *de ordine signorum* in actibus divinis, si enim velimus *ordinatè* concipere actus divinos per species *creatas* , necessariò admittendus est quidam ordo extrinsecus actuum divinorum secundùm ordinem objectorum cognitorum, & volitorum. 13.

14. *Replicabis 3tiò.* Inter actus divinos non ponitur ordo , nisì *secundùm ordinem causalitatis* , quem ad se habent objecta illa , ad quæ terminantur actus divini : *atqui* inter *substantiam* Incarnationis , & *modos passibilitatis* , *vel* impassibilitatis , *nullus est ordo causalitatis* , quia Incarnatio *secundùm se* , & in communi , *non est causa* horum modorum : *ergo* non est dicendum : Deum voluisse *priùs* efficaciter Incarnatio-

nem secundùm se, & in communi, quàm eam voluerit determinatè in carne passibili.

Resp. 1mò. *Neg. Maj.* *Ratio* est: quia, ut concipiatur aliquis Ordo extrinsecus inter actus divinos, non est *semper* necessarium. ut *inter objecta* actuum divinorum intercedat *ordo causalitatis*, sufficit enim, ut intercedat *ordo logicus*, seu ut unum objectum sit priùs altero prioritate *logica*, & *subsistendi* consequentiâ.. Sic *scientia simplicis intelligentiæ*, est prior *scientiâ mediâ* licèt *possibilitas* rei non sit prior *causalitate* respectu *futuritionis* conditionatæ; cùm *sufficiat*, quòd sit prior *logicè*, quæ prioritas logica reperitur etiam *inter substantiam* Incarnationis, & *modum* passibilitatis: valet enim consequentia, à passibilitate carnis ad substantiam, sed non vicissim. Hinc

Resp. 2dò. *Dist. Min.* *Inter substantiam Incarnationis ùt ponendam optimò modò, & maximè manifestativò attributorum Dei*, nullus est ordo causalitatis *Neg.* inter substantiam Incarnationis *ratione sui, & inter modos* passibilitatis, aut impassibilitatis, nullus est ordo causalitatis *Conc.* Incarnatio in *quarto signo* fuit decreta quoad *substantiam ùt ponenda*, non quôcunque modô, *sed optimò*, & maximè manifestativô attributorum Dei. Sic autem *Intenta Incarnatio, fuit ratio permittendi peccatum*, peccatum verò fuit causa passibilitatis: *ergo* Incarnatio sic intenta fuit *aliquomodò causa* passibilitatis.

15. *Replicatis* 4tò. Illud decretum signi quarti efficaciter intentivum Christi, est *prædestinatio* Christi; *atqui* hæc est *pars providentiæ* Divinæ, quæ suis actibus attingit *omnes circumstantias*, & modos particulares rei prædestinatæ: *ergo* decretum illud efficaciter intentivum Christi, attingit *necessariò* omnes

par-

particulares circumſtantias Chriſti, & modum paſſibilitatis. *Reſp. Diſt. Maj.* Illud Decretum efficaciter intentivum Chriſti, eſt prædeſtinatio Chriſti *inadæquata*, & inchoata *Conc.* adæquata, & completa *Neg. Maj. Diſt. ſimiliter Min. & Neg. Conſeq.* Prædeſtinatio divina, utì & providentia, ſi eſt completa, perfecta, & adæquata, includit non tantùm *intentionem finis*, qualis eſt hìc excellentia, & ſubſtantia Incarnationis, ſed etiam *electionem mediorum*, ad quæ pertinet *permiſſio* peccati; *atqui* intentio finis in *ordinatè volente* non poteſt concipi eôdem ſignô, quô concipitur *electio mediorum, ergo* in ſigno quarto non poteſt ſimul concipi Decretum Incarnationis quoad ſubſtantiam, & Decretum quoad modum paſſibilitatis. Itaque cùm prædeſtinatio *perfecta Chriſti involvat finem, & media*, non niſì per *duo* ſigna *abſoluta* concipi poteſt.

Dices. Chriſtus habet naturam paſſibilem: *ergo* 16.
non potuit intendi, quin paſſibilis. *Reſp. Diſt: Ant.* paſſibilem *radicaliter Conc.* formaliter *Neg. Ant. Diſt.* ſimiliter *Conſeq. & Neg. Conſeq.*

Replicabis 1mò. Adamus ex vi præſentis Decreti 17.
in *ſigno quarto* fuit *formaliter* intentus, ùt formaliter impaſſibilis: *ergo* etiam Chriſtus: *ergo. Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt.* Quia Decretum *intentivum* de Adamo innocente, *non præſcidit* à ſtatu innocentiæ, adeoque *nec* ab impaſſibilitate, ſed tantùm à *conſervatione* illius: Decretum autem, quô Deus *intendit* Chriſtum, *præſcidit* pro ſigno *quarto* à *modo paſſibilitatis*, & impaſſibilitatis formaliter: *ergo*.

Objicies 2dò, ex eo: *quòd ſignum quartum non videatur bene diſpoſitum, cùm involvat Decretum communicandi ſe creaturæ in ordine naturæ, gratiæ & gloriæ &c.* Finis intenditur priùs, quàm ea, quæ ſunt ad finem;

nem; *atqui* Christus est finis omnium rerum, quæ sunt in ordine *naturæ*, *gratiæ*, & *gloriæ*, est enim primogenitus omnis creaturæ; *ergo* Christus debet *priùs* intendi, quàm ordo *naturæ*, *gratiæ*, & *gloriæ*: *ergo* quartum signum non est bene positum. *Resp.* *Dist.* *Maj.* Finis intenditur priùs, quàm ea, quæ sunt *ad finem tanquam media Conc.* quæ sunt tanquam *finis cui*, *Neg. Maj.* & *concessa Min.* *Neg. Conseq.* *Finis qui*, & *finis cui* in ratione voliti, habent necessariam connexionem mutuam, ità ut *sibi sint invicem* causæ, sed in *diverso* genere. *Finis enim qui*, est causa *finalis* respectu *finis cui*; finis verò *cui* est causa *materialis* respectu finis *qui*, adeóque debent hæc *duo objecta* concipi pro *eodem* signo *cum mutua prioritate*, *diversi* tamen generis. *Atqui* Deus de-factò intendit Angelos, & homines, totumque universum tanquam finem *cui* omnium utilitatum, quæ provenerunt ex Incarnatione tanquam fine qui: *ergo*.

18. *Objicies 3tiò.* Filius Dei propriè *propter* nostram salutem factus est homo, *atqui* si salus nostra, seu *remedium peccati non esset* motivum Incarnationis quoad *substantiam*, non diceretur *propriè*, quòd *propter nostram* salutem factus sit homo, sed solùm diceretur, quòd *propter nostram* salutem factus sit *passibilis*: *ergo* remedium peccati fuit motivum Incarnationis quoad substantiam: *ergo* substantia Incarnationis non fuit Decreta *ante* prævisum absolutè peccatum, &: *quoad modum* passibilitatis *post* prævisum absolutè peccatum. *Resp.* *concessis reliquis*, *Neg.* *ultimam Conseq.* *Ratio est.* Quia Incarnatio *duplici efficaci*, & absolutô Decretô intentivô decreta est quoad *substantiam*, *propter* duplicem finem totalem extrinsecum. Unô Decretô intentivô decreta est Incarnatio quoad substantiam in *quarto*

signo

ſigno propter ſuam *excellentiam*, & *omnes utilitates* provenientes independenter à peccato. Et hoc Decretum ponendum eſt *ante præviſum abſolutè* peccatum. *Alterô* Decretô *intentivô* decreta eſt Incarnatio in *ſeptimo ſigno* quoad *ſubſtantiam*, propter utilitates *dependenter à peccato* : qualis præcipua eſt redemptio noſtra, & hoc Decretum ponendum eſt *poſt præviſum abſolutè* peccatum in ſigno ſeptimo.

A. M. D. G.

THESES
EX
UNIVERSA THEOLOGIA
SCHOLASTICA.

Ex prima parte Divi Thomæ.

I.

THeologia Scholaſtica etiam in via eſt verè & propriè dicta ſcientia, quoad ſubſtantiam & eſſentiam ſcientiæ ſpectata; ſubalternatur ſcientiæ Dei & Beatorum Matutinæ ſeu viſioni beatificæ; eadem manet in patria, quæ in via, certitudine ſuperat omnes ſcientias purè naturales, imò & lumen naturale primorum principiorum; non tamen adæquat certitudinem fidei divinæ, nec intrinſecè eſt ſupernaturalis ſed tantùm extrinſecè.

II. Hæc

II.

HÆc propositio, *DEUS existit*, non est naturaliter per se nota quoad nos viatores. Potest tamen realis, actualis, & exercita existentia DEI naturaliter evidenter quasi à priori, demonstratione omnium prima demonstrari ex ratione entis optimi.

III.

ESsentia Dei Metaphysica, nec adæquatè nec inadæquatè consistit in *aseitate*, seu in independentia à causa, nec in intellectivo radicali vel formali, nec in intellectione formali; sed in solo prædicato entis simpliciter seu entis quâ talis sinè addito. Essentiam autem quasi physicam Dei in sensu reali constituunt omnes formalitates tam absolutæ quàm relativæ Deo intrinsecæ.

IV.

POrrò *natura* Dei prout ratione nostra ratiocinante distinguitur *ab essentia Dei* formaliter consistit in prædicato divini intellectivi radicalis, & non in intellectivo formali, neque in intellectione formali.

 V. Pro-

V.

PRopter ſummam & eſſentialem in divinis ſimplicitatem, nullam diſtinctionem formalem ſcotiſticam, aut virtualem intrinſecam inter eſſentiam divinam ejusque relationes & attributa admittimus, ſola diſtinctione rationis ratiocinantis majore contenti.

VI.

SIcut Deus eſt abſolutè *immortalis*, ſic abſolutè eſt *inviſibilis* oculo corporeo, imò ratione ſpiritualitatis ſuæ eſt extra objectum adæquatum cujuscúnque alterius potentiæ ſenſitivæ, unde nec ab ullo alio ſenſu eſt perceptibilis etiam de potentia abſoluta.

VII.

REpugnat itidem abſolutè ſubſtantia intellectualis creata, cui connaturaliter debeatur viſio intuitiva Dei.

VIII.

QUo tamen non obſtante intellectus creatus elevabilis eſt à Deo ad perfectam & intuitivam viſionem DEI, non tamen ſinè lumine gloriæ ipſi intrinſecè ſuper-

ſuperaddito. Unde nequit intellectus creatus per ſolum auxilium extrinſecum in ordine ad viſionem beatificam ſufficienter proportionari.

IX.

SIcut implicat ut DEUS fiat *intellectivus* per potentiam proximam ſibi ſuperadditam, ità implicat ut fiat *intelligibilis* proximè *intelligibilitate* à ſe diſtincta, repugnat, nempe forma quæ eſſentialiter ordinatur ad effectum formalem, quem objectum jam præhabet ex ſua eſſentia. Et hinc implicat ſpecies *tum* impreſſa *tum* expreſſa DEI, vi cujus DEUS *intuitivè* videri poſſit.

X.

PAriter poſſibile non eſt: ut eſſentia divina intuitivè & quidditativè videatur ſinè attributis aut ſinè perſonâ aliqua divina, imò etiam impoſſibile eſt, ut una perſona divina videatur ſinè alia perſona divina.

XI.

VIſiones, quibus beati intuitivè vident DEUM non differunt eſſentiali-

ter ſeu quoad ſpeciem eſſentialem, ſed tantùm quoad perfectionem accidentalem; juxtà menſuram tamen ſolius luminis gloriæ, adeóque intellectus naturali perfectione inæquales, æquali lumine elevati non vident DEUM inæqualiter.

XII.

DEus ab æterno habet notitiam omnium contingentium liberorum, etiam ſub conditione futurorum, certam & infallibilem. Et hæc eſt illa ſcientia objectivè conditionata, inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis objectivè, & terminativè media.

XIII.

DEUS actus liberos conditionatè futuros non cognoſcit in decreto thomiſtarum prædeterminativo, aut ſcotiſtarum prædefinitivo, nec in decreto concomitante, ſed in eſſentia divina, prout eſt ſpecies intelligibilis determinativè repræſentativa cujuslibet veritatis conditionatæ.

XIV.

DEUS amat ſeipſum *neceſſariò*, creaturas exiſtentes *contingenter*, purè

rè verò possibiles quâ tales in se ipsis nequaquam amat; quia in se nullam actu habent bonitatem, ac proinde non sunt intra objectum adæquatum voluntatis ut amantis.

XV.

PRædestinatio sumpta pro voluntate intendendi gloriam est opus misericordiæ & liberalitatis divinæ, adeóque DEUS independenter à prævisis meritis positivè prædestinat creaturam rationalem ad gloriam *ùt* coronam, licèt non nisì post prævisa absolutè demerita positivè reprobet.

XVI.

RAtio propria & formalis, cur sola processio verbi sit generatio, non verò Spiritus sancti? est hæc; quia verbum per se & ex vi processionis suæ procedit in similitudinem naturæ, non verò Spiritus sanctus.

XVII.

RElationes divinæ secundum suam rationem *ad* explicitè consideratæ, nullam explicant perfectionem aut imperfectionem.

XVIII.

XVIII.

PErſonæ divinæ in ratione perſonæ non conſtituuntur prædicatis abſolutis, ſed relativis non ùt origines, nec ùt relationes, ſed ùt formæ hypoſtaticæ ſunt, adeóque prout ſecundùm rationem *in*, non verò ſecundùm rationem *ad* conſiderantur.

XIX.

DAtur in Deo præter ſubſiſtentias relativas ſubſiſtentia abſoluta, tribus perſonis communis, ſi ſubſiſtentia accipiatur pro perſeitate excludente indigentiam & dependentiam ab alio ſuſtentante; non autem datur ſubſiſtentia communis, & abſoluta, ſi hæc accipiatur pro perſeitate incommunicabilitatis in ſubſiſtendo.

XX.

LIcèt Deus ùt unus etiam à poſteriori ex effectibus poſſit naturaliter demonſtrari, nequit tamen ex ijſdem Deus ùt trinus ob defectum connexionis naturalis ex ijsdem, etiam ſuppoſita revelatione divina naturaliter oſtendi.

XXI.

VErbum divinum per ſe in quarto modo procedit ex cognitione eſſentiæ divinæ, Paternitatis, Sui, & Spiritûs ſancti, item ex cognitione creaturarum poſſibilium, non tamen actualium, pro aliqua differentia temporis, aut quacúnque alia duratione exiſtentium.

XXII.

DIſtinctio realis in divinis oritur ex oppoſitione relativa; unde ex vi ſolius permiſſæ oppoſitionis diſparatæ, ſi Spiritus ſanctus non procederet à filio ab eodem non diſtingueretur realiter.

XXIII.

EXiſtentiam Angelorum & fides docet & ratio naturalis ſuadet; qui probabiliùs ſpecie & numero etiam defacto diſtingvuntur; ſi multiplicatio numerica à materia ſignata quantitate non deſumatur.

XXIV.

LOcutio Angelis propriè & connaturalis ad invicem conſiſtit in ceſſione Juris, quod quisque habet ad ſecre-

tum suum, per quam cessionem tollitur impedimentum ex parte specierum Angeli audientis ipsi congenitarum, propter quod in actu secundo non potuerunt esse repræsentativæ objecti secreti & naturalis, atque ità fiunt ex impeditis expeditæ sinè omni illapsu unius Angeli in intellectum alterius.

XXV.

CUm ordo finium correspondeat ordini agentium, idcircò sicut soli Deo, & nulli creaturæ competit esse primum principium effectivum, ità etiam eidem soli & nulli creaturæ competit ratio finis ultimi. Atque ità vera nostra beatitudo *objectiva* in nulla creatura, sed sola bonitate divina; *formalis* verò adæquatè tam in actu intellectûs, quam voluntatis seu visione & fruitione beatifica consistit.

Ex Prima Secundæ.

XXVI.

POtest voluntas exercere libertatem suam circa bona æqualia & inæqualia etiam cognita ut talia.

XXVII.

XXVII.

PRoxima regula morum eſt cujusvis dictamen conſcientiæ intrinſecum; remota verò & extrinſeca, eſt lex æterna in mente divina exiſtens. Moralitas actus humani adæquatè dividitur in *bonitatem*, *malitiam*, & *indifferentiam*; & hinc datur actus indifferens non tantùm ſecundùm *ſpeciem*, ſed etiam *in individuo*. Actus externus interno nullam ſuperaddit malitiam aut bonitatem moralem.

XXVIII.

VIrtus eſt bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, & quâ nullus malè utitur, quæ ſi ſit moralis conſiſtit in medio.

XXIX.

MAlitia cujuslibet peccati conſiſtit formaliter in privatione rectitudinis debitæ ineſſe; ſubſtratum tamen malitiæ moralis eſt quid poſitivum. Nullum peccatum in genere moris habet malitiam ſimpliciter infinitam ſibi intrinſecam.

XXX.

GRatia genericè ſumpta: eſt donum *ſupernaturale* gratis à DEO datum,

ex Christi meritis conducens ad æternam salutem: undè sinè gratia nihil potest homo meritorij vitæ æternæ efficere. Alia est *actualis* alia *habitualis*; illius efficacia in entitate auxilij divini ut connotante cooperationem voluntatis liberæ creatæ consistit. Prima gratia auxilians sub nullum cadit meritum.

Ex Secunda Secundæ.

XXXI.

OBjectum *materiale* fidei Theologicæ sunt omnes veritates revelatæ & revelabiles à Deo, objectum verò *formale* quod, seu attributionis, & principale est Deus sub ratione primæ veritatis *in essendo*; objectum verò *formale quo seu motivum*, est veritas Dei infallibilis non tantùm *in cognoscendo*, sed etiam *in dicendo* prout actu revelans.

XXXII.

FIdei divinæ falsum subesse non potest; prima est veritas mentiri, æquivocare formaliter, aut habitum erroris infundere, aut falsam doctrinam verô mi-

raculô

raculô confirmare nequit, Fides componi poteſt cùm abſtractiva evidentia de atteſtante & re atteſtata.

XXXIII.

PRæter inanimatam regulam fidei admittenda eſt etiam *animata*, qualis eſt ipſa Eccleſia, Concilia, & Romanus Pontifex, qui etiam extra Concilium infallibiliter definit. Clementem XI. fide divina credimus legitimum in terris Chriſti Vicarium.

XXXIV.

OBjectum formale ſpei adæquatè ſumptum eſt partim bonitas DEI reſpectiva, partim fidelitas DEI miſericordis & auxiliantis. Revelata & credita damnatione ſua homo prudenter ſperare non poteſt, poſitivè tamen deſperare non debet ſalutem ſuam.

XXXV.

CHaritas inter virtutes Theologicas ordine generationis ultima, dignitate prima, pro objecto formali bonitatem DEI abſolutam habet; & diſtingvitur à gratia habituali realiter.

XXXVI.

DOminium duorum ſimul & ſemel reſpectu ejusdem rei in ſolidum ſive temporaneum ſive inſtantaneum ſit, repugnat. Uſus facti licitus aſſiduè revocabilis; eſt ſeparabilis ab omni dominio.

Ex Tertia Parte.

XXXVII.

COncluſiones de cognoſcibilitate, neceſſitate, & fine incarnationis, defendimus in præſenti Libello.

XXXVIII.

SI Adam non peccâſſet, Chriſtus veniſſet in carne impaſſibili non quidem formaliter ex vi præſentis decreti, ſed vi alterius, quod ex præſenti decreto benè argui poteſt. Veniſſet etiam in carne paſſibili propter ſolum peccatum originale.

XXXIX.

UNio hypoſtatica facta eſt in unitate perſonæ, non naturæ; eſtque modus naturæ aſſumptæ intrinſecus & ab ea *ſicut* & à perſona aſſumente realiter diſtin-

distinctus; tum in ratione doni, tum in ratione unionis est omnium maxima.

XL.

ASſumpſit defacto Deus humanitatem, poterat tamen abſolutè aſſumere naturam Angelicam, imò etiam irrationalem. Humanitas Chriſti aſſumpta fuit impeccabilis & tamen libera ad actus præceptos.

XLI.

NOvæ & veteris Legis Sacramenta conveniunt univocè in ratione Sacramenti. Novæ legis Sacramenta perficiuntur rebus & verbis ùt materiâ & formâ à Chriſto inſtituta. Intentio Miniſtri non eſt pars conſtitutiva, quamvis ad valorem Sacramenti requiratur.

XLII.

NOvæ legis Sacramenta cauſant gratiam Sacramentalem & moraliter & phyſicè, gratia verò ſacramentalis ab illis cauſata non diſtingvitur entitativè & intrinſecè à non ſacramentali, ſed tantùm connotativè & extrinſecè. Sacramenta *mortuorum per ſe* cauſant gratiam pri-

primam; *vivorum* verò *per se* conferunt gratiam secundam. Per accidens autem faciunt econtra. Ejusdem speciei Sacramenta subjectis inæqualiter dispositis inæqualem conferunt gratiam.

XLIII.

BAptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. Est necessarius ad salutem necessitate medij vel in re vel in voto, & remota fictione reviviscit ad effectum gratiæ deletivæ peccati originalis.

XLIV.

COnfirmatio est Sacramentum novæ legis homini baptizato per chrismatis sub præscripta verborum forma in fronte signatam unctionem, fidei robur conferens. Minister ejus ordinarius est Episcopus.

XLV.

SAcramentum Evcharistiæ omnium Sacramentorum pretiosissimum continet ipsum Authorem gratiæ per transubstantiationem panis & vini in verum corpus Christi, remanentibus solis speciebus panis & vini tanquam termino com-

communi actionis hujus conversivæ. Utráque species Eucharistica simul sumpta, non causat majorem gratiam.

XLVI.

PÆnitentia ùt virtus, est actus voluntatis, præteritæ culpæ detestativus cum proposito DEUM amplius non offendendi, præcipuus illius actus contritio etiam extra Sacramentum justificat. Objectum *materiale* pænitentiæ ùt est virtus sunt sola peccata actualia propria. *Formale* verò est honestas illa vindicandi.

XLVII.

PÆnitentiæ, ùt est Sacramentum, materia *remota* est omne peccatum hominis post baptismum commissum, *mortale* quidem *necessaria*, veniale verò & mortale antea expiatum, *sufficiens*. Materia *proxima* sunt actus pænitentis; forma verò illa verba: *absolvo te*; per quam solus Sacerdos sacramentaliter absolvere potest.

XLVIII.

EXtrema unctio est verum novæ legis Sacramentum, cujus materia *remota* est oleum infirmorum ex olivis con-

confectum & ritè benedictum. *Proxima* est unctio. *Forma verò per ipsam sanctam unctionem, &c.*

XLIX.

ORdo passivè sumptus est potestas spiritualis exercendi ministerium Ecclesiasticum circa corpus Christi verum & mysticum, cujus Ministrum ordinarium licèt solum Episcopum admittamus; nihilominùs extra ordinariam potestatem conferendi ordinem Subdiaconatûs & Diaconatûs simplici Sacerdoti dari posse non negamus.

L.

MAtrimonium est verum novæ legis Sacramentum. Consensus mutuus contrahentium externè expressus habet rationem materiæ, quatenùs est *traditio*, formæ verò quatenus est *acceptatio*. Inter Beatissimam Virginem & sanctum Josephum verum fuit Matrimonium.

FINIS.